INNOCENTII CIRONII

OPERA IN IVS CANONICVM,

QVORVM ELENCHVM SEQVENS PAGINA EXHIBET.

~~140~~ 90

Elenchus Operum.

QVINTA ANTIQVA COMPILATIO Decretalium Honorij III. ex MSS. Codd. nunc primùm edita, cum Notis.

PARATITLA IN QVINQVE LIBROS Decretalium Gregorij IX.

OBSERVATIONVM IN IVS CANONICVM Libri quinque.

QVINTA COMPILATIO
EPISTOLARVM DECRETALIVM
HONORII III. PONT. MAX.

Nunc recèns è tribus vett. M.SS. in lucem data, & Notis illuſtrata,


Studio, & induſtriâ INNOCENTII CIRONII,
Iuris vtriuſque Profeſſoris, Canonici, ac Eccleſiæ, & Academiæ Toloſanæ Cancellarij.

Cum duplici Indice, primo, Titulorum, altero rerum verborúmque Alphabetico.



TOLOSÆ,
Apud PETRVM BOSC.

M. DC. XLV.
Cum priuilegio Regis.



VIRO

ILLVSTRISSIMO

DOMINO,

D. PETRO SEGVERIO

FRANCIÆ CANCELLARIO,

INNOCENTIVS CIRONIVS


F.



ONVMENTVM istud Iuris Pontificij diù latuit penè obliuioni mandatum, ita vt postremis temporibus eruditorum etiam diligentiam effugerit. Nec mirum, si tandiu tenebris obuolutum remansit, si luce caruit quâ posset illustrari, & in apertum prodire, Solem Gallia non habebat. Et licèt summa Ecclesiastici Iuris sydera eduxerit, verus tamen Sol deerat, quem ad hæc tempora mundi Opifex reseruauit. Te, inquam, huius regni Nomophylacem, Patrem Francici Imperij, Βασιλείαν ἀπόρφυρον,

ac summum Iustitiæ lumen, qui huius Operis caligini lucem præstares. Æquum enim fuit, vt qui clauum Reipublicæ tenes, cuius arbitrio leges & Iura omnia nomen & autoritatem sumunt, si quod vtilitatis publicæ incrementum expectent, hoc à tua innata, beneuolentia accipiant, nec alienos potiùs, quàm tuos omni planè litterarum & scientiarum cognitione illustres oculos, vt veros & legitimos Iudices experiantur. In hoc ego negotio, & summa Iuris Canonici parte, si quid laboris impenderim, eâdem quâ soles frontis serenitate probabis; & si quid tuæ summæ dignitatis splendore ac reuerentiâ minùs dignum protulerim, silentij tui calculo prænotatum, erit instar omnis censuræ, quam æquiorem, quàm par sit, pro tua humanitate, gratia, ac præsidio singulari expecto. Vnicum mihi in tanto hoc meo obsequio molestiæ argumentum subest, quòd ægritudinis, quam vix intermissam patior, impedimentum, hanc meam operam pro officij mei debito tibi repræsentare non sinat, Vale, Tolosâ, Kal. Ianuarij, M. DC. XLV.

AD LECTOREM

VR Antonius Augustinus quatuor antiquas Decretalium Collectiones edi curauerit, quintam, quæ est Honorij tertij omiserit, non video: eius industriam & diligentiam effugisse vix suspicari velim, qui reconditiora quæque Iuris Pontificij, & litterarum omnium monumenta reuoluerat, cùm & viros suæ ætatis egregios illam habuisse compertum sit, Cuiacium nempe, Contium, & alios. Consultiùs ego caussam exquirens in omnibus ferè codicibus manuscriptis quintam hanc defuisse aduerti, & quamvis accuratissimorum virorum consilium exegerim, neminem tamen nactus sum, qui eam vidisse, aut alicubi extare asseruerit. Multis annis curiosiùs ac diligentiùs in tali negotio exactis, spem omnem abieceram, cùm minùs in animo id habens, in veteris Bibliothecæ Albiensis ruderibus tres Codices manuscriptos puluere, situ, & pedore confectos feliciter reperi. Hoc Opus diu apud me latêre non sum passus, quin publico darem iam à multis annis expetitum: eò quòd in eo quamplurima & singularia, siue huius Iuris cognitionem, siue illorum temporum, quibus Honorius vixit, historiæ seriem spectemus, reperiantur, quæ sanè in Compilatione Decretalium Gregorij Noni desiderantur. Hanc ego prouinciam ideò libentiùs suscepi, ac Notis quibusdam illustrare tentaui, quòd huius Compilationis Interpretem nullum in manuscriptis repererim, licèt aliis quatuor adiectæ ad marginem glossæ sint; tribus quidem primis Vincentij, Alani, Tancredi, Laurentij, & Rogerij, qui & à suis antecessoribus Siluestro, Ruffino, Ioanne Hispano, Ioanne Fauentino, & aliis hauserant, vt testatur Ioannes Andreæ. In quartã verò Ioannis Teutonici, & quorundam aliorum Scholia nobis exhibuit ipse Antonius Augustinus. Ad quintam verò Collectionem neminem alium Interpretem adfert Ioannes Andreæ quàm Ioannem Albanum, Fauentinum Episcopum, cuius glossas quis viderit ignoro. Idcircò libentiùs leuia quædam Scholia huic adiiciendi animum appuli, in quibus nihil ferè quod in eruditissimis Decretalium Glossis expositum sit repetere, sed ea tantùm quæ pro Iuris huius cognitione omissa fuerunt, aut ad historiæ fidem faciũt, proponere operæpretium existimaui. Quod quidem negotium feliciùs exegissem, si integrum Honorij Registrum videre licuisset, ex quo velut è proprio fonte veritatem omnem, quæ quibusdam

tenebris obruitur, eruissem. Illud quidem à viro Doctissimo Chesneo qui Historiæ Francorum Scriptores edi procurauit, expectare poteram, sed eo iam fato functo ab hac spe decidi. In hoc sanè proposito nouum genus scribendi reperies, nec enim in Iuris Canonici expositione tantùm, sed etiam in historica narratione operam insumpsi, quia & vtrumque maximè prodesse visum fuit: quippe Epistolæ Honorij, sicut & antecessorum Pontificum è quibus hæ Compilationes congestæ sunt, illorum temporum res, lites, & negotia Antistitum, Principum, Regnorum, Vrbium, familiarum illustrium, & priuatarum, Ecclesiarum quoque & Monasteriorum statum pertractarunt. Ita factum vt in hac elucidatione ad euoluendos variæ Historiæ Libros & Autores, non parum laboris impendere necesse fuerit. Huic curæ meorum studiorum fidissimum consortem adhibui Ioannem Parrin, virum in hoc genere, sicut & in bonarum artium cognitione maximè versatum, cui equidem summam huius operæ partem debere me ingenuè profiteor. Plura forsitan quàm optauerim digna erunt tuâ censurâ & castigatione, quæ libenter & æquo animo examini tuo emendanda & dispungenda relinquo, præter ea quæ inter Typographi manus iniuriam passa sunt, cùm diuturna ἀῤῥωστία, quominùs huic labori sedulò incumberem & vires & animum abstulerit. Piaculum sanè ingens mihi foret silere quantùm mihi profuerit singularis humanitas Illustrissimi & eruditissimi nostri Protopræsulis Tolosani, cuius litteraria supellex non tantùm amplitudine & copiâ Librorum, sed etiam exquisitorum Autorum multitudine commendanda, faciliorem mihi viam aperuit, & ex hac diuite penu tenuitatem meam auxi, & vberiùs ad exitum perduxi; *Vale.*

APPROBATIO.

OPERA in Ius Canonicum hoc volumine contenta, à Clarissimo ac præstantissimo viro, DOMINO INNOCENTIO CIRONIO, Iuris vtriusque professore, Canonico & Cancellario meritissimo Ecclesiæ, & Vniuersitatis Tolosanæ, summo studio elaborata à nobis accuratè & maxima cum voluptate perlecta, non modò sunt conformia in omnibus doctrinæ Catholicæ; verùm etiam pro solida & non vulgari eruditione, quam complectuntur, tantam lucem iis, quæ ad vniuersum Ius Canonicum pertinent, afferunt, vt maximo adiumento futura sint ad perspicuam illorum intelligentiam, ideóque publico Ecclesiæ, & priuato Iuris Canonici studiosorum bono intersit, ea quamprimùm prælo mandari; in quorum fidem subscripsimus, Tolosæ pridie idus Decembris, anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quarto.

G. DE PELISSIER, *Sacræ facultatis Theologiæ Professor Regius, & Decanus.*
F. SIMPLICIANVS, *Professor Regius, Augustinianus.*

TITVLORVM QVINQVE Librorum Compilationis Honorij III. PP. Index Alphabeticus.

A

DE

C

D

E

F

H

I

Errata quæ irrepserunt in quintam Compilationem.

Pagina, 13. de primicerij, lege, *de primicerio.* p. 14. lin. 26. vocatur, leg. *vocantur.* p. 30. lin. 33. qui hic leg. *qui huc.* p. 30. lin. 6. Bernardus Papiensis leg. *Laurentius.* p. 35. ἰξοφθαλμὸ leg. ἰξοφθαλμοι p. 48. lig. 34. quæ Abbati, leg. *Abbatia.* p. 53. lin. 8. Cardinalis leg. *Cardinali.* p. 145. lin. 23. Epist. adde 485. *Ead. Lin.* Lingonensi leg. *Eboracensi.* p. 153. lin. 4. dele *nam.* ibid. hæc peregrinatio leg. *hanc peregrinationem.* ead. lin. προσηγιεσμοι, leg. προσηγιεσμὸν. p. 196. lin. 2. exigeres leg. *exigere.*

ELENCHVS TITVLORVM DECRETALIVM GREGORII NONI,
Secundum ordinem alphabeticum.

FINIS.

EXTRAIT

DV PRIVILEGE DV ROY.




OVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amés & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres de Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien-amé Pierre Boſc Marchand Libraire de noſtre bonne Ville de Toloſe, nous a fait dire & remonſtrer quil a recouuré vn Liure intitulé, *Innocentij Cironij, Eccleſiæ & Academiæ Toloſanæ Cancellarij, Opera in ius Canonicum*, qu'il deſire faire imprimer, vendre & debiter, mais il craint que quelques autres ne le vouluſſent contrefaire, ce qui luy cauſeroit vn notable dommage. C'eſt pourquoy il nous a bien-humblement requis nos Lettres. A ces cauſes, deſirant fauorablement traiƈter ledit expoſant, Nous luy auons permis & permettons par ces preſentes, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Liure, en tel volume, marge, & caraƈtere que bon luy ſemblera, durant le temps & eſpace de dix ans finis & accomplis, du iour qu'il ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois, faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, de l'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter en tous les lieux de noſtre obeïſſance, meſme aux forains ou eſtrangers, d'en apporter ou enuoyer en quelque façon ny maniere que ce ſoit en cettuy noſtre Royaume, ſans le conſentement dudit expoſant, ſous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, ou en quelque autre ſorte ou maniere que ce ſoit, à peine de trois mil liures d'amande par chacun des contreuenans; ſçauoir vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hoſtel Dieu de noſtre bonne ville de Paris, & l'autre tiers audit expoſant, confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous deſpens dommages & intereſts, à condition qu'il ſera mis deux exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique, & vn autre en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles nous vous mandons faire jouyr & vſer plainement & paiſiblemẽt ledit expoſant & tous autres qui auront droit de luy, ſans qu'il luy ſoit donné aucun trouble ny empeſchement. Voulons auſſi qu'en mettant à la fin ou au commencement dudit Liure, vn extrait des preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée, & aux copies collationnées par vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des preſentes

toutes saisies & exploits necessaires, sans demander aucune permission : Car tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, ou autres lettres à ce contraires. Donné à Paris, le 16. iour de Septembre, l'an de Grace mil six cens quarante cinq. Et de nostre Regne le troisiesme. Signé par le Roy en son Conseil, CRAMOISY. Et seellé du grand seel en cire jaune, sur simple queüe.

Ledit Pierre Bosc a transporté la moitié de sondit Priuilege à Arnaud Colomiez.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le 15. Octobre 1645.



QVINTA COMPILATIO DECRETALIVM, CVM NOTIS.

TITVLVS I.

De Constitutionibus.

HONORIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM Dei, dilecto filio, Magistro Tancredo, Archidiacono Bononiensi, salutem, & Apostolicam benedictionem.

CAPVT I.

NOVÆ causarum emergentium quæstiones nouis exigunt decisionibus terminari, vt singulis morbis, competentibus remedijs deputatis, ius suum cuique salubriter tribuatur. Licet igitur à quibusdam prædecessoribus nostris, per ea quæ suis temporibus sunt decisa, forma futuris negotijs prouidè sit relicta: quia tamen prodiga rerum natura, secundum varietates multiplicium casuum, parit quotidiè nouas causas; nos quasdam Epistolas Decretales super his, quæ nostris suborta temporibus, per nos, vel fratres nostros decidimus, vel etiam alijs de ipsorum consilio commisimus decidenda, compilari fecimus; & tibi sub Bulla nostra duximus destinandas: quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eis solenniter publicatis, absque vllo scrupulo dubitationis vtaris, & ab alijs recipi facias, tam in iudicijs, quàm in scholis. Non ponitur.

ONORIVS III. successor Innocentij III. in multis ipsum imitatus, Epistolas edidit Decretales decem libris comprehensas, iuxta numerum decem annorum quibus Ecclesiam rexit, & contra hostes sedis Apostolicæ feliciter defendit: sicut fecit Innocentius III. qui iuxta sexdecim annos sui pontificatus in totidem libros suas Epistolas digessit. Quidam existimant Tancredum, de quo hîc agitur, Archidiaconum Bononiensem, iuris professorem eximium, Honorij iussu hanc Compilationem edidisse, inter quos fuit Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis: contra cuius sententiam facit prima Constitutio huius cōpilationis, quam ad ipsum Tancredum dirigit Honorius, additque se Epistolas Decretales compilari fecisse, quas postea sub Bulla ipsi Tancredo destinauit, vt tā in iudicijs, quām in Scholis eis vteretur, & ab alijs recipi faceret. Scio quibusdam visum fuisse, quamuis id Honorius scripserit, non tamen inde sequi quin Tancredus ipse collector fuerit. Huius opinionis nullam coniecturam video. Nam quamuis Iustinianus Triboniano iuris ciuilis collectionem exsequi mandauerit, ex ipsa tamen constitutione ad eundem Tribonianum dilucidè constat, Iurisconsultorum diuersa responsa & volumina congerendi negotium demandasse; quod Tancredo delatum non agnoscitur. Ratio verò cur Honorius iubeat Tancredo hanc constitutionem Bononiæ publicare est, quia Potestas & populus Bononiensis sese iunxerat fœdere cum Othone Imp. Ideò Innocentius III. sub pœna excommunicationis & Scholarum translationis desistere iubet populo Bononiensi *Epist. 79. lib. 2.* qua in pertinacia contra sedem Apostolicam remanserat, licèt antea Otho ab Innocentio III. depositus, & in eius locum suffectus Fridericus fuisset.

Honorius Papa III. Bononiensi Episcopo.

CAPVT II.

Ouerit Fraternitas tua, quòd Nos in Basilica principis Apostolorum, præsente Reuerendissimo in Christo filio nostro, illustri Romanorum Imperatore & semper Augusto, in celebratione Missarum, postquàm capiti suo imposuimus Imperij diadema, de consensu fratrum nostrorum [a] accensis candelis, excommunicauimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque Apostolorum Petri & Pauli, & nostrâ, omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorum; nec non & qui de cetero seruari fecerint [b] statuta edita, & consuetudines, vel potiùs abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem, & nisi ea de [c] Capitularibus infra duos menses, post huius publicationem sententiæ, fecerint amoueri. Item excommunicauimus statutarios, & scriptores statutorum ipsorum, necnon Potestates, Consules, & Rectores, & Consiliarios locorum, vbi de cetero huiusmodi statuta, vel consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ: necnon & illos qui secundùm ea Capitularia præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

HÆC Constitutio scripta est Episcopo Bononiensi, Henrico *dalla Fratta*, & quæ refertur in *cap. Nouerit.49. de sent.excommun.* in qua tamen nulla fit mentio Friderici. Huius Episcopi Bononiensis intererat bona Ecclesiæ suæ confirmari, quorum ius in dubium reuocabatur, vt scribit Abbas Vrspergensis, & ipse Honorius *epist.* 572. qui vt refert Bzouius *ad ann.* 1218. *num.* 11. consuetudines contra libertatem Ecclesiæ à Bononiensibus, Spoletanis, Narniensibus, Ferrariensibus, Villæ Medianæ, & Montis Falisci ciuitatibus temerè editas, concessiones quoque, ac donationes patrimonij sancti Petri irritas esse decreuit. Ciuitas equidem Bononiensis, & ferè omnes ciuitates, quę ad Ecclesiam pertinent, rebellarāt, & vexillum in quo maiusculis litteris erat descriptum, LIBERTAS, fecerant, vt refert Anonymus *in vita Gregorij XI.* edita per C. V. Franciscum Bosquetum, ex Bibliotheca Fuxensi. Othone vero Imperatore mortuo, Fridericus imperium ab Honorio per Abbatem Fuldensem Romā missū impetrauit, tum deinde inunctus est, & coronatus eâ conditione, vt libertatibus Ecclesiæ restitutis, inuestituris & electionibus Episcopatuum renunciaret, terrásque in Siciliâ iuris Ecclesiastici redderet.

a CANDELIS ACCENSIS.] Nec id apposuit Raimundus in *dicto cap Nouerit.* quibus verbis tangit formam & modum maioris excommunicationis, de qua Matthæus Paris sub Celestino II. anno 1143. & Concilium Lemouicense II. Quæ quidem refertur in *can. debent.*11. *q.*3. Idémque obseruauit Innocentius IV. aduersus eundem Fridericum II. in Concilio Lugdun. IV. & anteà Alexander III. cùm ageretur de pace inter ipsum & Fridericum Ænobarbum: *Papa excommunicauit eos qui pacem infringebant; & sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine priuentur: cúmque candelæ essent proiectæ de manibus, Imperator alta voce cum alijs fiat, fiat, exclamauit*, vt refertur in Chronico Romualdi Salernitani. Vide quoque Cæsarium *lib.* 2. *cap.* 9. de Lupoldo Vvormatiæ Episcopo, qui eò dementiæ venit, vt sicut fautor Philippi in diuersis locis Innocentium III. ardentibus candelis excommunicaret.

b STATVTA ET CONSVETVDINES.] Similiter scribit Honorius Episcopo Ferentino, & conqueritur de statutis à populo Pisano editis, quæ sub pœnâ excommunicationis è Capitularibus ciuitatis eradi iubet in *cap. grauem, infr. de sent. excom.* quamuis anteà fuissent correcta à Legatis Apostolicæ sedis à Celestino III. missis, & quę sinè dubio Pisani in priorem statum contra Ecclesię libertates restituerāt, vt clarè patet ex *Epist.* 559. Innocentij III. *ad Archiep. clerū, & ciues Pisanos, lib.* 1. *Registri.*

c CAPITVLARIBVS.] Capitularia sunt libri ciuitatū, quibus decreta, statuta, & consuetudines inseruntur; & ita Glossa interpretatur rectè apud Gregor. Vox est noua, vt quidam existimârunt. Capitula tamen & Capitularia pro eodem sumi promiscuè notat Lexicon Papiæ, & probatur ex *cap.* 143. *lib.* 1. *Capitular. Caroli Magni*: *Per Capitula nostra in toto regno mandauimus*, Tomo 2. Conciliorum Sirmondi, *tit. de Synodis, & de Capitularibus quæ in ijsdem edita feruntur.* Iuo Carnot. *Epist.* 171. librum Capitulorum regalium citat: Alij *Capitulum* cum *Capitolio* confundunt: Palladius de monachis Ægyptijs, τὰ καπιτώλια τῶν μοναχῶν vocat, Itali *Capitol*, & inde Consules Tolosani sub *Capitolinorum*, &, *Capitularium* nomine passim in veteribus actis reperiuntur.

Fredericus Imperator, cunctis quos Clementia nostræ regit imperium.

Cl. LaLS. [illegible] 11. a9 [illegible] III [illegible]

CAPVT III.



AD honorem Dei omnipotentis, & Ecclesiæ sanctæ Dei, die quo de manu sacratissimi Patris nostri Honorii III. Summi Pontificis, suscepimus Imperii diadema, leges edidimus, quas præsenti paginâ fecimus annotari. a Hâc edictali lege irritamus, & præcipimus Non ponitur.

irrita nuntiari omnia statuta & consuetudines, quæ ciuitates vel loca, Potestates, Consules, vel quæcumque aliæ personæ contra libertates Ecclesiæ, ac personas Ecclesiasticas edere, vel seruare tentarunt, aduersùs Canonicas vel Imperiales sanctiones; & ea de Capitularibus suis mandamus infra duos menses post huius publicationem edicti penitus aboleri, & si de cetero similia attentauerint, ipso iure decernimus esse nulla, & eos suâ iurisdictione priuatos; nec non locum vbi deinceps talia præsumpta fuerint, banno millè marcharum præcipimus subiacere. Potestates verò, Consules, Rectores, statutarii, & scriptores dictorum statutorum, necnon Consiliarii locorum ipsorum, & qui secundùm statuta & consuetudines memoratas iudicauerint, sint extunc ipso iure infames; quorum sententias, & actus alios legitimos statuimus aliquatenùs non tenere: qui si per annum huius nostræ Constitutionis inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum Imperium mandamus impunè ab omnibus occupari, saluis omnibus nihilominùs aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis.

IN hac Compilatione adiecta est Constitutio Friderici, quam laudauit & confirmauit Honorius, vtpotè in vtilitatem omnium Christianorum editam, quâ exsequitur sibi ab ipso Honorio præscripta; cuius pars refertur in *auth. cassa. C. de sacros. Eccles.* & alibi: lata est præcipuè contra Hæreticos Gazaros, Patarenos, Leonistas, & alios, *auth. Gazaros, C. de Hæretic.* atque etiam contra ciuitates, Potestates, & Consules, à quibus Ecclesiæ libertates infringebantur. Et licèt quædam statuta æquitate iuris nitantur, quia tamen citra Ecclesiæ autoritatem condita sunt, nullius sunt momenti, *cap. Ecclesia. de constitut.*

a Hac Edictali] Edictum, vel lex Edictalis idem est, quæ omnes populos adstringit, *l. 3. C. de legib.* Hanc citò legem Fridericus contempsit, & ingratus contra ipsum Honorium ceruices erexit, ac post contra Gregorium IX. & postremò contra Innocentium IV. qui eum in Concilio Lugdunensi IV. solenniter excommunicauit, idque exemplo Friderici Ænobarbi patris sui, qui pacem cum Alexandro III. initam ruperat. Tantum verò odium fuit dicti Friderici II. aduersùs Ecclesiam, *vt primogenitum suum Henricum in carcerem posuerit: & hoc vt aliqui dicunt* (refert Ptolemæus Lucensis in Genealogiis) *quia Henricus fauebat Ecclesiæ, quam dictus Federicus persequebatur, in quo carcere decessit.*

Capitulo Constantinopolitano.

Capvt IV.



VT præteritæ cōtentionis decisâ materiâ, futuris litigiis occasio amputetur, præsenti authēticâ statuimus, vt expensæ necessariæ, quas Capitulum Constantinopolitanum, vel eius Nuntij, vacāte sede, pro electionis negotio fecerint, de bonis Patriarchatus fiant totaliter, vel reddantur, dummodò ipsi bona decedentis Patriarchæ non occupent, vel vsurpent.

HOc Caput scriptum est Capitulo Constantinopolitano. Honorius præteritam contentionem circa electionem Patriarchæ tangit. Verba, *Præteritæ contentionis*, &c. omissa sunt à Raimundo *in cap. 45. de elect.* Post obitum Thomæ primi Patriarchæ anno 1211. magna & longa dissensio fuit inter Capitulum Ecclesiæ Constantinop. & Venetos, ac alios qui ius electionis prætendebant. Lis autem inter Archiepiscopum Heracliensem, vt vult *cap. 6. Compilationis* 4. (non Eradiensem, vt est in Editione Gregorii) & L. Plebanum sancti Pauli Venetiis. Imò inter alios plures tumultuariè electos fuit, vt docet Innocentii III. Registrum pluribus locis; in fauorem tamen cuius decisa fuerit non inuenitur. Illustris Apamiensis Episcopus ad annum 18. Innocentii III. *nu.* 12. vult neminem ex illis electum fuisse, sed alium quempiam nomine Matthæum, ex eo quòd Robertum Imperatorem quinquennio post à Matthæo Patriarcha coronatum fuisse referat ex quodam Chronico M. S. cuius tamen nulla mentio inter Patriarchas Constantinopolitanos fit à Chronologis. Imò ab anno 1222. quo Robertus Imperator Constantinopolitanus receptus fuit, nullum alium præter Germanum II. vsque ad Methodium sub Balduino Imperatore Patriarcham fuisse comperimus.

a DVMMODO.] Bona decedentis Episcopi à Capitulo futuro Episcopo reseruari debent, custodia enim clero, siue Capitulo datur; *Can. hac huius.* 12. *q.* 2. aut si clerus, vel Capitulum non sit, Metropolitanus curam habet, *Can non liceat. ead.* vel potiùs Oeconomus constituitur, *cap. cùm vos.* in 1. *Compilatione. de offic. & potest. prælat.* & *extra. eod.* siquidem in omnibus Ecclesiis Oeconomum præfici decreuit Concilium Chalcedonense, in *Can. quia in quibusdam.* 89. *d.* ὥστε μὴ ἀναμάρτυρον εἶναι τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας.

---

a Episcopo & Cantori Cabilonensi, & b Abbati de Firmitate, Cabilonensis Diœcesis.

CAPVT V.

EX parte venerabilis Fratris nostri c Episcopi Eduensis fuit propositum coram nobis, quòd Canonici Eduenses propriis commodis inhiantes, d præbendarum numerum ab antiquo in Ecclesia Eduensi statutum, licèt non sint eius diminuti redditus, restrinxerunt, vt sic in temporalibus magis abundent, dum ea, de quibus valet sustentari Canonicorum numerus consuetus, tali prætextu nituntur in augmentum conuertere præbendarum: & in facti sui tuitionem, super hoc confirmationis à nobis dicuntur litteras impetrasse in communi forma. Nolentes igitur diuini numinis cultum huiusmodi occasione in Ecclesia ipsa diminui, sed potiùs augmentari: discretioni vestræ mandamus, quatenùs si præmissis veritas suffragatur, antiquum numerum facientes autoritate nostrâ seruari, præbendas quas à tempore vltimi statuti inueneritis in Ecclesia memorata vacantes, non obstante aliquâ constitutione super hoc à Canonicis ipsis factâ, vel confirmatione huius à nobis ab eisdem obtentâ, personis idoneis cum consilio eiusdem Episcopi, sublato appellationis obstaculo, conferatis.

a CABILONENSI EPISCOPO.] Durando, vel Duranno, qui sedit ab anno 1213. vsque ad annum 1225. & sepultus est in Ecclesia Firmitatis. Durannum vocat Honorius noster in rescripto M. S. apud Seuertium in Rainaldo Archiepiscopo Lugdunensi.

b ABBATI DE FIRMITATE.] Hugoni, vel Petro. Abbatia ista est ad Gronam, vulgò, *La Ferté sur Grone*, fundata in diœcesi Cabilonensi, anno Christi 1113.

c EPISCOPI EDVENSIS] Gualteri secundi 56. Episcopi Eduensis, qui vixit vsque ad annum 1223. vel Guidonis Vergeyi 57. Episcopi. Verisimile tamen est hunc esse Galterum 2. qui valdè pius erat, & in expeditione Saracenica, & aduersùs Albigenses fuit, & qui anno 1221. confirmauit numerum 30. Canonicorum in Ecclesia Belnensi.

d NVMERVM PRAEBENDARVM.] Clericorum numerus nec augeri, nec minui debet absque rationabili causa, *cap. cùm Martinus. eod.* Debet esse certus, *cap. quoniam. de vita & honest.* sub eadem matricula, ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, Id est, *ex matricula Sacerdotali* Can. 7. *Apostol.* sub eodem habitu, quem Nouellæ Iustiniani τὸ ἅγιον σχῆμα vocant. Saluianus, *sancti nominis habitum*. Ratio autem huius cap. congruit cum Nouella 3. quæ est de numero Clericorum in Ecclesia Constantinopolitana, quos sub eodem schemate viuere iubet. Cauendum ne fiat numerus vltrà facultates Ecclesiæ, *cap. 2. de institut.* in 2. *compilatione*, ne penuria vagari cogat. *Can.* 118. Concil. Aquisgran. sufficit vt numerus statutus compleatur. *cap. in Ecclesia, de institution.*

a *Abbati, & Conuentui Monasterij Dolensis.*

CAPVT VI.

Non ponitur.



CVM olim super petitione prouentuum Ecclesiarum in quibus vestrum Monasterium ius obtinet facienda, inter Priores, & Capellanos ipsarum, Bituricensis Diœcesis, quæstio coram felicis memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro fuisset diutiùs exagitata; tandem ipse huiusmodi quæstionem sopiens prouidendo determinauit, quid Priores, quídve perciperent Capellani, sicut in eius litteris factis super prouisione huiusmodi euidenter apparet. Sed quidam Capellani Ecclesiarum ipsarum, occasione statuti Concilii generalis, quo dicitur, vt prouisio congrua per parochialium Ecclesiarum Presbyteros, non obstante patroni consuetudine assignetur, prouisionem eandem, sicut asseritis, infringere moliuntur. Quum ergo generali statuto non tollatur prouisio specialis, nos de consensu Fratrum nostrorum prouisionem iam dictam auctoritate Apostolicâ roborantes, districtiùs inhibemus, ne quis illi occasione prædictâ contraîre præsumat.

a ABBATI, ET CONVENTVI DOLENSI.] Dolēse, vel Burgidolense celebre Monasterium Diœcesis Bituricensis, Ordinis sancti Benedicti ad Angerim, vel Indrum, vulgò *Bourdeols*, vel, *Bourgdieux*, fundatum ab Ebbone sub Carolo Simplici. Author vitæ sancti Genulfi *cap. 7. lib. 2.* in Biblioth. Floriac. Iuo *Epist.* 78.

De Iure Patronatus Ecclesiarum quarumdam Diœcesis Bituricensis lis diu exagitata inter Priores & Capellanos siue Rectores, quos *Sacerdotes Parochiales* vocat Innocentius III. in *cap. exstirpandæ 30. de Præbend.* ac Abbatem & Conuentum Dolensem coram

dicto Innocentio fuit, vt ipse Honorius notat: Ecclesiarum nempe sancti Germani, & Mariæ Paruæ in Burgo dolensi iuxta ciuitatem Bituricensem, in quibus præsentationem Capellanorum pertinere respondet Innocentius *Epist*.124. *lib*.3. Nec solùm contentio erat inter Abbatem & Conuentum ex parte vna, & Priorem & Capellanos ex alia; sed etiam inter Priores & Capellanos, propter Ecclesiarum temporales prouentus, & congruam portionem, pro quibus Prior coram Abbate, Capellanus coram Archiepiscopo respondebit, vt in dicta Epistola continetur. Nec tamen sub Innocetio lis omnino decisa fuerat, quippe Capellani, seu Presbyteri propter exiguam portionem conquerebantur, fauente eis Concilio Lateranensi sub eodem Innocentio *Can*. 32. qui refertur in *dicto cap. exstirpandæ*. Et hic ratio singularis contra Capellanos affertur, nempe consuetudinis contra ius generale, quod speciali non derogare respondet, in fauoris singularis erga Dolense Monasterium testimonium; quod vulgare non est: maximè quia in *dicto can*. 32. Innocentius omnem consuetudinem contrariam cōdemnat. Sic hoc Monasterium magnis priuilegiis ditatum videmus ab eodem Innocentio *Epist*. 141. *eiusdem libr*. quæ non censentur abrogata per legem generalem, *cap. sanè. de priuileg*. quia tamen aliquatenùs damnosa videntur, Raimundus hoc cap. in sua compilatione omisit.

Potestati, & populo Paduano.

CAPVT VII.



Sicut est nostris auribus intimatum, primò, reuerentiâ diuinarum & humanarum constitutionum posthabitâ statuistis, ne quis super decimis respondeat coram iudicibus à sede Apostolica delegatis; ac demum, quia super talentum plumbi sedens iniquitas semper de malo in deterius corruit, adiecistis, vt nisi Episcopus & Clerus ciuitatis vestræ, intrà quadraginta dies, postquàm is quem contigerit in vestrum Rectorem assumi, regimen ipsius ciuitatis iurauerit, se vestris obligauerint constitutis, ex tunc eis ipsa statuta non prosint, nec eos banna publica tueantur: excogitatâ malitiâ id agere satagentes, vt si se statutis huiusmodi alligauerint, Ecclesiasticæ libertatis expertes, publicis oneribus mancipentur vt laici; si verò se illis noluerint obligare, pateant periculo personarum & rerum, vtpotè à beneficio publicæ defensionis exclusi. Certè vix possumus credere diabolicas adinuentiones huiusmodi à vobis, quos de fidei puritate toties commendari audiuimus, processisse. Non nos fallit opinio quòd aliquis extraneus his temporibus regimen vestræ ciuitatis obtinuit, qui secum afferens fermentum hæreticæ prauitatis, illo vestræ sinceritatis azyma fermentauit. Monemus ergo Vniuersitatem vestram, rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, & per Apostolica scripta mandamus, quatenùs huiusmodi morbo dum nouus est, salubriter occurrentes, nec patientes maculam tam grandem, támque saluti vestræ contrariam in gloria vestra poni, prænotatum statutum, quod diuino & humano iuri obuiare cognoscitis, infra xv. dies post susceptio- Non ponitur.

nem præſentium de Capitularibus veſtris penitus abradatis, illo, vel ſimili de cetero non vſuri.

[a] POTESTATI, ET POPVLO PADVANO.] Pleræque ciuitates Italiæ, excuſſo Imperij iugo, ſibi Duces & Prætores conſtituerant, quos *Podeſtà* Italico verbo vocabant, inter quas fuit Patauium. Inde frequens mentio apud Auctores illius ſeculi, vt apud Innocentium III. & Clementem IV. Hanc vocem Græci recentiores ſibi propriam fecerunt. Gregoras *lib.* 5. *cap.* 7. Codinus *de offic. aulæ Conſtantinop.* Curopalates vocat ποτεσάτος Γενουΐτων, *Poteſtas Genuenſium.* Magiſtratus hic, qui alijs *Conſul*, vt Piſanis nominatur, à Venetis λυπαΐλος, id eſt, *curator*, vt notat idem Gregoras *lib.* 4. vocatur, *Podeſtà*, eò quòd ſumma iuriſdictio penès hunc ſit conſtituta. Sumitur & pro omni Magiſtratu publico, quē *Poteſtatem ſummam* etiam vocat Saluianus *lib.* 5. *Poteſtatem terrenam*, *can. ſacerdotibus*, & *Can. magnum* 11. *q.* 1. *Cognitorem ſæculi*, *can. ſi quis ex fratribus*, *ead.* ſic quoque forum ſeculare vnico nomine, *Curia*, vulgo dicebatur, *Can. ſi quis ſacerdotum*, & paſſim, *ead.*

Honorius conqueritur in hoc cap. quòd ad regimen ciuitatis, quendam hæreticæ prauitatis ſuſpectum aſſumpſerint, & illis iniungit, vt ſtatutum diuino & humano iuri contrariū è Capitularibus tollere infra quindecim dies procurent: ſuſpectus erat admodùm populus Patauinus Eccleſiæ Romanæ ob multa beneficia quibus ſe Friderico II. deuinctum eſſe exiſtimabat. Namque illic Imperator diutiùs ſedem fixerat, & conſtitutiones multas ciuitati perutiles ediderat, vt Epiſcopus Apamiēſis, *ad ann.* 1224. *cap.* 1. annotauit; etiam contra hæreticos, vt conſtat ex *Epiſt.* Petri de Vineis 25. *lib* 1. Imò inſigne Gymnaſium Bononienſe Patauium tranſtulerat, eò quòd Bononienſes ad obedientiam Honorij propenſiores eſſent. Patauini ſoliti fuere res Eccleſiaſticas nihili pendere, ſic anno 1282. Senatus Patauinus (Ancianos vocat Clemens IV.) vno tantùm denario, quem *Groſſum* vocant, miniſtros Eccleſiæ ęſtimauit, cùm ſanxit, vt ſi quis clericum interficeret, vnico groſſo teneretur, vt ſcribit Iacobus Cauaccius *lib.* 3. *Cœnobij ſanctæ Iuſtinæ.*

---

[a] *Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

CAPVT VIII.

Non ponitur.



EX parte venerabilis f. n. [b] Suanenſis Præpoſiti, & quorumdam aliorum Canonicorum Nouarienſium, fuit auribus noſtris intimatum, quòd cùm in ipſorum Eccleſia per te auctoritate noſtrâ fuit ſtatutum, vt ſit [c] certus numerus ſacerdotum, ità quòd ſi locum ſacerdotis vacare contingeret, non ſubſtitueretur alius quàm ſacerdos, vel talis, qui [d] citò in ſacerdotem promoueri valeret, & Nos ſtatutum huiuſmodi poſtmodùm duximus confirmandum: nuper bonæ memoriæ A. Cantore Nouar. qui ſacerdos fuerat viam vniuerſæ carnis ingreſſo, cùm vellent ad præbendam ipſius, inhærentes ſtatuto huiuſmodi, eligere ſacerdotem, & ſic conueniſſent in Hugonem Miſſum, virum vtique vitæ laudabilis, & conuerſationis honeſtæ, qui cùm ſit diaconus citò poſſit ad ſacerdotium promoueri, Venerabilis f. n. Nouarienſis Epiſcopus Iô. nepotem ſuum, aliàs magnis redditibus abundantem, conſtitutum in minoribus Ordinibus, occaſione cuiuſdam receptionis olim factæ de ipſo à quibuſdam Concanonicis eorū-

dem

dem, inuestiens de nominata præbenda, eum fecit autoritate propriâ in ipsius possessionem induci; & vt eis volentibus sacerdotem eligere viam præcluderet eligendi, eos si ad electionem procederent interdixit; propter quod cùm eligere non audeant, sedis Apostolicæ remedium implorârunt. Cùm igitur non prosit statuta in Ecclesijs fieri, si ea, maximè vtilia, non seruentur, Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs his non obstantibus, quæ per prædictum Episcopum taliter sunt præsumpta, facias ad præbendam dicti Cantoris per eos ad quos ius eligendi spectare dignoscitur, idoneum eligi in diaconatus, vel sacerdotij ordine constitutum.

a ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.] Henrico Settario Mediolanensi, 95. Archiepiscopo, ex Basilicæ Metropolitanæ Cymiliarcha, in maxima cleri dissensione ab Honorio nostro creato, vt referunt Acta D. Caroli Borromei.

b SAONENSIS PRAEPOSITI.] Sic in vno M. S. in alio, Episcopi. lege, Suanensis: Suana apud Ptolemæum *lib. 3. cap.* 1. hodiè nomen retinet, & subest Archiepisc. Senēsi in Thuscia, tēpore Honorij III. erat in prouincia Romana.

Statutum erat Nouariensis Ecclesiæ suffraganeæ Mediolanensis (*de Nouarre en Lombardie*) vt esset certus numerus Canonicatuum, seu Præbendarum sacerdotalium, iuxta *cap. in Ecclesia. de institut.* Habet vnaquæque Ecclesia suas leges pro locorum & consuetudinum varietate, *can. Catholica. d.* 11. in his scilicet de quibus nihil certi diuina Scriptura statuit, *can. in his, ead.* præsertim si Apostolicâ autoritate fuerint firmatæ.

c CERTVS NVMERVS SACERDOTVM.] Quibusdam præbendis annexum est sacerdotium. De his in *cap. dilecto. de testib. cap. constitutus. de concess. prebend.* alijs Diaconatus, alijs Subdiaconatus *Epist.* 275. *lib.* 1. Innocentij III. aliis nullus ordo annexus est, *cap.* 27. *de prebend. in* 6. Innocentius *epist.* 177. *lib.* 1. &, *epist.* 21. *lib.* 14. & illi cogendi sunt ad ordines, *cap. cùm in cunctis. §. inferiora. de ætat. & qualit.* hi verò minimè: licèt alias disputatum fuerit, an omnes Canonici generaliter, vbi non ligantur statuto, ad ordines sacros promoueri debeât. Glossa *in cap. queris. de ætat. & qualit.* dubitat, & tandem concludit cogendos eos esse, quoties vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ exigit, non alias, *can.* 1. 2. & *can. Vbi,* & *can. Vlt.* 74. *d.* Addit dictum *cap. Queris,* aliud quod est vnicum, & iuri contrarium; per beneficiorum amissionem eos esse cogendos: & ex his probatur verum esse, quod Tancredus annotauit ad finem tertiæ Compilationis, hoc, & alia quædam capitula, quæ Raimundus suæ compilationi adtexuit, spuria esse, & nunquam ab Innocentio III. edita; erat enim magnus Iurisconsultus, idque ex eius proprio ore se accepisse refert. Concilium Tridentinum *can.* 12. *sess.* 24. vltra progreditur, & dimidiam Canonicorum partem ad sacerdotium, alteram ad Diaconatum, vel subdiaconatum adstringit, sub pœna amissionis fructuum præbendarum, non verò beneficij, quod tamen vsu receptum fuerat: imò Declaratio Cardinalium addit, *quamuis ordo sacer sit annexus Canonicatibus & prebendis, eum qui promoueri neglexerit, priuari quidem Voce Capituli, sed non distributionum quotidianarum perceptione.*

d CITO.] Honorius verbum *citò*, interpretatur latè sumptum, non in puncto temporis, in momento, in articulo, ἐν ῥοπῇ vel, vt ait Pollux, ὡς τάχιστα, quam celerrimè, sed ἐν πλάτει pro latiore temporis spatio, *l. penult. de condict. triticaria.* Nam celeriter, antequàm aliquod damnum contingat, interpretatur glossa in *cap. presbyterorum, de reb. Eccles. alien.* & pro biennio sumitur in *cap. potuit. de locato.* Ita etiam verbum, *mox*, cum temperamento accipitur, veluti ad triduum, *l. cùm specialis. C. de iudicijs. l. si Vbi. C. de error. Aduoc.* vel ad decem dies in *l. promissor. de constit. pecun.* vel infra triginta dies Accursio, *in auth. de mandat. princip. §. sed & suscipientes.* vel cum primùm facultas se obtulerit. *l.* 2. *§. item confestim. ad Trebell.* Quandoque vsque ad annum in *can. puellæ.* 20. *q.* 2. quod est frequentius, & in ius certum transijt, nempe vt qui ad sacerdotium promoueri statim teneantur, annum tamen habeant, *cap. licèt canon, de elect. in* 6.




TITVLVS II.

De Reſcriptis.

Abbati, & Priori ſancti Proiecti, & I. de Villa Vuad. [a] *Canonico Sancti Quintini, Nouiomenſis.*

CAPVT I.



APITVLI ſanctæ Crucis Cameracenſis exhibita nobis petitio declarauit, quòd [b] Reuardo clerico Nouiomen. Diœceſis ſuper præbendali beneficio in eorum Eccleſia obtinendo, noſtras ad eos monitorias, & demum præceptorias litteras impetrante, Balduinus clericus Tornacen. diœceſis contra eos ſuper conſimili beneficio in eadem ſibi Eccleſia conferendo ad [c] I. Archidiaconum Tornacen. & eius collegas, de prædictis litteris non habitâ mentione, executorias à nobis litteras impetrauit, qui poſt appellationem ad nos interpoſitam in eos ſuſpenſionis ſententias protulerunt; ac dictus R. ſuper executione mandati noſtri pro eo facti, ad Scholaſticum ſancti Quintini Nouiom. diœc. & coniudices eius, obtinuit ſcripta noſtra, qui tulerunt ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias in eoſdem. Vnde nobis humiliter ſupplicârunt, vt quum in eadem Eccleſia duodecim tantummodò ſint præbendæ, & ob hoc non ſinè magno grauamine ſimul prouidere poſſent, vtque faceremus eaſdem ſententias relaxari, & prouideri eorum alteri in eadem Eccleſia de præbenda: præſertim cùm in vtriuſque litteris clauſula illa contineretur inſerta, *niſi eadem Eccleſia de mandato noſtro foret in alterius receptione grauata.* Quocirca diſc. v. m. quatenùs eo recepto in Canonicum & in fratrem, aſſignatóque ſibi beneficio præbendali, qui ad eos prius Apoſtolicum mandatum reportauit, præfatas ſententias iuxta formam Eccleſiæ, ſublato appellationis obſtaculo relaxetis, alteri ſuper præbendali beneficio in eadem Eccleſia ſilentium imponentes.

INſcriptio huius Cap. oſtendit quàm falſa ſit illa quæ eſt in editione Decretalium Gregorij, *cap. 50. hoc tit. Epiſcopo Legionẽſi*, aliàs, *Leodienſi*, vtraque nullo pacto cõgruit. Huius correctioni multi perperã inſudarũt. Vera inſcriptio in duobus M.SS. *Abbati & Priori, vel Priori ſancti* Proiecti, *& I. de Villa Vuade Canonico ſancti Quintini Nouiomenſis*. Abbatia S. Proiecti, Ordinis S. Benedicti, Nouiomenſis diœceſis, in ſuburbio ſancti Quintini. Vide Chronicon Cameracenſe *lib. 3. cap. 3.* Duo ſunt S. Proiecti; vnus martyr cum S. Thyrſo, in Martyrologio

Rom. & in Breuiario Toletano S. Isidori, alius Episcopus Aruernensis & martyr, qui & Preiectus vocatur ab Vsuardo, & à Sigeberto, in chron. anno 670. vulgò *S. Prix*. Dubium cui hæc Abbatia dicata.

a Canonico Sancti Qvintini.] Sancti Quintini Fanum præcipua olim Veromanduorum Comitum sedes, eiusdem Diœcesis Nouiomensis. Augusta Veromanduorum male credita a Iosepho Scaligero, in Notitia Galliæ; nihil enim restat ex hac ciuitate olim Episcopali (& translata Nouiomum à sancto Medardo 14. Episcopo Nouiomensi) quam Cœnobium & Abbatia insignis Ordinis Præmonstratensis inter Peronam, & sancti Quintini Fanum, hodiè nomen retinet *Vermand Abbaye*. Robertus Cœnalis, & P. Diuæus in *libello antiquitatum Belgij*.

b Raevardo.] Falsum est igitur quod scribit Raimundus de Callimacho.

c I. Archidiaconvm Tornacensem.] Malè Archiepiscopum Tornacensem a Raimundo. Tornacum non est Archiepiscopatus, sed Episcopatus suffraganeus Remensis; imo antiquitus Tornacum vnitum fuit Nouiomensi anno 528. sub D. Medardo vsque ad annum 1146. quo, procurante D. Bernardo proprius ei redditus fuit Episcopus, sexaginta annis ante Honorium nostrum. Buzelinus *l. b. 5. Annal. Gallo-Flandriæ*. Hunc Archidiaconum quidam existimant esse Iacobum Pantaleonem, qui deinde Patriarcha Hierosolymitanus, ac postmodùm Pontifex Max. Vrbanus IV. nuncupatus.

Hoc Capitulum magnam peperit contentionem inter Interpretes, & alias pro Cathedra vacante in nostra Vniuersitate Tolosana in argumentum publicæ disputationis per triduum, vt mos est, præscriptum fuit. Cuius ideò lubentiùs hypothesim propono, quòd omnes fere in hac parte peccarint, eo quòd huius antiquæ compilationis fidem non haberent.

Ræuardus, Clericus Nouiomensis Ecclesiæ, pro Præbenda obtinenda in Ecclesia S. Crucis Cameracensi, litteras monitorias ac præceptorias ad Capitulũ & Canonicos Cameracenses impetrat: postea Balduinus clericus Tornacensis pro eodem beneficio contra eosdem executorias litteras impetrauit ad Iacobum Archidiaconum Tornacensem, & eius collegas, seu Concanonicos scriptas, nulla facta mentione litterarum, quas Ræuardus obtinuerat. Nolentibus Canonicis Cameracensibus parere huiusmodi mandato, Iacobus & eius socius suspensionis sententiam in eos tulerunt, licèt iam ipsi ab executoriis litteris appellassent. Deinde Ræuardus prædicto facto, id est petitione sua, per litteras præceptorias & monitorias facta, ad Scholasticum sancti Quintini & coniudices pariter executorias ab Honorio impetrauit, qui quidem etiam sententiam suspensionis, & excommunicationis in eosdem Cameracenses Canonicos tulerunt. Vnde hi ad summum Pontificem recurrunt, & repræsentant duodecim tantummodo esse Præbendas in dicto Capitulo ex statutis iureiurando confirmatis; & ita sinè magno Ecclesiæ dispendio vtrumque, Ræuardum scilicet & Balduinum præbendam non posse obtinere. Rogantes insuper vt sententias excommunicationis & suspensionis reuocare dignaretur, eò quòd in vtrisque litteris expressum esset, ne Ecclesia Cameracensis in alterius receptione damnum sentiret. Ideò Honorius respondet, ei tantùm præbendam assignandam fore, qui prius mandatum reportauit, sublatâ etiam sententiâ excommunicationis & suspensionis.

Ex hac conclusione Honorij lis magna inter Interpretes exarsit, qui ferè omnes hæc verba: *qui ad eos prius mandatum Apostolicum reportauit*, interpretantur de eo qui primus iudicibus delegatis præsentauit; eo quòd verbum, *reportare*, pro, *præsentare* sumi videatur, vt colligitur ex *cap. ex parte 2. hoc tit. apud Gregor.* & ex cap. *suggestum. eod. in 1. compilatione. Cùm autem*, inquit, *persenserint illos rediisse, & litteras nostras reportasse*. Verumtamen pugnantiam *cap. ex parte, cap. constitutus, & cap. cæterùm. de offic. & potest. indic. deleg.* & aliorum similium tollere non erit difficile, si, *reportare*, sumatur pro, *obtinere*, vt sanè existimandum est. Nam in *l. etiamsi, Cod. mandati*, hæc verba, *contrariam sententiam reportauerunt*, sumuntur pro, *habuerunt*. & in *l. vlt. C. ad senatusc. Turpillian. reportare vindictam*, est, *obtinere sententiam* iuxta mentem senatusc. Turpiliani. Ita quoque Sipontinus Grammaticus interpretatur; nec hanc vocem barbaram esse vllus bene sentire potest. Tullius pluribus in locis, *Victoriam reportare*, pro, *referre*, ait. De his me monuit charissimus frater meus Præses Tolosanus. Cùm verò denotatur præsentatio, non, *reportare*, sed *apportare ad aliquem* dicitur, vt in *cap. 2. sup. in 1. Compilat.* vel potiùs *asportare*, vt est in

meo M.S. Bernardi Papienſis. Et ita manebit ius certum in beneficiis obtinendis, *vt qui prior ſit tempore, potior ſit iure*, & *data obtenti, non oblati reſcripti inſpiciatur. cap. eam te. de reſcript.* Hoc addo Honorium in hoc cap. tempus præſentationis non inſpicere, ſed quia Ræuardum prius mandatum obtinuiſſe ei conſtabat, in eius gratiam concludit; & ita non tam de iure, quod certum erat, quàm de facto reſpondit. Idque probat ex eo quòd Balduinus non factâ mentione literarum Ræuardi executorias falſa ſuggeſtione obtinuerat, quas nullius facit momenti, *cap. dilectus, de prabend.* & dicto *cap. ex parte.* Fauet & ſenſus horum verborum, *qui prius mandatum reportauit*, vt vox, *prius*, non ſit aduerbium, ſed comparatiuum, id eſt, *prius mandato Balduini, prius tempore.*

---

a *R. de Porta, & Magiſtris I. de Mand. Maioris Eccleſiæ & R. Sanctæ Mariæ Magd. Canonicis Morinenſ.*

Capvt II.

Non ponitur.



Eferente dilecto F. Metenſi b Scholaſtico, Nos noueritis accepiſſe quòd Magiſter VV. de Brimot, Lingon. Canonicus, nuper ſuper Scholaſtica Metenſi ad Priorem de Claromonte, & coniudices eius, Tullen. & Lingon. Diœceſ. c commiſſionis à nobis litteras pro Magiſtro G. de Burmet Met. Canonico, nunc Cantore Tullenſis Eccleſiæ impetrauit, ſolo in eis Metenſi Primicerio nominato, & illâ generali clauſulâ, *& quidam alij*, ſubſecutâ; cúmque procurator ipſius Primicerij d litteris contradixiſſet, idem præfatus Magiſter VV. coram Magiſtro e O. Capellano noſtro, tunc temporis litterarum huiuſmodi Auditore promiſit, quòd Primicerius ipſe non conueniretur vllo vnquam tempore per eaſdem; ſicut tam ipſius Auditoris, quàm præfati Magiſtri VV. f patentes litteræ manifeſtant: nunc autem prædictus Cantor auctoritate huiuſmodi litterarum conuenire conatur Scholaſticum memoratum. Quare idem nobis humiliter ſupplicauit, vt quum in hac parte manifeſta ſit malitia ſupradicti Cantoris, qui ſolâ eâ cauſâ primicerium nominauit, vt per ſubiectam clauſulam trahere poſſet in cauſam æquales ipſi Primicerio, vel minores, ipſum de huiuſmodi fraude non ſineremus commodum reportare. Quum ergo nemini patrocinari debeat fraus & dolus, diſc. v. m. quatenùs, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, prædictas litteras nuntietis nullius eſſe valoris, reuocantes in ſtatum debitum quidquid fortè occaſione ipſarum inueneritis eſſe factum.

a R. De Porta & Magiſtris I. de Mandires maioris Eccleſiæ, & R. ſanctæ Mariç Magdalenæ Canonicis Virdunenſibus] Ita enim legendum, non vt in vno M. S. Canonicis Morinenſibus. Ciuitas Epiſcopalis Verodunum, vel Virdunum, vel Verdonenſium Scaligero, vel Vereduna Papyrio Maſſono, ex Fortunato, ad Moſam, ſub-

Treuirensi. Habet Ecclesiam Cathedralem dicatam B. Mariæ,& aliam B. Mariæ Magdalenæ, quam Haymo 38. Episcopus Virdunensis construxit, & Leo IX. Pontifex Max. rediens è Concilio Remensi dedicauit 7. Id. Octobr. an. 1050. sedente Theodorico 4. Virdunensi Episcopo. Anselmus in Histor. Leodiens. Præsul. *cap.* 56. Richardus tamen de Vvassemburgo Archidiaconus Virdunensis, in *Antiquitat. Galliæ Belgicæ*, refert fundationem dictæ Ecclesiæ Collegiatæ B. Magdalenæ, factam fuisse ab Ermenfrido Archidiacono Virdunensi in Capella B. Magdalenæ alias constructæ à sancto Magdaluco, in loco, Vetus Monasterium, vocato, sub dicto Haymone anno 1026.

b SCHOLASTICO.] Scholasticus, siue Magister Scholarum quis sit notum est. In omnibus Ecclesiis erat Presbyter Scholasticus, qui Theologus deinde dictus fuit, vt constat ex Concilio Meldensi *Can.*35. ad differentiam alterius Scholastici, qui puerorum curam habebat, & humanioribus litteris incumbebat Concil. Mogunt. *Can.* 45. & in Capitularibus Caroli M. *lib.*1. *cap.*72. Quibus quidem prębendæ erant assignatæ: nec solùm in Episcopatibus, sed etiam in Monasteriis, hoc tritum est. Vnde conqueritur apud Alexandrum III. Abbas sancti Petri de Montibus, quòd Magister Scholarum Catalaunensis Ecclesiæ in terra sua, seu intra fines sui Monasterij Scholarum Magisterium vindicaret, vt patet ex *Epist.*44. Alexandri III. in editione Sirmondi. Hunc Scholasticum, siue Magistrum Scholarum eundem cum Primicerio esse certò indicat hæc Epistola, sed & nomine Primicerij Cantorem, seu Præcentorem sumi, fusè tractaui ad *Titul. de Primicerio.*

c COMMISSIONIS LITERAS.] Dicuntur vulgò literæ Commissionis & Commissoriæ, vt in *cap.* 3. & *vlt. sup. in* 1. *Compilat.* ex quo Raimundus *eod. tit.* suppressit vocem, *Commissorias.* aliquando verbo vnico dicuntur, *Commissiones cap.* 15. *sup. in* 3. *compilat.* sicut Præceptoriæ dicuntur, *Præcepta*, in *cap.* 3 *sup. in* 2. Præceptum, est mandatum & imperium, *Can. quod præcipitur.* 14. *q.*2. sunt & aliæ literæ Confirmatoriæ, de quibus in *cap.* 1. *sup. hoc tit. in* 3. *compilat.*.

d LITERIS CONTRADIXISSET.] Nondum lis erat contestata, sed tantùm apud Iudices facta narratio, & subsecuta responsio, *cap. vnico, de lit. contest. cap. dudum.* 22. *de elect.*

e O. CAPELLANO NOSTRO.] De eodem O. Capellano idem Honorius scribit ad Abbatem & Conuentum Cassinensem, se ad reformandũ Monasterium mittere Raynerium Pœnitentiarium, & O. Capellanum suum, apud Episcopum Apamiensem, *anno* 1217. *cap.*6.

f PATENTES LITERAE MANIFESTANT.] Cantor promiserat de non conueniendo Scholastico, & ita literis à procuratore suo obtentis renunciauit; postea contrarium agens, de fraude & dolo commodum referre parans non est audiendus, *cap. per tuas, de probat.* & *cap. literas. de præsumpt.*

---

a *Episcopo Attrebatensi.*

CAPVT III.



QVI nostras per suppressionem veri litteras impetrantes illarum commodo carent, cum veritas referatur, id sibi debent imputare, non nobis, qui omnium habere memoriam non valemus, quũ diuinum sit potiùs, quàm humanum. In litteris siquidẽ per quas olim tibi mãdauimus, vt dil. f. C. qui in spe prouisionis tuæ frustra diutiùs laborauit, in Attrebatẽsi Ecclesia prouideres, huiusmodi clausula continetur, *securus quòd pro nullius tibi prouisione grauamen de cetero inferemus.* Nuper autem nobis insinuare curasti, quòd prædictus audax postmodùm ad te super prouisione sua nostras literas monitorias & præceptorias impetrauit, de clau- Non ponitur.

ſula ſupradicta non habitâ mentione. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, vt ſuper eo fatigari ab eo contra tenorem ſæpè dictæ clauſulæ non ſinamus. Nolentes igitur ea irrita facere quæ de noſtris labijs proceſſerunt, de admonitione & præcepto huiuſmodi tanquam per veri ſuppreſſionem obtentis reddimus abſolutum, ita quòd ab eodem I C. contra tenorem prædictæ clauſulæ vlteriùs non vexeris.

a Attrebatensi Episcopo.] Rodulpho Cardinali, qui ſedit ab anno 1203. vſque ad 1220. vel Pontio, qui ab anno 1220. vſque ad annũ 1231. Attrebatum, vel Origiacum olim ſub Remenſi, nunc ſub Cameracenſi. Multis ſeculis hic Epiſcopatus vnitus fuit Cameracenſi, ſed Vrbanus ſecundus proprium paſtorẽ præfecit in Concilio Claromõtenſi anno 1194. poſt mortẽ Gerardi 2. Cameracenſis Epiſcopi 33. Miræus in *Faſtis Belgicis.*



TITVLVS III.

De Conſuetudine.

Pariſienſi Capitulo.

CAPVT I.

CVM conſuetudinis, vſúſque longæui non ſit leuis auctoritas, & plerumque diſcordiam pariant nouitates, auctoritate præſentium vobis inhibemus, ne abſque Ven. f. n. Epiſcopi conſilio & conſenſu immutetis Eccleſiæ veſtræ conſtitutiones, & conſuetudines veſtras approbatas, vel etiam nouas inducatis, irritas decernentes, ſi quas fortè feciſtis in ipſius Epiſcopi præiudicium, poſtquàm eſt regimen Pariſienſis Eccleſiæ adeptus.

HOc Cap. inſuit compilationi ſuæ Raimundus in *cap. 9. eod. tit.* ſed perperam omiſit, τὸ, *Conſilio.* Siquidem non abs re Honorius dixit Capitulum Pariſienſe Conſtitutiones & conſuetudines abſque conſilio & conſenſu Epiſcopi immutare non potuiſſe. Vtrumque ſæpiùs deſideratur, vtpotè cùm res de qua eſt quæſtio vtroſque tangit, ſcilicet & Epiſcopum, & Capitulum. Aliquando tantùm conſenſus, quod ſedulò expendendum eſt, vt docui ad *eund. tit. in Paratitlis.* Ne ſcilicet vna pars aliquid in præiudicium alterius faciat, vt hîc ait Pontifex. Epiſcopus & Capitulum corpus Eccleſiæ componunt; ille caput, Canonici membra, & Fratres nuncupantur; ideóque apud Græcos προεδρεύοντες Epiſcopi vocatur, id eſt *ſenatus Eccleſiaſtici Præſides*, ab Exedris, ſeu periſtyliis & clauſtris Eccleſiarum, in quibus olim omnes Conuentus & Synodi fiebant, vt aliàs docui. Canonici verò dicuntur συγκαθεδροι, vel σύμπνοι, *Aſſidentes & Conſiliarij* in omni tractatu, *cap. tua, de his quæ fi. à Præl. ſinè conſ.* Et quomodo Conſilium vel conſenſus adhiberi debeat, notat gloſſa *in cap. cùm olim. de arbitris.*

Capitulo Laudunensi.

CAPVT II.

AD audientiam nostram noueritis peruenisse, quòd prætextu cuiusdam consuetudinis, vt dicitur iuramento firmatæ, à singulis quos in Ecclesia vestra canonicari contingit, vnum scyphum argenteum exigitis, & etiam extorquetis, eis fructus præbendarum suarum, nisi consuetudinem iamdictam adimpleant, denegando. Quia igitur consuetudo huiusmodi habere videtur speciem prauitatis, & continet turpitudinem manifestam; Vniuersitati vestræ districtiùs iubemus, vt prędictam consuetudinem irritari faciatis de cetero, nec eius occasione aliquid exigatis, aut subtrahatis aliquibus suarum redditus præbendarum. Non ponitur.

HOc Cap. optimè congruit cum *cap. Iacobus.44. ext. de simon.* in quo Canonici partem redituum præbendæ recusabant, quòd iuxta cõsuetudinem prandium habere deberent: quam consuetudinem damnat ibi Gregorius IX. sicut hic Honorius de scypho argenteo pręstando. Ita in antiquitatibus Viennæ statutum est in generali Capitulo sancti Petri, vt ante susceptionem habitus monastici, qui admittebatur traderet vnum scyphum, & vnum cochlear argenti boni, ponderis vnius marki, & XII. vlnas mapparum. Quicquid autẽ pro introductione & immissione in Ecclesiam & in sedem, & stallum requiritur, etiam *cap. cùm in Ecclesia 9. de simon.* damnatur. Hoc ius aditiale quidam vocant ἐμβατίκιον, Malaxus ἐμφανιστικὸν Nouel. la Iustin. 56 vt & quod ab Episcopis in introitu præstatur ἐνθρονιαστικὸν vocat Nou. 56. vel etiam dicitur *Cathedraticum*, vice versâ ab eo quod Episcopi exigũt ab aliis. Quare illud prohibeatur, exponitur satis in *tit. de simon.* Verumtamen citra crimen est, si Episcopus, vel Clericus post consecrationem, vel receptionem quidquam offerat, quia non est emptio, sed oblatio, ἐπειδὴ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀγορασία, ἀλλὰ προσφορά, inquit Nouella 123. *cap.* 3. & ità sentit Balsamo ad *Can.* 5. *Synodi* 7. καὶ ταῦτα μὲν ὁπόταν τις αὐθαιρέτως προσάγῃ ἐν ἐκκλησίᾳ οἱαδήποτε πράγματα, ἅτινα καὶ οἱ λαμβάνοντες ἀπροκριματιστικῶς λαμβάνουσι, καὶ οἱ διδόντες ἀνευθύνως διδόασιν. Id est: *Et hæc quidem quando quispiam suâ sponte in Ecclesiam res aliquas tulerat, quas & qui accipiunt citra vllum præiudicium accipiunt, & qui dant in pœnam non incidunt.* Imò vlteriùs progreditur Iustinianus in dicta Nouella; & tam Papam Romanum, quàm ceteros Patriarchas & Episcopos ad pecuniæ præstationem teneri dicit. Innocentius autem III. prauas exactiones, non pias consuetudines damnat in *cap. ad audientiam.42. de simon.* quæ scilicet non in priuatorum commodum, sed Ecclesię vertuntur; quia tales consuetudines non damnat Iustinianus, imò pro salute animæ talia offerre hortatur *cap. 25. Nouellæ 123.* Talia sunt Capellæ per Archiepiscopos & Episcopos Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis, & Capitulis dandæ: de quibus vide Concilia Tarraconensia *annorum* 1331. 1369. 1391. & 1543. quas ita rigidè exigunt, vt velint dictos Prælatos teneri ad eas Capellas persoluendas incontinenti, & in adeptione possessionis Ecclesiarum suarum; & pro traditione earum, Capitulis pignora aurea, vel argentea quantitatem dictorum ornamentorum valentia deponere (facultate Capitulis concessa, quòd si intrà annum non satisfecerint, vendito pignore per Capitula adimpleatur) aut trecentos florenos pro dictis Capellis dare, aut iocalia æquiualentia, magis Ecclesiæ necessaria tradere. Talia quoque sunt omnia illa, quæ offerri Ecclesiæ solent, φιάλαι, ἐκπώματα, θυμιατήρια, χρυσίδες, ἀργυρίδες, οἰνοχόαι,

ἀμφορίσκοι. Id eſt, *Phialæ*, *pocula*, *thuribula*, *aureæ argenteæque phialæ*, *cyathi*, *amphoræ*, quæ omnia τὰ ἀναθήματα nuncupat Pollux *lib. 1. cap. 1.*

Magiſtro Iacobo Capellano, & Pœnitentiario noſtro, Apoſt. ſedis legato.

Capvt III.

Non ponitur.



Enerabilis f. n. Archiepiſcopus [a] Caſſellenſis expoſuit coram nobis, quòd in prouincia ſua deteſtandæ [b] conſuetudinis vitium per Anglicorum inſolentiam inoleuit; quòd videlicet ſi Anglicus aliquid amittit, & iurat illud ab aliquo Hibernenſi ſibi eſſe ſurreptum, ſex Anglicis iuramento firmantibus, quòd creditur eius verum exiſtere iuramentum: Hibernenſes licèt innocentes ſint, & bonæ opinionis ac vitæ, ſuámque ſuper obiecto crimine innocentiam per triginta teſtes, vel plures ſint purgare parati, ad reſtitutionem coguntur nihilominùs, tanquam fures. Si verò aliquid Hibernenſes amittunt, & pro certo ſciunt quòd Anglicus ſurripuerit illud eis, ídque ſuis velint aſtruere iuramentis, Anglici eorum iuramenta recipere contradicunt, & ſic vtroque caſu conculcatâ iuſtitiâ, Eccleſijs, ac eorum hominibus graue præiudiciũ, generatur. Quum ergo pondus & pondus, menſura & menſura vtrumque abominabile ſit apud Dominum, diſc. t. m. quatenùs non obſtante præfatâ conſuetudine, vel potiùs corruptela, quam cenſemus penitus abolendam, dictis Anglicis expreſsè inhibeas, ne talia de cetero attentare præſumant: ſed potiùs ab huiuſmodi peruerſitate ceſſantes, puſillum & magnum pari permittant iudicio iudicari, & examinari diuitum cauſas, & pauperum æquâ lance; quum in iudicio diuinitus interdicta ſit acceptio perſonarum.

HOc Caput quæſtionem ab Archiepiſcopo Caſſellenſi in Hibernia motâ tractat.

a Cassellensis.] ſeu Caſſilienſis cum aliis tribus Armachano, Dublinienſi, & Tulmienſi Epiſcopatibus fuit in Archiepiſcopatum erectus in Concilio habito autoritate Apoſtolicâ anno 1152. ſub Eugenio III. in Hibernia celebrato, vt ſcripſit Silueſter Girardus Cambrenſis, *cap.* 20. *Appendicis*.

b Consvetvdinis.] Tollit Honorius prauam conſuetudinem, quâ ſi Hibernus furti accuſaretur ab Anglo, & hic iuraret Hibernum furtum commiſiſſe adhibitis ſex teſtibus cum iuramento Angli, iuramentum & accuſationem veram eſſe, ipſius Angli accuſatoris dicto ſtaretur; nec tamen Hibernus per 30. vel plures teſtes ſuam innocentiam purgare poſſet. Contrà verò, ſi Hibernus furti Anglum accuſaret, & iuramento accuſationem adſtruere vellet, ab Anglis non reciperetur. Vult autem Pontifex omnium, ſiue diuitum, ſiue pauperum cauſas æquâ lance iudicari, & paria delicta mutuâ compenſatione, id eſt pari iure tolli, vt dicitur in *cap. penult. de adulter.* Ideò iure Longobardorum, iudices qui dicebantur Pares adhibebantur, vt par eſſet iudicium, par iuriſdictio, nec litigantium vnus plures quàm aduerſarius teſtes adhiberet, *lib. 3. tit.* 8. legum Longobard. Fulbertus; *Epiſt.*

Epist. 96. Fridericus tamen Imp. circa testes adhibendos differentiam posuit, vt si ageretur de causis Comitum fidem facerent quatuor Barones, aut octo Milites, aut sexdecim Burgenses si contrà Baronem ageretur, duo Barones, aut quatuor Milites, aut octo Burgenses, & sic de ceteris pro conditione personarum; excepto tamen læsæ maiestatis crimine, in quo omnium accusatorum & testium conditio exæquata erat. In legibus Salicis idem ferè seruabatur. Si Romanus homo Francum exspoliasset sexaginta duobus solidis culpabilis iudicabatur; si verò Francus Romanum triginta solidis *tit.* 15. legum Salicarum: similiter *tit.* 34. si Romanus Francum ligasset sinè causa solidis 30. si autem Francus Romanum quindecim plectebatur.

Nec mirum est, cur in crimine furti minor testium numerus ab Anglis contra Hibernos adhibebatur. Ratio est imprimis, quia hę duę nationes sibi inuicem infensæ semper fuerunt, maximè postquam Henricus II. Rex Angliæ Hiberniam subegit: ita vt nec connubia secum miscerent, vt scribit Richardus Stanihurstus *lib.* 1. *de reb. Hibernicis.* Qui etiam refert *lib.* 3. tanto odio Hibernos in Anglos excandescere, vt eos à mangonibus & piratis captiuos emerent, vt deinde in catastis tanquam in nundinis pecudes venales haberent, contra quam prauam consuetudinem Armachiæ à Pontificibus Hibernis Concilium fuit celebratum. Verum probabilior ratio est huius consuetudinis, quam refert Honorius hoc tit. quòd gens Hiberna valdè furtis & latrocinijs dedita esset. Refert enim Guillelmus Neubrigensis *lib.* 3. *cap.* 9. *de rebus Anglicis*, se à quodam Episcopo Armachano accepisse, eam gentem eò superstitionis deuenisse, vt se obsequium Deo præstare crederet, si per anni circulum, ex furto & rapinis congereret, quod in Paschali solennitate profusissimis, tanquam ad honorem Dominicæ Resurrectionis conuiuiis absumeret.

Fredericus Romanorum Imperator, cunctis quos clementia sua regit imperium.

CAPVT IV.



HAC edictali lege. *& infrà.* Nauigia quocumque locorum peruenerint, si quo casu contingente rupta fuerint, vel ad terram perueniant, tam nauigia, quàm nauigantium bona integrè illis seruentur ad quos spectabant, antequàm nauigium huiusmodi periculum incurrisset, sublatâ penitùs omni consuetudine locorum, quæ hinc aduersatur sanctioni; nisi talia sunt nauigia, quæ piraticam exerceant; quæ sint Nobis, vel Christiano nomini inimica. Transgressores autem huius nostræ constitutionis bonorum publicatione mulctentur, & si res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

HIC inseritur alia Constitutio Friderici. Voluit Honorius præuenire ingratum eius animum beneficijs, constitutiones ab eo editas, huic iuris Canonici compilationi inserendo, quæ & habetur adiecta in Cod. *tit. de furtis*, & ad quam pertinet vexata lex ἀξίωσις, *ad l. Rhod.* in cuius intellectu liceat mihi aliquantulum spatiari, ne materiam prætermittere videar in qua præclara ingenia sese exercuerunt. Ne vlli liceat alienum naufragium colligere, etiam fisco, vt statuit Constantinus in *l.* 1. *C. de naufragijs.* Lege siquidem Rhodiâ cauetur de rebus naufragio direptis, ne eas liceat vnicuique colligere; non enim dominus desinit esse dominus, *l. vlt. de incend. ruin. naufrag.* & *l. Pomponius*, §. *penult. de acquir. rer. domin.* Quæ lex omnibus gentibus placuit: ità vt Imperator alijs legibus vti noluerit:

cum propter earum antiquitatem, quas à Rhodijs acceperunt Romani, Strabone & Tullio autoribus: tum propter vtilitatem & æquitatem: qua de caussa Imp. Antoninus hanc legem *esse dominam maris ait*, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, *ipse orbis dominus*, hoc encomio ei summam autoritatem tribuere voluit. Quod verò in *dicta l.* ἀξίωσις, refertur de Publicanis Cyclades insulas habitantibus, notandum, quòd piratis & latronibus eos comparet, quia id genus hominum qui vectigalia populi Romani conducebant (vt sunt portoria, salinæ, metalla, & similia quæ describuntur in *l. interdum*, §. *species, de publicanis*) rapinis valdè erat assuetum; ideò & Cæsar vt sibi Asiaticos conciliaret eos publicanis, qui Asiam acerbissimè habuerant, liberauit vectigaliáque in tributi formam redegit: τούς γοῦν τελώνας πικρότατα σφίσι χρωμένους, ἀπαλλάξας ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο, vt refert Dio Cassius *lib.* 42. De his Symmachus, quos *Publicanos*, & *Mancipes* vocat *Epist.* 60. & 63. *lib.* 5. Cyclades verò sunt in mari Aegeo, quarum caput esse Rhodum bene annotat Cuiacius ad Nouell 41. & 123. in qua per Præsidatum Insularum intelligit Rhodum, *Insularum Metropolim* vocat Papias: quas Plinius *lib.* 6. *cap. vlt. lib.* 4. *cap.* 12. sic dictas ait, quòd in orbem longioribus tamen spatiis circa Delon sint positæ: sed cur in *dicta l.* dicitur hoc naufragium contigisse ἐν τῇ Ἰταλίᾳ cùm longissimè distent Cyclades ab Italia? Docti viri Samuel Petitus legendum ἐν Τηλίᾳ, quæ est vna ex Cycladibus, Gothofredus ἐν Ἰκαρίᾳ putauerunt: si coniecturis locus dandus, probabiliùs legerem ἐν Ἀτταλίᾳ, quæ est vrbs Pamphyliæ, hodiè *Satalia*, non multùm à Cycladibus distans, de qua in Nouell. Leonis Philosophi. Nec mirum si publicani frequenter excurrerent in hunc sinum naufragijs valde infamem, qui ideò dicebatur Vorago nauium, & in quo periclitatam fuisse Helenam Constantini matrem coniicere possumus, dum ab Hierosolyma Constantinopolim rediret, vnde eam vnum ex quatuor Domini clauis, quibus Cruci affixus fuerat, illuc proiecisse, vt tranquilliorem sinum redderet, nec caruisse rem successu quidam scribit. Gregor. Turon. *cap.* 11. *de glor. Martyr.* in Adriatico mari id ab Helena factum fuisse scribit; sed mendosè legitur *Adriaticum*, pro, *Attalicum*, cuius iter rectum a Palæstina ad Constantinopolim erat, & contra Adriaticum mare longissimo interuallo distabat; nam & in editionibus Gregorii multi errores quotidie à viris doctis deteguntur.

Quòd autem Gothofredus *dictam l.* ἀξίωσις, non de publicanis, sed de seruis publicis ciuitatum, & insulanorum vult interpretari, nimiùm sibi blandiri videtur. Hæc enim vox, δημόσιος, non magis ad hos quàm illos pertinet, vt non δημόσιοι οἰκοῦντι, verùm τῶν οἰκούντων intelliguntur, contra Mætiani verba ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Et quid clarius quàm ius hoc publicanorum fuisse circa insulas; siquidem publicani omnia naufragorum sibi & fisco arrogabant; quod tamen eis interdictum fuit, vt constat ex *l. interdum.* §. *si propter. de publicanis*, & *l.* 3. & 21. *de acquir. possess. l.* 44. *de acquir. rer. domin. l.* 1. 3. & 4. *de incend. ruin.* & alijs plerisque locis, vbi tota quæstio est de Publicanis, nusquam de seruis publicis insularum: in tantùm enim excreuerat auaritia publicanorũ, vt sæpiùs ab Imperatoribus coërceri debuerit, quia in illis locis ad littora & syrtes collocatis, vbi nec tribunal, nec iudices erant, maiorem delinquendi occasionem sumebant. Inde Publicanos dictos quidam afferunt, non tam quia τὰ τέλη τὰ δημόσια, id est vectigalia publica exigebant, quàm quia Publici quasi Chattaim Hebraicè, hoc est peccatores κατ' ἐξοχὴν dicti fuerint, quasi imprimis præ alijs publicandi, hoc est publico supplicio afficiendi, vt notat Vuaserus *lib.* 1. *cap.* 18. *de nummis.* Ideò hæc latrocinia repressa sunt *l.* 5. *C. de naufragijs. l. si quis nauicularius. & l. vlt. Cod. Theodos. eod.* Vide Dionem Chrysost. *orat.* 7. Quod si nomen, *serui publici*, adeò placet Gothofredo, meliùs dixisset seruos publicos, de quibus loquitur, seruos publicanorum fuisse, vt *in l.* 1. §. *familiæ*, & *l.* 12. §. 2. *de Publicanis.*

[a] NISI TALIA SINT NAVIGIA.] Piratarum naufragijs legem Rhodiam non fauere declarat Fridericus hâc constitutione, quales sunt *Bagaudæ*, vel *Bacaudæ*, Κουρσάριοι Nicetæ, *Casaki* Turcis, *Saraceni* Arabibus, & alij, de quibus latè ad *Titul. de raptor. apud Gregor.* qui omnes Christiani nominis hostes, imò & omnes Piratæ, quos hostes gentium, nationúmque omnium vocat Tullius 5. *in Verrem*, & *lib.* 3. *de Offic.* Caius *in l. in rebus. Commodati*, & in *l.* 3. *Nautæ, Caupones &c.* hac constitutione bonorum publicatione multantur, qui ex naufragijs quicquam rapuerint, in quadruplum rapta reformare, id est reddere iubet lex Vuisigothorum 18. *lib.* 7.

TITVLVS IV.

De postulatione Prælatorum.

Archiepiscopo [a] *Calaritano.*

CAPVT I.



ETsi vnanimiter vota vestra concurrerint ad ven. f. n. [b] Suellen. Episcopum in Ecclesiæ vestræ Archiepiscopum eligendum, quum suæ alligatus Ecclesiæ liberum non habeat sinè nostra permissione volatum, electionem de ipso factam, tanquam contrà canones minus licitè attentatam, de consilio ff. n. duximus irritandam, quum eligi nullo iure potuerit, sed potius postulari. Volentes tamen, quantum cum Deo possumus, desideriis vestris benigno fauore occurrere dil. ff. H. Subd. & R. Capellanis nostris, Ap. Sed. Leg. duximus iniungendum, vt & vota vestra circa ipsum exquirant, & personæ merita vice nostrâ examinent diligenter, eundem ad nos cum litteris suis rei veritatem continentibus destinando, vt si idoneus repertus fuerit disponente Domino & ipsi; & Ecclesiæ vestiæ vtiliter prouideatur.

[a] HOC Caput scriptũ est in duobus M.SS. Episcopo Carlatanensi, vel, Calatanẽsi: in alio, Capitulo Cabaritano, melius in vulgata editione Raimundi Calaritano. Agitur enim in hoc cap. de electione, vel postulatione Archiepiscopi Calaritani in Sardinia, *Cagliari.*
[b] SVELLENSEM.] Raimundus, Sutriensem, malè. Sutrinus enim & Nepesinus Episcopatus vniti sunt Prouinciæ Romanæ in Thuscia. Suellis olim ciuitas Episcopalis Sardiniæ, nunc oppidulum, cuius Episcopatus vnitus est Archiepiscopatui Calaritano.

Cassatur in hoc cap. electio in Episcopum de persona Episcopi Suellensis; quippe Episcopus eligi non potest, cùm iam alligatus & addictus sit Ecclesiæ suæ, & tantùm postulationis via conceditur, quæ soli summo Pontifici est reseruata, idque institutione diuinâ, vtpote Vicario Christi, vt Innocentius scribit *in cap. inter. de transl. Episc.* ait enim sinè difficultate huiusmodi coniugium non posse dissolui, additque ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, id fuisse sedi Apostolicæ reseruatum, *Epist.* 323. *lib.* 1. Primitus quidem ex multorum Episcoporum iudicio *κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, δίχα συνόδου τελείας*, id est *absque perfecta synodo*, inquit *Can.* 14. *Apost.* Nec valere aliter docet *can.* 16. *Synodi Antioch.* & ideò ait Honorius, *liberum non habeat sinè nostra permissione volatum.* Vox, *Volatum*, notanda, vt in *cap. nisi in fi. infr. de renunciat.* alij *μετάβασιν*, id est, *transitionem* vocant, alij inuasionem, & Episcopus in aliam Ecclesiam transiens, inuasor & raptor dicitur, *d. can.* 16. *Synodi Antioch.* Vtitur enim verbo *ἐφαρπάζοι τὸν θρόνον*; id est, *sedem arripuerit. Volare*, & *inuolare* significant eripere & auferre, *l. 6. ff. de incend. ruin.* atque etiam furari apud Festum: Lucanus *lib.* 6.

——— Quod corpore magni
Proiecto rapiat, quod Cæsaris inuolet artus.


Per *Inuolâtes*, latrones intelligit Sidon. *Epist.* 7. *lib.* 9. Postulatio aduersatur iuri communi, & ideò concordi omnium calculo fieri, & subscriptione firmari debet, *cap.* 3. & 4. *hoc tit. ext.*

adeò vt si concurrat postulatio cum electione, duplo maior debet esse postulantium numerus, *cap. bonæ eod.* In eo autem maximè differentia est, quòd postulatio ex mera liberalitate superioris pendeat, nec antè ius illum acquirat. *Cap. 5. eod.*

[a] *Natien. & Agrin. Episcopis.*

CAPVT II.

Non ponitur.



VABVS postulationibus, vna videlicet de ven. f. n. [b] Cenad. reliqua verò de ven. f. n. [c] Nitrien. Episcopis in [d] Strigon. Ecclesia celebratis, quum nullam eorum inuenerimus esse canonicam, & in tanta contradictione non consueuerit fieri postulatio, quæ si etiam concorditer fieret, plus gratia, quàm ius requirit admitti, neutram de f. n. conf. duximus admittendam.

a OMnes M.SS. malè ponunt epigraphen. Legendum Vacciensi, & Agriēsi Episcopis. Hi duo Episcopatus sunt in Hungaria, suffraganei Strigoniensis Archiepiscopatus. Agriensis est hodiè sub Turcarum imperio.

b CENADIENSI.] Cenadiensis, vel Canadiensis Episcopatus Hungariæ Transdanubianæ sub Archiepiscopo Colocēsi, vulgò *Chonad.*

c NITRIENSI.] Episcopus Nitriensis, vel Litriensis, Hungariæ regni Cancellarius, sub Strigoniensi Archiepiscopo.

d IN STRIGONIENSI ECCLESIA.] Strigoniensis Archiepiscopatus hodiè, *Gran*, regni Hungariæ Primas, & Legatus natus sedis Apostolicæ: Strigonio à Turcis occupato, nunc Tirnauiæ, vulgò, *Tirne*, residet.

TITVLVS V.

De electione, & electi potestate.

a *Electo Lugdunensi.*

CAPVT I.




VVM post petitam instanter, & demum obtentam ven. f. n. quondam Lugdunen. Archiepiscopi cessionem, vota Canonicorum Lugdun. in te tunc ipsorum Præpositum concorditer conuenissent; quia tandem examinato, sicut decuit, processu electionis tuæ, inuenimus eam post publicationem consensuum, & collationis tractatum aliquandiu fuisse protractam, assensúmque tuum, priusquàm electus fuisses, requisitum, electionem eandem, ex ipsius duntaxat inordinato processu, iustitiâ cassauimus exigente.

a ELECTO LVGDVNENSI.] Historiæ huius capitis nec vola, nec vestigium apud Paradinum, Rubium, Seuertium, Chenu, & Robertum Ecclesiæ Lugdunensis scriptores. Equidem refert Seuertius ex Archiuis Cartusianis M.SS. Ioannem II. Archiepiscopum Lugdunensem sub Celestino III. iam æuo grauem officio curæ Pastoralis renunciasse, retentisque insignibus iussu Sum. Pontificis, in celebri Claræuallis cœnobio sacræ contemplationi sedulò vacasse; sed quid hoc ad Honorium nostrum? inter quem & dictum Celestinum Innocentius III. (qui famosum *caput Cum Martha. de celebrat. Miss.* dirigit huic Ioanni in Claraualle degenti) 23. annos sedit. Quid ergo dicemus? Corrupta est Epigraphe huius cap. vt & capitis 2. *ex literis. de consuet.* & reponendum est, Electo Lundensi Archiepiscopo Daniæ, & ab Innocentio III. anno 1201. Primatu Sueciæ honorato. Historiæ Danicæ testantur magnum illum Archiepiscopum Lundēsem, Andream Sunonis, anno 1222. sub Honorio nostro, morbo, siue impetigine potius, quæ haud facilè curationem admitteret, implicitum, vitæque iam saturum, vltrò se munere suo abdicasse, & semotum à populi frequētia insulam Istoam apud Scanenses, in medio dulcis aquæ lacu amœno sitam, quieti huic suæ locum elegisse. Sed quis electus iste fuerit post eum, dubium est. Erici Regis Chronicon post Andream ponit Petrum Saxonis, quem quidam volunt esse filium Saxonis Grammatici, Andreæ coætanei, alij fratrem Andreæ, & vicem eius suppleuisse, & Administratorem tantùm Archiepiscopatus fuisse quamdiu vixit, ob reuerentiam tanti viri dicunt. Hunc Petrum non fuisse verum Archiepiscopum conuincunt quoque historiæ Danicæ, dum tradunt Vffonem subrogatum in locum Andreæ antea defuncti, nullā factā mentione Petri, quamuis eodem anno Andreas & Petrus obierint, ex Erici Chronico. In his tenebris si quis coniecturis locus est, videtur dicendum Præpositum istum Ecclesiæ Lundensis, cuius hîc electio irritatur, electum fuisse à Capitulo Lundensi post cessionem Andreæ, & ante administrationem Petri: Huic coniecturæ quodammodò adstipulatur dicti Regis Chronicon, dum ait, Petrum factū Archiepiscopum anno tantùm 1224. duobus annis post cessionem Andreæ, quo medio tempore potuit fieri electio huius Præpositi, cuius, vtpotè nullæ, non meminit Ericus Rex in suo Chronico, quod admodum breue est, & summa tantùm rerum capita attingit. Qui cedere vult Episcopatu, non id propria autoritate potest, sed licentia summi Pontificis; atque hanc instanter & importunè debet petere, ait hîc Honorius. Ita Innocentius III. in *cap. nisi. infr. de renunciat. Quia in postulando cedendi licentiam institisti*: nec enim sponte & liberè cessio fieri debet, propter vinculum spiritale, *cap. cùm inter. de elect.* alioquin sponte cedentem sui ipsius furtum facere dicendum, æquè ac de adscriptitijs & cōditionalibus ait *l. cùm satis. C. de agric. & censit.* nec id fieri debet sinè iusta caussa à summo Pontifice examinata, & probata; quia tunc satius est non præesse, quàm non prodesse, & dummodò nulla prauitas in cessione reperiatur, ait Innocentius III. *Epist.* 151. *lib.* 1. ex qua notandum, etiam cessionem non minùs admitti in electo, quàm consecrato, dummodò electio confirmata fuerit, quia tunc matrimonium spiritale contractūm est, *dicto cap. inter.*

---

a *Abbati Stirpen. & eiusdem loci de Exidolio Prioribus Lemouicen. Diœc.*

CAPVT II.



CVM bonæ memoriæ, & *infra.* Sanè ne quis fortè caussetur Capitulum sancti Iuliani Lemouicen. Diœc. ius eligendi Præpositum per decursum temporis amisisse; nolumus, quòd tempus lapsum ante concessam sibi eligendi licentiam eis curtat; quum constitutio, quæ de huiusmodi lapsu temporis loquitur, contra negligentiæ vitium fue- Non ponitur.



rit promulgata, & hi dici nequeant negligentes cùm non possent eligere, præsertim quum ex dilecti f. n. B. tituli sancti Ioannis & Pauli Presbyteri Card. mandato, nostram, vel eius tenerentur licentiam postulare.

[a] ABBATI STIRPENSI.] Abbatia & Conuentus Stirpensis Ordinis sancti Augustini, Lemouicensis Diœcesis, aliàs, sancti Petri de Stirpo. Huius Præposito scribit Iuo *Epist. 69.* vulgò, *l'Abbaye de L'estierp.*

[b] DE EXIDOLIO.] Hic est Prioratus Curatus de Exidolio dependens à dictâ Abbatia Stirpensi, vulgò *le Prieuré Curé d'Exideul.*

[c] SANCTI IVLIANI.] Legendum, *Sancti Iuniani.* Vrbs est diœcesis Lemouicensis, cui nomen dedit sanctus Iunianus, Eremita Aquitanus, quem Pipinus Aquitaniæ Rex miraculis clarum templo honorauit, & sacrum ibi corpus per Sigibrannum Episcopum Pictauiensem deferri curauit. *Martyrologium Gallicanum 15. Nouembris.*

Quòd agitur hoc cap. certare videtur cum iure communi & antiquis canonibus, quibus electio Abbatis ad monasterium pertinet, seu congregationem, *can. Abbatem.* 18. *q.* 2. Idem de Episcopis, quibus eligendis triũ mensium præscribitur tempus, *can. sacrorum* & *can. obeuntibus.* 63 *dist. Cap. ne pro defectu, de Elect.* Reliquis verò officiis & dignitatibus sex menses dantur, Concilio Lateran. sub Alexandro III. *Cap. nulla. de concess. præb. cap. dilectus. eod. hoc tit.* sed cùm Præpositus caput est Collegij, vt in hoc casu, an sex menses, vel tres exiguntur? videtur quòd tres, quia æquiparatur Abbati, sicut & Decanus in *cap.* 1. *de æt. & qualit.* Quod in alijs dignitatibus inferioribus, & personatibus locum habere non debet: & ideò optimè glossa in *dicto cap. nulla,* ponit differentiam inter primarias dignitates, & minores, in quarum electione sex menses dantur, eò quod moræ periculum minùs sit, *cap. cùm inter. de elect.* Nec nos mouet *cap. cùm nostris. de concess. præb.* in quo agitur de Præpositura, quæ vacauit tempore statuto per Lateranense Concilium in *dicto cap. nulla,* id est, per sex menses: nam eò loci & similibus, quæstio est de præpositura, vel aliis dignitatibus quæ non sunt capita Ecclesiarum; & ita etiam sentit Panormitanus, & post eum alij, atque etiam Pragmatici.

---

[a] *Portuen. Episcopo Ap. sed. Leg.*

CAPVT III.

Non ponitur.



PER litteras tuas, & depositiones eorum etiam testium, quas tua nobis f. destinauit, comperimus euidenter, quòd Monachi [b] S. Mansueti Tullen. regulares obseruantias non professi, quemdam ipsius loci Monachum similiter non professum, in Abbatem, contemptis quibusdam ex fratribus suis, qui vocari debebant, & poterant, elegerunt. Volentes igitur vt errata per tuæ solicitudinis studium corrigantur, f. t. p. a. s. m. quatenus electionem huiusmodi decernas irritam & inanem, vniuersos ipsius loci Monachos ad relinquendum monasterium, vel ad faciendam professionem, vt debent, monitione præmissâ, per censuras Ecclesiasticas appellat. remotâ compellendo.

a PORTVENSI EPISCOPO.] Hic est ille magnus Conradus Cisterciensis ordinis, qui primò Villariensis, secundò Claræuallensis, posteà Cisterciensis extitit Abbas, & demum Portuensis Episcopus Cardinalis ab Honorio III. anno 1218. creatus. obiit clarus miraculis in partibus transmarinis, post varias legationes in Germaniam quoque missus, vbi tunc degebat quando Honorius hanc Epistolam illi scripsit anno 1227.

b SANCTI MANSVETI.] Abbatia sancti Mansueti Scoti, primi Tullensis Episcopi Richardo de Vuassenburgo; est in suburbiis Tullensis ciuitatis, ordinis S. Benedicti, vulgò *sainct Mansu*.

Quæstio est de monacho non professo, & in Abbatem electo à monachis similiter non professis. Mandat Honorius Portuensi Episcopo Conrado, Apostolicæ sedis legato, vt hanc electionem irritam decernat: & hoc est de iure communi, *can. Abbatem.* 18. *q.* 2. & ideò Innocentius III. in *cap. cùm causam. de elect.* non professi factam electionem ad Prioratum sancti Petri Lucanensis infirmandam esse decernit; quamuis longâ iam consuetudine Abbates non professi instituti fuissent, quia talis consuetudo est potiùs corruptela, quæ vim non habet, *cap. ad nostram. de consuet.* & quod singulare est in *eo cap. cùm causam*, si legatur integrum, vt est in 3. *Compilatione*, refertur priuilegium huius monasterij fuisse, vt nullus præponeretur in Priorem, nisi de communi fratrum consensu, vel à sanioris consilij parte. Bernardus Papiensis ibi rectè quærit, ad quid tale priuilegium, cùm sit iuris communis: & rationem reddit, quia quod priuilegio cautum est, & singulariter promittitur plus solet timeri, vt de voto quo ad ordines promouendi adstringuntur, in *can. quanquam.* 23. *dist. non ante honoris consecrationem accipias, quàm placiti sui adnotatione promittat*, id est, *scripturâ*, seu *chirographo* pro syngrapha, quæ hoc loco non est nuda professio, sed firma, sicut quæ fit per stipulationem & cautionem, *l. sicut certo. Commodati.* vt de obedientia quæ iuramento præstatur Prælatis, *can. in omnibus. de consecrat. dist.* 5.

Abbati sancti Galgani Cister. Ordinis, & a Priori Camald. Vulteran. & Aretinæ Diœc.

CAPVT IV.

CORAM dilecto f. n. G. b sancti Theodori Diacono Card. R. monacho in Abbatem Monasterii c sanctæ Floræ Aretinæ electo, & procuratori quorumdam Monachorum, qui electioni se opponebant eiusdem, à nobis Auditore concesso, proposuit R. prædictus, quòd corpore prædefuncti Abbatis nondum tradito sepulturæ, Monachi eiusdem loci, relicto ipso corpore in Ecclesia, & matutinali officio, quod iam erat incœptum, omisso, in Abbatis curiam secedentes, eligendi potestatem d in vnum ex ipsis Monachis contulerunt: quibus demum regressis in Ecclesiam, Abbatis corpore iam sepulto, Monachus in quem erat potestas eligendi collata, ipsum R. in Abbatem elegit: idémque & in Abbatis sede positus recipiendo à quibusdam Monachis obedientiam, & accipiendo quædam de bonis Monasterij pro expensis, administrationi continuò se ingessit. Ipso igitur petente confirmari electionem huiusmodi, & procuratore prædicto è conuerso postulante illam tanquam præsumptam illicitè infirmari, nos his, & aliis quæ fuerunt coram ipso Card. proposita per eius fidelem relationem ple- Non ponitur.

nius intellectis, electionem ipsam cassauimus iustitiâ exigente.

[a] PRIORI CAMALDVLENSI.] sic legendum, non *Carmelitarum*, vt in alio. Cœnobia Camaldulensium pleraque in Italia, & specialiter in Volaterrena, & Aretina diœcesi: & Raphaël Volaterranus celebrem mentionem facit Monasterij Camaldulensis siti in vrbe Volaterrana.

[b] SANCTI THEODORI.] Is est Gregorius Crescentius Romanus, Diaconus Cardinalis sancti Theodori ab Innocentio III. creatus anno *1206.* qui superuixit Honorio, & egregiè administrauit Latium, Campaniam, & Maritimam.

[c] SANCTAE FLORAE ARETINAE.] Monasterium sanctæ Floræ & Lucillæ de Aretio, ordinis sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis.


Quæ hoc cap. præsertim aguntur duo sunt, vnum ne corpore nondum sepulto, & exsequiis peractis ad electionem procedatur; quod congruit cum *cap. bonæ. 2. eod.* imò tertium diem depositionis esse exspectandum iubet *can. nullus. 79. dist.* propter hoc tamen solùm electionem irritam non esse concludit glossa in *dicto cap. bonæ*, licèt Ioannes Teutonicus aliter sentiat in notis ad *4. compilationem.* Et hoc tantùm de honestate, non vt ideò electio infirmetur, addit Panormitanus.

[d] IN VNVM.] Alterum de quo hîc agitur est, an ius eligendi transferri potuerit in vnius voluntatem. Equidem si omnes, omisso aliquo conuenerint electio nulla est, & ius ad illum solum deuoluitur ex *cap. gratum*, & *cap. bonæ. de postulat. prælat.* quibus ad minorem partem ius deuoluitur, si maior numerus errauerit: sed optimè glossa eò loci concludit ius vniuersitatis non posse in vnum transire, ne desinat esse collegium, & saltem duo, aut tres requiruntur in *cap. 1. de elect.* Ex quo rectè infertur in *hoc cap.* monachos non posse ius eligendi in vnum monachum transferre, quia hoc repugnat iuri communi. Potuit in duos, vel tres, vel plures, vt de electione Episcopi Tolosani in quinque Canonicos translata, *cap. in causis. de elect.* Vbi nota ad omnes conuocandos campanam pulsandam esse, *vt mos est*, inquit, qui mos vsque ad nostra tempora peruenit, & in veteribus actis huius fit mentio.

---

[a] P. Bolcen. [b] Priori sanctæ Barbaræ Lexouiensis Diæc. & Magistro V. de Capella, Cancellario Rothomag.

CAPVT V.



CONSTITVTIS in præsentia nostra procuratoribus dil. f. [c] sancti Tauricen. Ebroicen. & [d] sancti Leofredi de Cruce Abbatum, ac Monasterii [e] Fiscan. dil. f. n. [f] B. sanctorum Ioannis & Pauli Presbyterum Cardinalem dedimus auditorem, coram quo proposuerunt procuratores prædictorum Abbatum, quòd vacante præfato Monasterio, quod immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinet, Monachi eiusdem loci, contemptis præfatis Abbatibus qui commodè poterant & debebant de iure vocari, ad electionem Abbatis temerè procedentes, H. quondam Abbatem [g] sancti Iudoci ad eiusdem regimen minùs idoneum eligere præsumpserunt; quare petebant electionem huiusmodi penitus irritari. Quum autem procuratores ipsorum Abbatum iussi essent exprimere, quo iure ipsi Abbates deberent electioni Abbatis supradicti monasterij interesse, responderunt, quòd olim cùm assumerentur in suorum Monasteriorum

riorum Abbates fuit specialiter indultum ab Abbate, & conuentu Monasterij Fiscan. vt haberent vocem in Capitulo eorumdem. Nos autem rationem huiusmodi friuolam reputantes, de consilio f. n. perpetuum silentium imposuimus Abbatibus supradictis.

a EBROICENSI.] Vnus codex M.S. sic habet: si sic legendum est, is est Rodulphus de Ciette, vel Richardus.

b PRIORI SANCTAE BARBARAE.] In Nomenclatura Gallica, Prioratus sanctæ Barbaræ, *sainte Barbe, en Auge*, alias, *sainct Martin d'Escarlet*, ordinis sancti Augustini, Lexouiensis diœcesis.

c SANCTI TAVRINI.] sic legendum, vt est in vno M. S. reiecta lectione aliorum Codicum, qui ponunt *Tauricensis*, & Raimundi qui hanc Abbatiam esse ait diœcesis Eboracensis. Abbatia sancti Taurini est in ciuitate Ebroicensi ad Itonem, Ordinis sancti Benedicti, quam Comes Robertus, vel Richardus fundauit in honorem sancti Taurini primi huius vrbis Episcopi. Ordericus Vitalis *lib.* 5.

d SANCTI LEOFREDI DE CRVCE.] Est quoque Abbatia diœcesis Ebroicensis, Crux S. Leufredi, dicta *la Croix sainct Leofroy*, Ordinis S. Benedicti.

e FISCANENSE.] *Fescan*, fundatum à Richardo Duce Normanniæ, Glaber Rodulphus, Paulus Diaconus *lib* 1. *Longobard.* & Iuo *Epist.* 19. est diœcesis Rothomagensis, apud Caletes.

f B. TITVLI SANCTORVM.] Is est Bertrandus ab Honorio III. primo sui Pontificatus anno legatus in Galliam.

g SANCTI IVDOCI.] sic legendum, non Vindoci, vt est in editione Raimundi. Duæ sunt Abbatiæ huius nominis in diœcesi Ambianensi, vna quæ vocatur Dammartini S. Iudoco in nemore, ordinis Præmonstratensis, fundata anno 1121. Alia vocatur S. Iudoci ad mare, *S. Iosse sur la mer*, siue Pontiuium, *Pontieu*, ordinis S. Benedicti, fundata à Carolo magno; sed fortè melius legeretur S. Vvindoci Bergensis, ordinis S. Benedicti, diœcesis olim Morinensis, nunc Yprensis, de qua Miræus *cap.* 31. *Origin. Benedict.* vulgò *Vvinochberghen*.

Quare ad electionem Fiscanensis Abbatis non admitti debuerint hi Abbates, notat optimè glossa in *dicto cap. apud Gregorium.* Prætendebant id ius ex eo quòd alias monachi fuerant in dicto monasterio, & quod cùm Abbates facti sunt, monasteriũ ius confraternitatis & habendi vocem in Capitulo eis reseruauerit, & ita putabant se posse eligere, atque etiam eligi, cùm essent eiusdem Collegij. Simile reperio in Necrologio nostræ Ecclesiæ Tolosanæ, in quo anniuersarium memoratur fratrum diuersarum Ecclesiarum, veluti Cæsaraugustanæ, Magalonensis, Fuxensis, Rotensis, sancti Antonini, Ronciouallis, Cluniacensis, Auscitanensis, Carcassensis, sancti Gatiani, Oxoniensis, Fredalensis, S. Bertrandi Conuenarum, S. Victoris Parisiensis, Taruiensis, Tiberiensis. Propter eandem electionis spem, Episcopi etiam & Abbates hoc ius sodalitii reseruabant, & se Canonicos eiusdem Ecclesiæ profitebantur. Asparagus Tarraconensis Archiepiscopus, Canonicus; Raimundus Amaldi Episcopus Conuenarum Canonicus & Archidiaconus; Petrus de Montebruno, & Guillelmus Episcopi Narbonenses, Arnaldus Rogerii de Conuenis, Episcopus Claromontensis, Amelius de Lautrico, Castrensis, & Maurinus & Raimundus de Montealto, Abbates Frigdalenses, Iordanus S. Saturnini, Sicardus de Barthis, Abbas Lumbariensis, qui omnes inter Canonicos recensentur, tanti fuit olim nominis Ecclesia Tolosana.

Porrò hoc monasterium Fiscanense immediatè pertinere ad Ecclesiam Romanam hic asseritur, quæ ratio etiam facit, ne alii Abbates præter dicti monasterii monachos ius eligendi Abbatem prætendant. Simili priuilegio, multis & peruetustis indultis confirmato, Ecclesia Tolosana sedi Apostolicæ immediatè subiecta est.

a *Rothomagen. Capitulo.*

CAPVT VI.

ECCLESIA vestra destituta pastore, & votis vestris, cùm de futuri prælati haberetis successione tractatum, in diuersa diuisis, quidam in Thomam, quidam in Cancellarium, & quidam singulariter in singulares personas eiusdem Ecclesiæ consensistis: vnde cùm super his in nostra & f. n. præsentia multa fuissent hinc inde proposita: inuenimus, quòd illi qui sua in Thomam desideria direxerunt, licèt partem maiorem facerent partium comparatione minorum; non tamen ad maiorem partem Capituli peruenerunt: considerauimus nihilominùs quòd post publicationem consensuum, & collationis tractatum, ad electionem nullus habitus est processus, quamuis deportationis solennitas etiam post appellationem legitimam fuerit subsecuta, quod pro electione non deceret, nec expediret haberi: vnde de f. n. consilio quod factum est de Thoma cassauimus, petitione consentientium etiam in Cancellarium non admissâ.

a ROTHOMAGENSI.] Agitur in hoc cap. de electione Rothomagensis Archiepiscopi post mortem Roberti Pulli 53. Archiepiscopi, qui electus fuit anno 1208. & sedit vsque ad annum 1221. in cuius locum successit Theobaldus 54. qui ordinatus est anno 1222. de quo Guillelmus Brito *libr. 12. Philippidos.*

Et qui Rothomago Theobaldus præsidet vrbi.

Hic vixit vsque ad annum 1231. post cuius obitum rursus disceptatum fuit super electione noui Pontificis, vt videre est in *cap. dudum. eod. apud Gregor.* ex quo patet Cœnomanensem Episcopum Mauricium II. postulatum, quem malè Claud. Robertus ab Honorio III. institutum ait; Honorius enim anteà decesserat anno 1227. & Gregorium IX. hunc ordinasse patet ex inscriptione *dicti cap. dudum.*

Hoc cap. habetur integrum apud Gregor. Tractatu habito, & publicato scrutinio, antequàm electio fieret, appellatio ad Rom. sedem deuoluta est; & tunc demum deportatio, seu delatio scrutinii facta in fauorem, vt existimandum est, Thomæ: sed quia electio non fuerat facta iuxta *cap. quia propter. hoc tit. apud Gregor.* deportatio sola sumi non potuit pro electione, & ita verum manet appellationem legitimam fuisse, quia facta fuerat publicato scrutinio, à quo recedere non potuerant electores, nullâ electione habitâ, *cap. publicato, eod.* Et hæc est mens Panormitani contra glossam, quæ appellationem non fuisse legitimam publicato scrutinio contendit ex verbis *dicti cap. Quia propter. nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto*; quæ verba non destruunt opinionem Panormitani; quia certum est post publicationem scrutinii eligentes, citra appellationis obstaculum posse procedere ad collationem suffragiorum, & electionem; sed in *hoc cap.* nulla fuit collatio, nulla electio, sed scrutinium ad sedem Apostolicam deportatum fuit post appellationem.

TITVLVS VI.

De autoritate, & vſu pallij.

a *Archiepiſcopo Lugdunenſi.*

Capvt I.



TVA nos. *& infra.* Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd tam in tua, quàm in aliena Diœceſi potes abſque pallio, & [b] ſandaliis celebrare; quum etiam in tua Diœceſi non ſemper debeas celebrare cum pallio, ſed diebus illis dumtaxat qui in Eccleſiæ tuæ priuilegiis ſunt expreſſi, ſícque ſoluta eſt quarta quæſtio, quâ quæſiſti an tibi ſit licitum pro defunctis cum pallio celebrare.

a EPigraphe huius cap. malè habetur apud Gregor. Archiepiſcopo Tri. M.S. Archiepiſcopo Lugdunenſi, rectè. Is eſt Raynaldus 80. Archiepiſcopus Lugdunenſis, cuius honorificam mentionem facit Honorius noſter in reſcripto M. SS. pro. Cartuſianis, relato à Seuertio, dato anno 8. Pontificatus ſui, vel, vt alii legunt, vltimo.

Quæ hoc cap. quæruntur Honorius eſſe iuris communis reſpondet; ſed, an in Miſſis defunctorum pallium deferri potuit, id negat; nec enim inter ſolennia hæ computantur, imò potiùs luctum repræſentant: & ideò purpureum colorem luctum etiam ſignificantem in ieiuniis, & memoriis defunctorum concedi reſpondet Demetrius Chomatenus ad Conſtantinum Cabaſilam *lib. 5. iuris Græcorom.* ἐν μόναις νηστίμοις ἡμέραις, καὶ ἐν μνημοσύνοις ἀπελθόντων, id eſt, *in ſolis ieiunij diebus, & mortuorum memorijs*: dum tamen in palla & pænula, ἐν στιχαρίῳ καὶ φαινολίῳ cruces non adhibeantur. φελόνης quippe erat pallium ſacerdotale, vt Gloſſaria Græca affirmant, ἱερατικὸν ἔνδυμα, &, quidem album, Pontificum verò purpureum vt plurimum, cum limbis quos fluuios vocabant, licèt & presbyteri etiam purpureis vterentur, vt docet Codinus *cap. 9.* & ita apparet ſaltem omnes Epiſcopos pallium crucibus intertextum geſtaſſe, eo tempore quo petendi pallii legem a ſummo Pontifice Græci neglexerunt, vt conſtat ex Luitprando *in legatione ad Phocam.* Vnicum iure potuit quæri ab Honorio, an toto tempore Miſſæ geſtandum fuerit pallium, quia videtur aliud obſeruatum, præſertim apud Græcos, vnde in ſynodo 8. Conſtant. *act.* 10. *c.* 14. dicitur καὶ ἐν παντὶ καιρῷ τῆς θείας μυσταγωγίας καὶ πάσης ἄλλης ἐκκλησιαστικῆς λειτουργίας ταῦτα φέρειν. *ne quouis tempore diuini ſacrificij, aut quacunque Eccleſiaſtica functione ferant.* Quod confirmatur ex Iſidoro Peluſiota Epiſt. 136. *lib.* 1. qui ait, tunc demum cùm recitabatur Euangelium Epiſcopum ſolitum deponere ὠμοφόριον, quod vocat τὸ σχῆμα τῆς μιμήσεως, id eſt, *habitum imitationis*, quia Epiſcopus geſtatione pallii ex lana confecti imitabatur Chriſtum. Similem ferè locum reperio apud Balſamonem ad interrogationem 16. Marci patriarchæ Alexandrini, vbi docet vſque ad recitationem Euangelii omnibus patere aditum, & poſtea diſcedere debent, μετὰ δὲ ταύτην τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἀνοιγόνται τὰ προαύλια ἐπιτρέποντα, καὶ τοῖς ἀρχιερεῦσι τὸ μὲν ἐπωμάδιον ὠμοφόριον τὸ εἰς τύπον τοῦ ἀμνοῦ καλλιτέχνησθεν ἀποτίθεναι, μεταχειρίζεσθαι δὲ τοῦ ἀληθοῦς καὶ ζωοποιοῦ ἀμνοῦ τὸ μυστήριον. Id eſt, *Poſteà autem incruentæ hoſtiæ aperiantur veſtibula, antiſtibus permittentiâ ſuperhumeralem amictum deponere, qui agni figurâ eleganter fabricatus eſt, & tractare veri, viuificique agni ſacramentum. lib. 5. iuris Græcorom.* quem morem à Latinis vſurpatum nondum comperi.

b Sandaliis.] Communes fuerunt calcei; ſed pro diuerſitate perſonarum præcipuè ſacerdotibus Gentilium apud Athenæum *lib.* 5.

Strabonem lib. 6. Herodotum, & alios. Et Christianis quoque ex candido linteo texti, in actis donationis Constantini, & apud Balsamonem. Obseruatum quippe olim ne fierent ex morticiniis, aut pellibus animalium, apud Seruium in 4. Æneid.



TITVLVS VII.

De renuntiatione.

Maioris Ecclesiæ, [a] sancti Ioannis Decano, & Magistro C. Can. sancti Dionysij Leodien.

CAPVT I.



ENIENS ad sedem Apostolicam Ioannes pauper Subdiaconus in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd cùm bonæ memoriæ I. Papa prædecessor noster dil. f. [b] Abbati de Emenrode Treuer. Diœc. & [c] maioris Ecclesiæ, ac [d] sancti Pauli Cantoribus Treueren. suis dederit litteris in mandatis, vt eidem I. si nihil canonicum obuiaret, præbendam in Ecclesia [e] sancti Florentij in [f] Confluentia, quam Iacobus Decanus ipsius Ecclesiæ in eius manibus per suas litteras resignauit, sub. appel. ob. assignarent. Eodem Ioanne litteras ipsas prædicto Decano, & aliis ostendente, idem Decanus de resignatione fortè penitens, occultauit litteras supradictas. Demum eidem Ioanni præfatis litteris restitutis eas nominatis Iudicibus vt exsequerentur mandatum Apostolicum præsentauit; cúmque iidem Iudices Apostolicum vellent adimplere mandatum, quidam se opposuerunt Canonici Ecclesiæ memoratæ, dicentes Subdiaconum memoratum renuntiasse iuri suo, quod ipsi ex ipsis litteris competebat. Dicto igitur subdiacono hoc negante, iam dicti Canonici testes ad hoc probandum aliquos produxerunt, per quos cùm videretur probatum Ioannem se gratiæ Capituli commisisse, duo Iudicum prædictorum, Cant. videlicet Treueren. sententialiter decreuerunt eumdem Ioannem non posse vti de cetero ipsarum commodo litterarum, pro eo quòd idem I. sic aduersarij gratiæ se commisit, propter quod visus est renuntiasse iuri sibi ex ipsis litteris competenti: à qua sententia idem I. appellans, licèt etiam anteà quàm appellasset vigiliam Epiphaniæ proximè præteritam terminum suæ appellationis præfixit, ad quam cùm idem I. veniret & Nobis prout superius est expressum, facti

ſeriem enarraret, dil. fil. [g] Petrum de Collemedio, Capellanum noſtrum ſuper hoc ſibi conceſſimus Auditorem: ſed cùm eius aduerſarius non veniret per duos menſes & ampliùs exſpectatus, nec vllus appareret pro eo ſufficiens reſponſalis, tandem quidam litteras habens, ad contradicendum & impetrandum coram eodem comparuit Auditore, qui cùm de iure ad tractandam cauſam minùs ſufficiens crederetur, Auditori prædicto nobis hæc omnia referenti, dedimus in mandatis, vt ſuper hoc aliquos de fratribus conſuleret, & in cauſa procederet iuxta conſilium eorumdem: ſæpedictus Auditor habito conſilio dil. fr. n. [h] T. ſanctæ Sabinæ Preſbyteri Cardinalis, ac etiam aliorum, ſententiam prædictorum iudicum ſententialiter iuſtitiâ exigente caſſauit. Nos igitur eiuſdem Capellani ſententiam ratam & firmam habentes, vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs reuocantes in irritum quicquid inueneritis poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam attentatum, ſententiâ iudicum Treuer. non obſtante, prædictam præbendam ei Subdiacono, niſi aliud canonicum obiectum fuerit & probatum, quare id non debeat adimpleri, autoritate Apoſtolicâ, ſublato appellationis obſtaculo, conferatis.

[a] HOC cap. integrum eſt apud Gregor. & congruit ferè inſcriptio, niſi quòd ibi omiſſa ſunt hæc verba: *S. Ioannis.* Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ & S. Dionyſii martyris ſunt in ciuitate Leodienſi, quas Notgerus 46. Epiſcopus conſtruxit, Anſelmus in geſtis Epiſcop. Leodienſ. *cap.* 35.

[b] ABBATI DE EMENO.] ſic in editione Raimundi: *de Emento* in M. SS. excepto vno, in quo *de Emenrode*. rectè. Abbatia de Hemerode, aliàs de clauſtro, eſt in Treuerenſi diœceſi, cuius fundationem deſcribit Cæſarius *lib.* 1. *cap.* 1. eiúſque ſæpè meminit.

[c] MAIORIS ECCLESIAE.] B. Petri, quam Agritius 1. Archiepiſcopus Treuerenſis, miſſus à Syluestro anno 3,0. ex palatio Helenæ in Eccleſiam conuertit, de qua idem Cæſarius *lib.* 7. *cap.* 40.

[d] AC SANCTI PAVLI.] Lege *Paulini*, quam Felix 7. præſul Treuerenſis 32. conſecrauit in honorem B. Paulini 29. præſulis Treuerenſis, & martyris à B. Martino conſecrati.

[e] SANCTI FLORENTII.] Martyris, vnius ex ducibus legionis Thebæorum interempti cum Caſſio Comite, & aliis Veronæ, quæ nunc eſt Bonna, diœc. Colonien.

[f] IN CONFLVENTIA.] Vrbe amœniſſima diœc. Colon. inter Moguntiam & Coloniam quà ſe Moſella Rheno miſcet, ideò Confluentia dicta, *Coblentz* Germanicè. Guntherus,

Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem,
Seruat adusque locum.

[g] PETRVM DE COLLEMEDIO.] Qui fuit poſteà Archiepiſcopus Rothomagenſis, 56. poſt Mauricium 2. anno 1234. Legatus Innocentii IV. ad Frider. 2. Imperat & aduersùs Albigenſes, & tandem ab eodem Cardinalis factus in Concilio Lugdunenſi, anno 1245.

[h] HABITO CONSILIO F. NOSTRI TITVLI S. SABINAE PRESBYTERI CARDINALIS.] Hic eſt Thomas de Capua, Campanus, ab Innocentio III. creatus, anno 1212. vixit vſque ad annum 1243. ob meritum patriarcha Hieroſolymitanus electus, ſed à Gregorio IX. non conceſſus, quià Eccleſiæ Romanæ vtilis.

Nihil intactum relinquit Gloſſa apud Gregor. Hoc vnum nota, agi de Ioanne paupere ſubdiacono, ſic enim notant tres mei M. SS. Codices, quod tamen omiſit Raimundus quamuis vim faciat. Ioannes litteras obtinuerat ab Innocẽtio III. pro adipiſcenda prębenda quam Iacobus reſignauerat, cuius receptioni ſe oppoſuerũt Canonici hâc ratione freti, quod

ipse Ioannes suo iuri renunciasset, ex eo quòd se gratiæ Capituli commisisset (simili ratione qua in *cap. sanè. eod.* alius se misericordiæ Canonicorum Pictauiensium subiecisset) tum quòd litteras Apostolicas eis tradidisset: quæ argumenta renunciationis esse videbantur. Duo tantùm spectanda hîc sunt: literas, falsis suasionibus, quæ dolo assimilantur, dedisse dictis Canonicis. 2. quòd qui gratiæ & misericordiæ aliorum se subiicit, non videtur renunciare; gratia enim & misericordia præsupponunt liberalitatem, & aliquod beneficium pro eo qui petit. Nam qui nihil speraret frustra ad gratiam & misericordiam aliorum recurreret: inde rectè à Græcis ἔλεος, *miseratio*, pro, *stipe* sumitur, & inde *Eleemosyna. Matth. 6.* & apud Pollucem *lib. 5. cap. 33.* χάρις, & δωρεὰ coniunguntur: & optimè Bernardus Papiensis ad *cap. sanè. de maiorit. & obed. in 2. compilatione, ait: quare se subijcit? scilicet vt ei prouideretur, cùm aliàs non esset hoc facturus*: aliter, nolentes vti misericordiâ ei ius suum restituere debent, *argum. l. 2. §. vlt. de donation.* tum etiam quòd per dolum ad dandas litteras inductus erat, vt satis constat ex verbis vtriusque Capituli.

---

a *Agath. & Nicen. Episcopis, & Archid. Agath.*

Capvt II.



Dilecti filij, Conuentus Monasterij [b] sancti VV. de desertis immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinentis, suis nobis litteris intimârunt, quòd Abbas eorum se sentiens insufficientem oneri regiminis Abbatiæ, cessit in manibus eorumdem; ipsíque dil. f. G. monachum sancti Victoris Massilien. elegerunt in Abbatem canonicè; supplicantes, vt eorum parcentes laboribus & expensis electionem ipsorum faceremus in illis partibus confirmari. Quum ergo dictus Abbas cedere sinè licentia nostra nequiuerit, Nos tam cessionem, quàm electionem prædictas decernentes irritas & inanes, discretioni vestræ per Apostólica scripta mandamus, quatenus Abbatem ipsum loco suo restitui faciatis.


a Agathensi et Nicensi Episcopis.] Agathensi, Seditio, vel, Berengario. Nicensi, lege, Niciensi, *Nice.*

b S. Vuillelmi.] fundati anno 804. in diœcesi Luteuensi, ordinis S. Benedicti à S. Guillelmo II. Comite Tolosano, qui hîc quiescit, vt potè monachus illius. Aliàs vocatur Monasterium Gellonense, à valle Gellonensi. Vide Clariss. virum Guillelmum Catel in *Historia Comitum Tolosanorum*.

Hoc Caput in Editionibus tribuitur malè Gregorio IX. quod est Honorij in omnibus M. SS. qui in eo docet Abbates exemptos, & qui immediatè subiecti sunt sedi Apostolicæ, non posse renunciare sinè licentia summi Pontificis: quâ etiam ratione vsus est Innocentius IV. in causa electionis Archiepiscopi Tolosani, anno 1292. licèt ius commune faueat omnibus Episcopis. *Dilectis filijs Capitulo Ecclesiæ Tolosanæ, salutem &c. Quódque dicta Ecclesia Tolosana Rom. Ecclesiæ est immediatè subiecta, nullúmque præter Rom. Pontificem superiorem habet.* Et posteà conqueritur contra dictum Capitulum, quòd Petrum de Rosergio elegissent, in non modicam derogationem iuris & autoritatis prædictæ Ecclesiæ Romanæ, licèt ipse de Rosergio vir esset summæ eruditionis, & pietatis, ita vt post eius obitum mûltis miraculis effulserit, vt ex *Martyrologio eiusdem Ecclesiæ*, & aliis actis patet.

[a] *Archiepiſcopo Treueren.*

CAPVT III.



ECTÆ coram nobis f. tuæ litteræ continebant, quòd Abbas [b] ſancti Apri. Tullen. quem de conuerſationis & vitæ honeſtate commendas, tibi humiliter eſt confeſſus, quòd dum adeò [c] graui ægritudine laboraret, quòd de vita deſperaretur ipſius, ad cuiuſdam tamen æmuli ſui conſilium, de quo ipſe cùm non crederet æmulum confidebat, in quorumdam monachorum ſuorum præſentia excommunicationis ſententiâ, ſi quam in eorum aliquem protulerat, reuocatâ, eos ab obedientia, in qua ſibi tenebantur, abſoluit; vocato Diœceſano Epiſcopo, vt Abbatiam in eius manibus reſignaret, quod tamen, vſus conſilio ſaniori, non fecit, licèt eidem Abbati ſanitati poſtmodùm reſtituto, vniuerſi & ſinguli de conuentu obedientiam & reuerentiam requiſiti ab eodem in Capitulo promiſiſſent. Idem tamen ſuper eo, quod ſi fecerat dubitans, à te quid ſuper hoc ſaluti ſuæ conſuleres, poſtulauit: propter quod tu, cùm habito ſuper hoc iuriſperitorum conſilio diuerſi diuerſa ſentirēt, noſtrum conſilium, an idem Abbas ex hoc reſignauit requiſiſti. Nos tamen ex tali facto dumtaxat eundem Abbatem reſignaſſe ſuo regimini non videmus.

[a] ARCHIEPISCOPO TREVERENSI.] Theodorico 4. Comiti de Vueda 88. qui ſedit ab anno 1212. vſque ad annum 1242.

[b] S. APRI TVLLENSIS.] Abbas S. Apri Tullenſis diœceſis ordinis S. Benedicti in honorem S. Apri 7. Tullenſis Epiſcopi, vulgò *ſainct Eure.* Richard Vuaſſemburg.

[c] GRAVI AEGRITVDINE LABORARET.] Vtpotè non ſanæ mentis, beneficio ſuo non cenſetur renunciaſſe, ex debilitate mentis & corporis, vt ait *Cap. quanta. hoc tit.* Hîc videtur agi tantùm de tali morbo, cui nulla ſuperſit ſalutis ſpes, qui ſit extra ſe poſitus, & extra mentem, vt loquitur Innocentius III. *in cap. ſicut tenor. de regular.* Hunc quidem moribūdum vocant, Thucydides meliùs *ψυχορραγοῦντα*, laborātem, apud Pollucem *lib. 3. cap. 31.* Innocentius, *agentem in extremis*, in *Cap. cum dilectus. de ſucceſſ. ab inteſt.*

TITVLVS VIII.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

a *Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

Capvt I.



QVAMVIS multa propoſita fuerint contra Venerabilem f. n. Epiſcopum Callien. etſi nihil probatum eſſet de illis; quia tamen confeſſus eſt coram nobis ſe numquam b de Grammatica didiciſſe, nec etiam legiſſe Donatum, & per euidentiam facti vſque adeò de illiteratura & inſufficientia ſua conſtat, quòd contra Deum eſſet, & canonicas ſanctiones tantum in Epiſcopo tolerare defectum: de communi Fratrum noſtrorum conſilio ipſum à Pontificalis executione officij & adminiſtratione Callien. Eccleſiæ duximus penitus amouendum; irritantes ſi quid nomine ipſius Eccleſiæ, vel de bonis eiuſdem de cetero attentabit.


a QVidam M. SS. Codices nullam habẽt epigraphen: vnus habet, *Archiepiſcopo Mediolanenſi*, quod putem verius quàm *Bremenſi*, vt vulgares Editiones habent, quia agitur de Callienſi Epiſcopo, non Calinenſi, qui nuſquam fuit. Huius diœceſis eſt in Marchia Anconitana, & hoc reſcriptum directum eſt Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui tunc erat Henricus Settara, qui ſedit ab anno 1210. vſque ad annum 1230. ex Chronico Panuuini. Et rectè, quia Marchia Anconitana caret Archiepiſcopatu, cùm omnes Epiſcopatus illius prouinciæ ad ſummum Pontificem pertineant. Tum etiam, quia Mediolanum eſt Metropolis Italiæ. Picenum annonarium, nunc Marchia Anconitana, erat in diœceſi Vicarij Italiæ, qui Mediolani commorabatur.

b De Grammatica.] Quod dicit Epiſcopum Callienſem nunquam didiciſſe Grammaticam, nec legiſſe Donatum, & valdè illiteratum & inſufficientem fuiſſe, hæc omnia coniunctim anſam præbent eum ab Epiſcopatu remouendi; quia Grammatica, quam Fabius *Litteraturam* vocari ait. fundamẽtum eſt ſcientiarum; cui coniungendæ ſunt Rhetorica, & Dialectica quas ſpecies ſcientiarum, & ſcientias ſanctiores vocat Pollux *lib. 4. cap. 2. εἴδη ἐπιστημῶν, ἢ τεχνῶν ἱερωτέρων.* Hæ nunquam in clericis damnantur, ſed nimia curioſitas, quæ fabulis, & Poëtarum nugis incumbit. Prudentem Epiſcopum in litteris, & ſecularium negotiorum cognitione verſatum eſſe debere, docet *diſt. 36.* Ideò & Rhetoricum vocat Politicum idem Pollux: nec generis nobilitas, & boni mores ſupplent defectum ſcientiæ, ſicut in alijs. Exemplum præbet Gregorius VII. *lib. 9. Epiſt. 2.* ad Alphonſum VI. Regem Hiſpaniæ, qui Sancium regis propinquum, licèt alijs claris dotibus inſignem, ob Grammaticæ defectum ab Archiepiſcopatu Toletano repulit, vt latiùs refertur in Chronicis Hiſpaniæ.

Episcopo

a *Episcopo, & Archidiacono Legion.*

CAPVT II.


VEL non est compos sui Episcopus [b] Oueten. vel nimis à se videtur scientiam repulisse, aut probatur ex malignitate peccasse.; quòd, vt alia quæ de ipso dicuntur enormia taceamus, M. puerum latorem præsentium xiij. annorum contra sanctorum canonum instituta inordinatè in Diaconum dicitur ordinasse, in ludibrium clericalis ordinis: quod vtique si nobis plenè constaret, quantumcunque simus proniores ad veniam, quàm ad debitam etiam vltionem, taliter hoc castigaremus in ipso, quòd ex pœna culpa notoria redderetur, & reuelata eius ignominia efficeret alios in similibus cautiores. Nolentes autem hoc relinquere indiscussum disc. v. m. quatenus inquisitâ super his & cognitâ veritate, si rem inueneritis ita esse, prædictum Episcopum à collatione ordinum sub. app. obst. suspendentes, ipsum, vt eidem M. quem ab executione officij Diaconatus vsque ad ætatem legitimam in iniuriam suspendimus ordinantis, prouideat in Ecclesia de beneficio competenti, per censuras Ecclesiasticas app. postp. compellatis.

a EPISCOPO LEGIONENSI.] Legio vrbs regia Hispaniæ, *Leon* cognominata à Leouigildo Gothorum rege, extinctis legionibus Romanis, autore Isidoro, secundo Chronicorum.

Hoc caput 2. apud Gregor. *in tit. de temporib. ordinat. cap.* 14. fuit à Raimundo collocatum.

b OVETENSIS.] M. SS. habent Ouetonensis, vel Ouensis, vulgata Conuentriensis: reponendum est Ouetensis. Ouetum ciuitas Gallecíæ olim regia, fundata regnante Sylone Rege Gallecíæ in monte Oueto, exculto à monachis S. Benedicti fugientibus tyrannidem Maurorum anno 781. qui ibi fundarunt Monasterium in honorem S. Vincentij; à quo ciuitas & Ecclesia Ouetensis sumpsit originē. Principes Gallecíæ sedem transtulerunt Legionē, ideò Honorius causam huius Episcopi Ouetensis committit Episcopo Legionensi. Facessat igitur vulgata lectio cum suo Episcopo Conuentriensi, suffraganeo Cantuariensis Episcopi in Anglia. Qui plura de Ecclesia Ouetensi scire voluerit, legat Sampirum Episcopum Asturicensem in Chronico. Abusus istius Episcopi, vnum erat ex intolerabilibus animarum detrimentis, quæ tempore Honorij nostri in partibus Hispaniæ ex defectu litteraturæ proueniebant, de quibus conqueritur Ioannes Cardinalis Sabinensis, legatus Honorij nostri: ad quam ignorantiam exstirpandam decernit in Concilio Ilerdensi anno 1219. vt per singulas diœceses in quolibet Archidiaconatu certis in locis per prouisionem Episcoporum, scholæ de Grammatica instituerentur.

TITVLVS IX.

De Sacramentis non iterandis.

Capitulo Bremensi.

CAPVT I.


Nobis humiliter quæsiuistis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus, qui, tempore [b] schismatici & reprobi [c] VValdemari, à schismaticis sunt sepulti; & de indumentis sacerdotalibus cum quibus, nec non de altaribus in quibus degradati Presbyteri celebrarunt. Nos autem inquisitioni vestræ taliter respondemus; quòd non credimus ob hoc dumtaxat sepultos huiusmodi exhumandos, aut debere indumenta talia iterum benedici, vel reconsecrari altaria supradicta.

a CAPIT. BREMEN.] In vulgata editione malè hoc caput dirigitur Archiepiscopo Londoniensi, vel Lugdunensi, ex correctione Romana; bene autem in omnibus MSS. Capitulo Bremensi; agitur enim in hoc cap. de Vvaldemaro intruso in sedem Archiepiscopalem Bremensem.

b SCHISMATICI.] Quia primò adhæsit Philippo Imperatori schismatico, posteà Othoni deposito, & excommunicato ab eodem Innocentio.

c VVALDEMARI.] Hic Vvaldemarus filius fuit Canuti, qui se pro Rege Daniæ gerebat, contra Vvaldemarum verum Daniæ regem, & dum esset Sleuuicensis Episcopus regnum sibi voluit vsurpare: quem Rex captum in vinculis detinuit, posteà liberatus ex Episcopo Sleuuicensi in Bremẽsem Ecclesiam intrusus, ope Bernardi Saxoniæ Ducis, fautoris Othonis, quem Innocentius III. excommunicauerat (non Philippi, vt alij volunt, qui antea mortuus erat, anno 1208.) contra Gerardum Osnaburgensem Episcopum à Bremẽsibus postulatum, & ab Innocentio III. confirmatum. Vide *Epistolam* 165. Stephani Tornacensis, Historiam Episcoporum Bremensium, Abbatem Stadensem, ex quo Krantzius desũpsit quæ de isto Vvaldemaro scripsit, vt alia plæraque, Innocentij III. *Epist.* 3. *lib.* 15. *Reg.* & Notas Viri Clariss. Bosqueti.

TITVLVS X.

De corpore vitiatis.

a *Archiepiscopo Colon.*

CAPVT I.

Non ponitur.


Ostulasti, Magistro N. clerico ad nostram præsentiam destinato, vti votis [b] Vltrasiluanensis Ecclesiæ vellemus annuere, super eo, quòd ad eamdem Vuaradiensem Præpositum elegerunt, confirmationem electionis eiusdem remit-

tere dignaremur. Nos verò f. t. in hoc, & in alijs, quantùm cum Deo possumus, deferre volentes, præfatum electum ad te cum gratia nostra duximus, remittendum, per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenus, quum hoc deferendi tibi causâ fecerimus, erga electum ipsum, si aliàs est idoneus, non obstante maculâ, quæ in altero ipsius oculo videbatur, sinè difficultate prout ad tuum pertinet officium exsequaris.

a ARCHIEPISCOPO COLONIENSI.] Engelberto 49. qui sedit ab anno 1216. vsque ad 1225. quo occisus fuit à nepote suo; de quo plura Cæsarius in histor. miracul. & in vita dicti Engelberti ab eo composita, apud Suriũ 7. Nouembris, & dicauit Henrico successori Engelberti, cui forsan hoc cap. directum est, nam sedit ab anno 1225. vsque ad annum 1232. Hieron. Rubeus in histor. Rauennat. *lib. 6.* ait Engelbertum fuisse omnis Italiæ Archicancellarium.

Hoc caput congruit cum *cap. 2 ext. eod.* Macula oculi non impedit promotionem ad ordines. Quid, si quis vnum oculum alio maiorem habeat? quærit Papiensis in *1. Compilat.* & concludit nec hanc deformitatem obesse, sicut qui oculos nimis eminentes habet ἐξόφθαλμος, *l. qui clam. de ædilit. edic.* Aliud est de luscitioso, quem νυκτάλωπα vocant Græci, Poëtæ ἰλλὸν, qui diem non videt, qui cæcitudine nimiâ laborat, & qui parum videt, *l. idem Offilius. eod.* hoc defectu laborantes *nuscitiones* vocat Festus τοὺς ἀμυδρῶς βλέποντας, id est *obscurè videntes*, nec multùm à cœcitate alienos, apud Hesychium.

b VLTRASILVAN. ECCLESIAE.] Videtur legendum Vltraiectensis, *Vtrecht*, quæ erat tunc Episcopalis, & sub Coloniensi, facta tantùm Archiepiscopalis à Paulo IV.

---

[a] *Episcopo Engolismensi.*

CAPVT II.

b THomas monachus sancti Amantij de Brixia, proposuit coram nobis, quòd cum in annis esset puerilibus constitutus, quædam barra ferrea super dextræ suæ pollicem fortuito casu cadens, vngulam euulsit ab eo: cùm autem desideret, sicut asserit, in sacerdotali officio Domino famulari, nobis humiliter supplicauit, vt per te, qui eius diœcesanus existis, promoueri eum in sacerdotem mandaremus. Quocirca f. t. m. quòd si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice illo potens, & aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoueas sacerdotis.

a EPISCOPO ENGOLISMENSI.] Guillelmo, vel Rodulfo 37. & 38. Episcopis Engolismensibus.

b THOMAS.] Iste monachus in M. SS. dicitur esse S. Amantii de Brixia, vulgò, *de Brices*, ordinis S. Benedicti, cuius monasterij Abbas est Illustrissimus noster Archiepiscopus Tolosanus.

TITVLVS XI.

De filijs presbyterorum.

[a] *Decano Furn. Morin. diœc. & Magistro Giliberto Morin. & L. Sancti Donatoris in Brugis, Tornacen. diœcesʃ.*

Capvt I.

Dilectus filius G. Præpoſitus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in [b] Brugis tranſmiſſa nobis petitione monſtrauit, quòd cùm Virgilius presbyter, Tornacen. diœceſis, quandam præbendam eiuſdem Eccleſiæ curam animarum habentem, quam nullo medio habuit pater eius, tam contra Lateran. quàm generalis Concilij ſtatuta obtineat in ſcandalum plurimorum; idem ipſum monuit diligenter, vt reſignaret eandem: ſed idem aſſerens quòd bonæ memoriæ VV. Remenſis Archiepiſcopus, tunc Apoſtolicæ ſedis legatus, diſpenſauit cum eo, id efficere contradicit; quamquam cum eo non fuerit per Romanum Pontificem diſpenſatum. Quocirca diſc. v. de vtriuſque partis procuratorum aſſenſu mandamus, quatenus partibus conuocatis, & auditis hinc inde propoſitis, non obſtante diſpenſatione aliquâ, quæ à ſede Apoſtolica non emanauerit, quod canonicum fuerit, app. poſtp. ſtatuatis.

a Decano Fvrn.] Sic legenda eſt inſcriptio, Decano Furnenſi, Morinenſis diœceſis, & Magiſtro Giliberto, Morinenſis, & Lamberto S. Donatiani in Brugis Tornacenſis diœceſis. Furnæ vrbs Flandriæ diœceſis Morinenſis, nobilitata victoriâ Gallorum contra Flandrenſes, anno 1297. Vide Iacob. Meyerum *lib.* 8. & 10. *Annal. Flandr.*

b Brvgis.] Brugæ, vrbs Flandriæ celeberrima, olim ſub Tornacenſi Epiſcopo, nunc Epiſcopat' ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi: in hac eſt Capitulum Collegiatum S. Donatiani, ſeptimi Remorum Epiſcopi, olim B. Mariæ dicatum, ſed ob tranſlationem reliquiarum S. Donatiani ſub Hadriano II. & Carolo Caluo, dicti ſancti nomine indigitatum fuit. Vide litteras Remorum Epiſcopi ad Balduinum Ferreum, Flandriæ Marchionem, inuentas in veteri ſcrinio cum corpore S. Donatiani, *apud Molanum in Indiculo SS. Belgij.*

Licèt filius presbyteri non poſſit obtinere beneficium patris, curam habens animarum in eadem Eccleſia; ſi ſit tamen beneficium ſimplex in ea, obtineret, ait Bernardus Papienſis. Hæc autem prohibitio fit propter reuerentiam ſacramentorum, & in deteſtationem criminis.

TITVLVS XII.

De Clericis peregrinis.

[a] *Episcopo Regino.*

CAPVT I.



E nobis proponente didicimus, quòd quidam Prælati tuæ iurisdictionis, in Ecclesijs sibi commissis sinè consciẽtia, & consensu tuo, clericos de alienis Episcopatibus instituere non verentur: attendentes igitur id eis nullâ ratione licere, cùm sit honestati contrarium, & à sanctorum patrum institutionibus alienum [b] ad exẽplar felicis record. Alex. Papæ prædecessoris nostri, autoritate tibi Ap. indulgemus, vt si qui clerici de alienis Episcopatibus in Ecclesijs tuæ iurisdictionis, sinè conscientia & assensu tuo sunt, vel fuerint in posterum instituti, tibi liceat eos ex autoritate nostra, app. postp. remouere; nisi aliquos ex his ex dispensatione in eisdem Ecclesijs duxeris retinendos.

[a] EPISCOPO REGINO.] Regium in Æmilia, Regium Lepidi, Straboni, ad differentiam Archiepiscopatus Regiensis in Brutia, dictum Regium Iulii, *Reggio*, suffraganea Episcopi Bononiensis, &c.

Institutionem hîc sume strictè, pro collatione præbendarum, vel beneficiorum pro electione, postulatione, præsentatione, translatione, commenda, seu fiducia, *Cap. cùm venissent. extr. hoc tit. cap. cùm ex iniuncto. de hæretic.* Potest & pro ordinum collatione sumi, vt in *can. nullus, & sequ. 60. dist.* Ordinatio & institutio promiscuè sumpta, quia olim nulla ordinatio sinè institutione, seu titulo, *can. sanctorum. 70. dist. & tota dist. 71.*

[b] AD EXEMPLAR.] intelligit Constitutionem primam huius tit. quæ propriè est de clericis transmarinis, & è regionibus remotis aduenientibus, circa quos potest, causâ cognitâ, dispensari. Hoc cap. agit Honorius de his qui à Prælatis instituuntur in Ecclesiis, inscio Episcopo; vbi nomine Prælati intelligit Abbates, Archidiaconos, Plebanos, & alios de quibus in *cap. 2. de Iudic.* & alibi diximus; & verba Honorii indicant; *Quidam Prælati tuæ iurisdictionis in Ecclesijs sibi commissis*, ex quibus colligo intelligere Prælatos alios, quàm Episcopos.

TITVLVS XIII.

De officio Archidiaconi.

[a] *Abbati Arremar. Trecen. diœc. & Archid. & Decano Sancti Stephani Trecen.*

CAPVT I.

Dilecto filio. & *infra*. Ad petitionem Archidiaconi Senon. conquerētis quòd Abbas, & Conuentus monasterij [b] Sancti Petri Viui Senon. procurationem annuam, & quædam alia, ratione sui Archidiaconatus ad ipsum spectantia exhibere sibi contra iustitiam denegabant, Abbati sancti Crispini, & collegæ eius dedimus in mandatis, vt audirent causam huiusmodi & fine debito terminarent. Coram quibus petijt dictus Archidiaconus, vt cùm idem monasterium intrà metas sui Archidiaconatus sit situm, ei præfati Abbas & monachi obedirent in his quæ pertinent ad iurisdictionem, correctionem, reconciliationem, & visitationem, ad ius, vt dicebat, Archidiaconale spectantes; videlicet vt coram ipso conquerentibus responderent, ac starent iuri, & iustas eius sententias obseruarent, citati venirent ad eius præsentiam, & eius mandata honesta, & facta secundùm Deum de correctione excessuum, & alijs quæ Archidiaconi solent & possent rationabiliter iniungere audituri, & saluâ suâ regulâ, & Abbatis sui debitâ obedientiâ seruaturi. Petijt insuper ne de cetero facerent aliquos de Senon. [c] bailliuia, eo prætermisso [d] coram Officiali Senon. Archiepiscopi conueniri, asserens illos priùs debere conueniri sub ipso, quàm coram Officiali prædicto, specialibus ipsius Archiepiscopi, & hominum, ac familiæ suæ causis dumtaxat exceptis. Lite igitur super præmissis coram præfatis iudicibus legitimè contestatâ, & auditis ab eisdem hinc inde propositis, ijdem iudices de vtriusque partis assensu, causam ipsam ad examen Apostolicum remiserunt. Ipsis ergo Abbate, & Archidiacono in nostra præsentia constitutis, nos attendentes eorum consuetudines esse super Archidiaconi iurisdictione diuersas, cùm in hoc casu nesciremus consuetudinem quâ in Abbatijs Senonensib. ordinis præfati monasterij vtitur Archidiaconus Senon. finalem habere nequiuimus in huiusmodi quęstione processum. Volentes autem vt eidem quæstioni finis debitus impo-

natur, causam ipsam vobis de ipsius Abbatis, & procuratoris alterius partis assensu duximus committendam. Ideóque disc. v. m. quatenus [e] per maiores Ecclesiæ Senon. Canonicos, qui habere debent de huiusmodi consuetudine notitiam pleniorem, super his veritatem solicitè inquiratis; & nisi vobis infra tres menses post primæ citationis edictum constiterit per eosdem, præfatum Archidiaconum, vel prædecessores ipsius de pacifica sic obtenta consuetudine iurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in huiusmodi Abbatijs hactenus habuisse, præfatum monasterium ab eius petitione penitus absoluatis, perpetuum super hoc ipsi Archidiacono silentium imponentes. Si verò per eosdem Canonicos vobis constiterit ipsum Archidiaconum, vel eius prædecessores, de sic obtenta consuetudine hactenùs habuisse iurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in alijs huiusmodi Abbatijs, ea dumtaxat adiudicantes eidem in monasterio supradicto, quæ ipsum, vel prædecessores suos in monasterio ipso, vel in eisdem Abbatijs constiterit habuisse, super alijs perpetuum ei silentium imponatis: in prædictis omnibus sub. app. ob. processuri.

[a] ABBATI ARIMINENSI.] sic apud Raimūd. sed malè: Arremarensi, in M.SS. Arimarensis Abbatia in diœcesi Trecensi, ordinis S. Benedicti, *Monstier ramey*. Vide Sirmondum ad Petrum Cellensem *Epist.* 2. *lib.* 2.

Hoc capite archidiaconus iure communi omnes infra metas sui Archidiaconatus, suæ iurisdictioni & visitationi subditos esse asserit, & ideò procurationes sibi deberi, iuxta *cap. cùm Apostolus*, & *cap. sopitæ. extr. de censib.* quia annexa est Procuratio visitationi, *cap. cùm venerabilis. eod.* Quantùm ad monasteria, præter ius commune, consuetudines etiam exigit *dict. cap. sopitæ.* & Honorius *hîc*. De iuribus Archidiaconi latiùs *in Paratitlis*.

[b] ABBAS S. PETRI VIVI.] MSS. habent *Viui*, rectè: vocatur hoc monasterium *S. Pierre le vif*, iuxta ciuitatem Senonensem, & est ordinis S. Benedicti. Iste Abbas erat Huldericus, vel, Hugo tempore Honorij nostri.

[c] DE BAILLIVIA.] Districtus, territorium, Bailliuia, idem quod Balliuatus, seu, Ballia. Dictio barbara. Est certa prouincia, seu regio quæ suos hâbet Balliuos, iustitiarios, seu iudices, *cap. quoniam. de immunit. Eccles. in* 6. 2. *feudorum, tit.* 54. Inde Balium etiam omne patrimonium, seu Feudum *in Constitution. Siculis lib.* 2. *tit.* 7. & *lib.* 3. *tit.* 23. Inde factum vt non solùm qui curam bonorum habebant, dicerentur *Balij*; sed etiam defensores & tutores, quibus cura personarum incumbebat. Hincmarus, *Epist.* 2. *ad Carolum Crassum, cap.* 2. *Istis iunenibus filijs vestris, regibus nostris, maturos ac prudentes, atque sobrios Baiulos singulis constituite.* Ita etiam tutela, seu administratio dicta est, *Balia* in dictis constitutionibus Siculis, & ab Innocentio III. *Epist.* 242. *lib.* 1. dicitur, Præpositura terrarum.

[d] CORAM OFFICIALI SENONENSI.] Archidiaconus Senonensis in suo districtu ex consuetudine ordinariam iurisdictionem prætēdebat, quam de iure communi Episcopi habent. Et ideò appellatio a sententijs Archidiaconi, vel eius Officialis, ad Officialem Archiepiscopi pertinebat. Aliud est si Archidiaconus cum Archiepiscopo eandem personam sustineat, vtpotè si consideretur vt eius Vicarius, quia tunc ad Metropolitanum iudicem appellatio deuoluitur, ne ab Archidiacono, qui tunc idem esset cum Archiepiscopo, ad eundem appelletur, contra sensum *cap. Romana.* §. 1. *de appellat.* in 6. licèt aliter sentiat Cuiacius, de quo videnda Obseruatio 8. *lib.* 2.

[e] PER MAIORES CANONICOS.] Maiores Canonici dicuntur ad differentiam aliorum, qui quidem sunt Canonici, sed non pares dignitate, qui licèt habeant stallum in choro, non tamen vocem habent in Capitulo, vt fit in plerisque Cathedralibus Ecclesijs. Eodem modo quo nobiles personæ distinguuntur à

mediocribus, *& in l. 4. Cod. Theodos. de desertorib. mediocris loci ingenuus* dicitur: de his vulgò in legibus Longobardorum & Burgundionum. Sic etiam erant olim senatores cum dignitate, & senatores absque dignitate *in l. 52. & 54. Cod. Theod. de haeretic. Dominus maior* apud Sidon. *Epist. 3. libr. 1.* Cardinales, vt dixi *ad tit. de cler. non resident.* Ita πρόσωπα esse ἀξιώματα apud Iudaeos & Arabes annotauit Scaliger ad Eusebium. Idem de Personatibus *in cap. dudum 2. de elect.* & *cap. de multa. de praebend.* Vel etiam Maiores Canonici dicuntur, qui sunt seniores & antiquiores, non solùm qui annũ 70. egressi sunt, vt *in l. maiores, de Iure immunit.* ad differentiam iuniorum Canonicorum & inferiorum. *Cap. 1. de his quae fiunt à mai. par. capit.* qui vocantur *Domicellares* in can. 86. Synodi Moguntinae, sub Paulo III. pari ratione quâ *Domicelli* dicuntur in *formula* Marculphi 90. Id est, *minores Domini*, & in Concilio Coyanensi in Hispania, *Comites & Maiorini, regales:* elegantiùs *Dominuli* apud Scaeuolam, in *l. vxorem 41. de legat. 3. Publio Maeuio Dominulo meo dari volo pueros quinque.* De his latiùs ad *Titul. de maioritate & obedient.*

Episcopo [a] *Vulterano.*

CAPVT II.

Non ponitur.



QVID ad Archidiaconi spectet officium in epistola beati Isidori, & Ordinis Romani statutis, necnon & constitutionibus alijs inuenitur expressum; vnde non sinè ratione miramur, quòd cum dilect. f. Magister Vvido, Archidiaconus Ecclesiae tuae, occupatus Cancellariae nostrae seruitijs in Archidiaconatu suo personaliter ministrare non possit; ac propter hoc commiserit dilectis filijs Vulterano Capitulo vices suas; tu, sicut eodem accepimus conquerente, cùm examinatiò, praesentatio, ac installatio clericorum siue de beneficijs, siue de dignitatibus hìc agatur, pertineat ad eundem, eodem, ac procuratoribus suis irrequisitis, omninò ipsos [b] instituis pro tuae arbitrio voluntatis, aliàs super officio suo grauis eidem & iniuriosus existens. Vt igitur quòd per seipsum modò non potest, per alios liberè prosequatur, f. t. p. a. sc. m. quatenus procuratores ipsius in ijs quae iure scripto, vel approbatâ consuetudine ad sui Archidiaconatus officium spectare noscuntur, beniuolo studeas fauore fouere, attentiùs prouisurus, vt eos in praemissis, & alijs ad officium suum spectantibus non impedias, nec patiaris quantùm in te fuerit ab alijs impediri.

[a] EPISCOPO VVLTERANO.] Aliàs vocatur hic episcopatus Vulturarensis, in regno Neapolitano, & in terra Samnitium, hodiè *Abruzzo*, sub Archiepiscopo Beneuentano. Vulturata ciuitas posita super altissimos montes, qui *Tremuli* vocantur.

In hoc cap. Honorius eandem mouet dubitationem, quam Innocentius III. in *cap. 7. eod.* quid ad Archidiaconum spectet, cùm nihil decisum reperiatur, praeter epistolam D. Isidori in *can. perlectis. 25. dist.* & Ordinem Romanum. Multa verò sibi arrogarunt Archidiaconi; quae quidem Innocentius ipse rationi contraria esse existimauit in *cap. dudum 2. de elect.* Et consuetudinem spectandam esse ait, ad quam Honorius respicit: ità vt ius commune non faueat Archidiaconis, nisi inquantùm ab Episcopis indultum est. De his fusiùs in Obseruationibus, & Paratitlis.

[b] INSTITVIS.] Episcopus Vulteranus sibi institutionem

tutionem quorumdam beneficiorum & dignitatum arrogabat, contra ius Archidiaconi, cui fauebat consuetudo. Eandem controuersiam mouit idem Episcopus contra Capitulum Vulturanense, ad quod pertinebat electio & institutio Canonicorum iuxta Thusciç consuetudinem in *cap. cum Ecclesia. de elect.* Ita quoque de Archidiacono Pictauensi scribit Arnulphus *Epist. 27. ad Alexand. III.* ad quem electio Archipresbyteri in suo Archidiaconatu ex consuetudine pertinere contendit.

TITVLVS XIV.

De officio Vicarij.

Episcopo a Vvigorn.

CAPVT I.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd quidam in Ecclesijs, quibus perpetuas obtinent vicarias, debitam residentiam facere, ac in presbyteros promoueri contemnunt. Nolentes igitur abusum huiusmodi, sicuti nec debemus, æquanimiter sustinere, f. t. m. quatenùs perpetuos Vicarios vt in Ecclesijs in quibus Vicarias obtinent, resideant vt tenentur, & se in presbyteros, vt eorum cura exigit, faciant promoueri, per subtractionem prouentuum Vicariarum ipsarum app. rem. compellas.

a EPISCOPO VVIGORNIENSI.] Vuigornia, hodiè *Vuorchester.* Beda *lib. 4. histor. cap. 23.*

Hoc caput refertur apud Gregor. sed non integrum. Quæstio est de Vicario curam animarum habente in Parochiali Ecclesia, qui vel statuitur Ecclesiæ mortuo Plebano, autoritate Episcopi iuxta Tridentinum Conciliũ, *sess. 24. can. 28.* Vel etiam est de Vicario perpetuo qui adiungitur Priori qui exemptus est à cura animarum, & persona nominatur. Ille quidem remoueri non potest, *cap. ad hæc. eod.* Quod autem dixi mortuo Plebano Vicarium statui, non ita de dignitatem habentibus, quibus mortuis, vel morbo sontico, furore, vel cœcitate laborantibus non est dandus Vicarius, seu Coadiutor, sed Vicarius simplex, quem amouibilem vocant: ita decreuit Congregatio ad *dict. cap. 18.*


TITVLVS XV.

De officio, & potestate iudicis delegati.

Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono [a] *Bituricen.*

CAPVT I.

Non ponitur.



X parte charissimæ in Christo filiæ [b] B. quondam Anglorum Reginæ, fuit propositum coram nobis, quòd cùm [c] nobilis vir VV. de Guerchia Nanneten. Redon. & Andeg. diœcesis, ipsam [d] castro de Segreio ad eam [e] ratione sui dotalitij pertinente, pro suæ voluntatis arbitrio spoliarit, & ipsa super hoc contra eum à bonæ memoriæ I. Papa prædecessore nostro ad nos litteras impetraret, quia pars aduersa postulatis à nobis inducijs deliberatorijs & obtentis, rescriptum Apostolicum, pro eo quòd in hac dictione, spoliarit, hæc figura, O, deerat, asseruit vitiosum; proponens nihilominus quòd mandatum huiusmodi exspirauerat mortuo mandatore, licèt iam à nobis tres citationes, vel quatuor emanassent: vos tamen admissis huiusmodi exceptionibus friuolis in ipso negotio procedere distulistis. Nos ergo de discretione vestra non modicum admirantes, cùm per præcedentia etiam subsequentia intelligantur, licèt ex scriptoris vitio, vel occupatione prædictum, O, fuerit omissum, satis vobis potuerit de mandatoris intentione constare, nec eius mandatum in ipsius obitu exspirauerat, eò quòd res integra iam non erat; ac volentes vt finis litibus imponatur, disc. v. p. a s. m. quatenus, exceptione huiusmodi non obstante, in negotio ipso iuxta priorum continentiam litterarum sublatâ cuiuslibet, contradictione, & app. obst. ratione præuiâ procedatis.

a BITVRICENSI.] Inscriptio huius capitis in MSS. est Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono Bituricensi, malè: in collectione Raimundi, Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono Turonensi, rectè: partes enim de quibus agitur in hoc cap. erant diœcesis Redonensis, Andegauensis, vel Cœnomanensis, quæ omnes sunt sub Archiepiscopo Turonensi, & Archiepiscopatus Bituricensis longè distat ab his diœcesibus. Porrò tunc temporis sedebat in cathedra Turonensi Ioannes, nepos Bartholomæi Archiepiscopi, *de Fayet*, qui Pallium accepit ab Innocentio III. per manus Gallionis Cardinalis S. Mariæ in Porticu. Duchesne in *Innoc. III.* & fuit LXX. Archiepiscopus, vel Iuellus, seu Iubellus *de Matefelon* successor, LXXI. archiepiscopus.

b B. QVONDAM.] Berēgariæ, vel Berengeræ filiæ Sancij sapientis, nō Garsiæ (vt vult Cujacius) & sororis Sancij inclusi, Regū Nauarræ. Eam Richardus primus Angliæ Rex vxorem duxerat in insula Cypri, anno 1191. reiectâ Adelâ sorore Regis Franciæ, quam viuente patre Henrico 2. desponsauerat. Vide Guillelmum Neu-

brigensem *lib. 4. cap. 19. & lib. 5. cap. 2. de rebus Angliæ*, Rogerū de Hoüeden *Annal. part. post* sub Richardo. Rege, & Marinum Sanutū *lib. 3. secretor. fidel. Crucis, parte 10. cap. 4.*

c Nobilis vir.] Variant MSS. Codices in nomine huius militis: vnus habet VV. de Verchia, alius de Vuantia, tertius de Vuirchia, nullus rectè, Vuillelmus de Guirchia vocabatur. Diploma treugæ inter Philippum 2. Regem Francorum, & Ioannem Regem Angliæ anno 1206. initæ, in historia Normannorum: *In manum capit Rex Franciæ*, inquit, *quod Vuillelmus de Guirchia &c. quia treugam iurandam ex parte nostra requisiti fuerunt, eam tenebunt*. Ex quo constat illum infensissimum hostem fuisse Ioannis Regis Angliæ, & omnium Anglorum. Et in Pittacio militum Britanniæ ferentium bannerias tempore Philippi 2. ponitur Vuillelmus de Guirchia; & Castrum nobile, *la Guerche*, adhuc extat in Diœcesi Redonensi; in quo est Ecclesia Collegiata, ad cuius Decanum rescribit Innocent. III. *lib. 1. Epistol. 310.*

d Castro de S.] Duo MSS. habent de Sergio, tertius de *Segreio*. rectè. Hodiè quoque hoc Castrum huiusmodi nomen retinet, & vocatur Castrum de *Segrè* in Diœcesi Andegauensi ad Ondum fluuium.

e Ratione sui dotalitii.] Rogerus de Houeden, sub Ioanne Rege, anno 1201. ait; *Ioannes Rex satisfaciens Berengeræ Reginæ, vxori Richardi Regis fratris sui de dote sua, dedit, & in vita sua habere voluit Ciuitatem Baiocensem cum pertinentijs suis, & duo Castella in Andagauda*. Probabile est vnum ex istis castris fuisse dictum Castrum *de Segrè*.

---

a *Messen. &* b *Regien. Archiepiscopis.*

Capvt II.

ROgatus olim à vobis, & ff. nostris charissimis in Christo, fil. n. Fredericus Romanorum Imperator, & semper Augustus, & Rex Siciliæ, vt restitueret Ven. f. n. c Cephalud. Episcopum, quem spoliauerat Ecclesiâ, & alijs bonis suis, se id liberè facturum viuâ voce promisit: vnde, per scripta nostra *(Hic incipit hoc cap. in veter. edit.)* ven. f. n. Archiepiscopo Cusentin. nostris dedimus litteris in mandatis, vt ven. f. n. Cephalud. Episcopum restitui faceret ad Episcopatum, & alia quibus fuerat indebitè spoliatus: quo restituto plenariè, & corporalem ac pacificam possessionem adepto, si videret quòd idem Episcopus meritò esset, prout nobis suggestum fuerat, de dilapidatione suspectus, virum prouidum & honestum prouideret coadiutorem eidem, sinè cuius consilio nihil eorum faceret, quæ ad administrationem pertinent temporalem, quousque veritate compertâ duceremus aliter prouidendum. interim omne alienationis genus vtrique autoritate nostrâ districtiùs interdicentes. Porrò idem Archiepiscopus infirmitate corporis grauatus, commisit in huiusmodi negotio vices suas, primò Abbati sancti Spiritus de Panormo, ac demum Thesaurario Cusentin. quorum processus nobis exhibitos de fratrum nostrorum consilio cassauimus, iustitiâ exigente; quòd videlicet Abbas contra mandati nostri tenorem ad inquirendum vtrùm de dilapidatione suspectus esset Episcopus, eo non restituto processit, & Archie-

episcopus ipse, cùm iam suo functus esset officio, dicto Abbati committendo in integrum vices suas huiusmodi negotium dicto Thesaurario non potuit demandare.

[a] MESSANENSI ARCHIEPISCOPO.] Berardo. Hieron. Rubeus in historia Rauennate.

[b] REGIENSI ARCHIEPISCOPO.] Lando, familiari Friderici II. Imperatoris. *Idem.*

[c] CEPHALVDENSEM.] Cephalœdis Ciuitas Siciliæ, *Cifalu*, Episcopali sede à Rogerio 2. Rege Siciliæ, & insignibus priuilegijs dotata. Vide causam in charta huius erectionis, relata à Thoma Fazelo, *Prioris decadis, rerum Sicularum, lib.5. cap.3.* Suffraganea est Archiepisc. Messanensis. Errant ergo Codex Prouincialis vetus, & Leo Imperator in *Dispositione sua*, qui eam sedem Episcopalem faciunt ab antiquo, & ponunt sub Syracusano Metropolitano, quãdo Sicilia throno Patriarchæ Constantinopol. subdita erat; nisi dixeris vetustate, aut vi bellorum; alióue casu deletam; & rursus à Rogerio ædificatam, & Episcopali sede donatam; antiqua enim & magni nominis fuit, & Cicero 5. *in Verrem*, eam sacerdotij maximi dignitate decoratam refert. Certè in antiquis Notitijs nuper editis ab Abbate Fuliensi in *Geographia Sacra* non fit mentio huius Episcopatus.

[d] DE DILAPIDATIONE SVSPECTVS.] Thomas Fazelus, *posterioris Decadis, de rebus Siculis lib. 8.* author est Rogerium Regem posuisse in præfata Cephaludensi Ecclesia magnificè à se extructa, & Saluatori dicata, quando eam in Episcopalem erexit, sarcophagos duos porphyreticos ibi perpetuò permansuros ad decessus sui signum; sed post eius obitum qui Panormi obtigit, Federicum II. dicta sepulcra quamprimùm Panormum transtulisse, Ioanne de Neapoli Episcopo Cephaludensi callidè Barcinonam priùs à se misso, vt liberiùs quod conceperat perficere posset. Verisimile est de hac dilapidatione sepulcrorum secretò à Friderico facta dictum Ioannem suspectum fuisse, & forsan callidè Fridericus Honorio hanc suspicionem subjecerat in caput dicti Episcopi; vt meliùs rem celaret: quò referre possis verba huius capitis, *Prout nobis suggestum fuerat*, in omnibus M.SS. inserta & in collectione Raimũdi omissa: inuidiã enim huius facti à se amoliri desiderasse Fridericum coniectura est, & in alium transferre: turpe enim erat, & contra prohibitionem Rogerij nominatim factam, in charta erectionis Ecclesiæ Cephaludensis.

---

[a] *Cant. Archiep. sanctæ Romanæ Eccles. Card. & coniudicibus suis.*

CAPVT III.

DIlectus f. I. Sarracenus clericus exposuit coram nobis, quòd cùm Iordanus clericus [b] Dunelmensem Episcopum super Ecclesia sancti Nicolai Dunelm. coram vobis autoritate litterarum nostrarum traxisset in causam, ex parte ipsius Ioannis in præsentia nostra fuit excipiendo propositum, quòd autoritate litterarum illarum non debebat, nec poterat conueniri; eò quòd vltra duas dietas à diœcesi, vbi prædicta erat sita Ecclesia contra statuta Concilij generalis, de quo in eisdem litteris non fiebat mentio, distabatis: & quia huiusmodi eius exceptionem admittere denegantes, nihilominùs procedebatis in causa, pro eo dumtaxat quòd idem Ioannes in Roffen. & Helien. diœcesi beneficia obtinet, quasi

ex hoc ibi domicilium intelligeretur habere, ipſe noſtram audientiam appellauit: ſed eius appellatione contemptâ, partem alteram mittendam in poſſeſſionem eiuſdem Eccleſiæ, causâ cuſtodiæ decreuiſtis: cúmque idem Ioannes appellationem proſecutus emiſſam ad Ven. fr. n. Eborac. Archiepiſcopum, & eius collegas, noſtras ſuper præmiſſis litteras impetraſſet, vos in cauſa ipſa nihilominus procedentes, eiſdem iudicibus, ne in commiſſo ſibi procedant negotio, inhibetis: quocirca diſc. v. mandamus, ſi eſt ita, cauſæ ſuperſedeatis eidem, cùm non vos, ſed dicti iudices cognoſcere habeant, ad quos iuriſdictio debeat pertinere.

[a] CANTVARIENSI.] Hoc caput refertur in *cap. 29. de reſcript. apud Greg.* Cantuarienſi Archiepiſcopo, hic additum eſt, S. *Romanæ Eccleſiæ Cardinali.* Hic fuit Stephanus Langthonius, primò monachus Cantuarienſis, deinde magnus Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſis, & Canonicus ſecularis S. Mariæ Pariſienſis; poſteà Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi mortuo in eius locum ab Innocentio III. ſuffectus eſt, demum ab eodem anno 1212. Presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni creatus. Multæ ipſius Innocentij ad eum ſcriptæ ſunt Epiſtolæ qui virum famâ & doctrinâ pollentem vocat. Objit Cantuariæ anno 1228.

[b] DVNELMENSEM.] Dunelmium hodiè *Durham*, Comitatus, ſub Archiepiſcopo Eboracenſi. ſedes huc trãſlata ex Lindisfarna inſula, Vuillelmus Malmesbur. *lib. 3. de geſt. Pontif. Anglor.* Nechanus apud Guillelm. Camdenum,

Arte, ſitúq; loci munita Dunelmia ſalue,
Quâ floret ſanctæ relligionis apex.

Caſtri Dunelmenſis iuxta Eccleſiam claues, cùm Epiſcopatus vacaret veteri inſtituto S. Cuthberti Mauſolæo appendi ſolebant. Vide dictum Guillelm. Camden.

TITVLVS XVI.

De officio & poteſtate iudicis ordinarij.

Epiſcopo Aſsiſienſi.

CAPVT I.

Conquerente Oeconomo monaſterij ſancti Benedicti montis [a] Sublaſij, nobis innotuit, quòd tu iuribus Epiſcopalibus non contentus, quæ in Eccleſijs, ſeu Capellis eiuſdem monaſterij debebas habere, à quibuſdam earum procurationem exigis, quas ad dandam procurationem minimè ſufficere proponebat; petens vt iure tuo contentus exiſtens, à moleſtatione dictarum Eccleſiarum ſuper ceteris deſiſteres: Poſtulans etiam quòd ad omnem litis materiam in poſterum amputandam, vt ſpecificares quæ ratione iuris Epiſcopalis in eiſdem Eccleſijs tibi competerent: quibuſdam iuribus Epiſcopalibus ſpecificatis, hinc inde lis fuit

ſuper præmiſſis legitimè conteſtata. Nos autem inſpectis probationibus vtrimque receptis, & quæ ab vtraque parte fuere propoſita pleniùs intellectis, decernimus vt in Eccleſijs, ſeu Capellis ad dictum monaſterium in diœceſi Aſſiſienſi ſpectantibus habeas canonicam obedientiam, ſubiectionem, reuerentiam, inſtitutionen, & deſtitutionem, correctionem, ac reformationem, cenſuram Eccleſiaſticam, iuriſdictionem quoque cauſarum omnium ad forum Eccleſiæ de iure ſpectantium, pœnitentias, & ſacramentorum omnium quæ ab Epiſcopo recipienda ſunt, collationem, Synodum & ſynodatici, ſeu cathedratici nomine duos ſolidos Lucenſis monetæ, quartam decimationum, ac mortuariorum, viſitationem quoque annuam: ita quòd cùm ad eas viſitandas acceſſeris, non ampliùs procurationis nomine requiras ab eis, niſi quantùm penſatis facultatibus earumdem moderatè potuerint exhibere, nec plus ceteris Capellis eiuſdem diœceſis in procuratione nullatenus onerentur, & Eccleſiam ſancti Pauli de Aſſiſia à procurationis onere penitus releuamus. Tu autem his iuribus in præfatis Eccleſijs contentus exiſtens, non ampliùs ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranenſis Concilij, ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit cum charitate poſtulandum, ſicut ab alijs Eccleſijs eiuſdem diœceſis pro neceſſitate temporis ſuſtinemus.

a SVBASII] Lege, *Sublaſij*, vt eſt in Prouinciali MSS. Fuxenſi; hoc Monaſterium diſtinguente à Monaſterio Mõtis Caſſini, contra vnum ex meis codicibus M. SS. qui confundit hæc duo Monaſteria, & vbi alij duo habent *montis Sublaſij*, iſte ponit Monaſterium montis Caſſini: Primum eſt in Vmbria, de quo in iſta compilatione, & eſt ſub Epiſcopo Aſſiſienſi; alterum eſt ſub Archiepiſcopo Capuano, ſed exemptum.

a *Abbati, & Conuentui ſancti Rem.*

CAPVT II.



VT iuxta illius ſupremi poſt Chriſtum paſtoris edictum, paſtor forma factus gregis ex animo dignoſcitur, non dominandi libidine, ſed amore rectè gerendi, debet illum ſalubriter viſitare, ſic exceſſus delinquentium quantùm poteſt corripiens, ne reuelet, ſic increpans ne confundat; quia cùm iuxta ſapientis edictum ſecretò ſit arguendus amicus, amicitiæ legem violare videtur, ſi ècõtrà palàm arguat exprobrando. Attendentes igitur, quòd indecens eſt, vt ven. f. n. Remenſi Archiepiſcopo in vos, vel monaſterium veſtrum viſitationis officium exercente, ſeculares interſint, per quos poſſit in clauſtro diſſolutionis materia prouenire; cùm nequaquam bene in

claustralibus inducantur, autoritate præsentium firmiter inhibemus, vt nullos de cetero seculares in Capitulum, nisi duos, vel tres Canonicos de Canonicis Ecclesiæ suæ in decenti habitu, viris alijs quot expedire viderit religiosis adiunctis secū, visitationis tēpore introducat.

a ABBATI S. REMIGII.] S. Remigij nobilissimum Monasterium in Ciuitate Remensi à S. Clotilde vxore Clodouei fundatum, & D. Petro dicatum, posteà B. Remigio.

---

a *Episcopo Sulciensi.*

CAPVT III.

NON videtur Metropolitano licere, vt suffraganei sui iura minuat, vel immutet, nisi super eo antiquâ & approbatâ consuetudine, vel speciali priuilegio muniatur: vnde reputari potest indignū, vt in b die Cœnæ Domini, quo deberent in Ecclesijs suis Episcopi chrisma conficere, lauare iuxta exemplum Domini pedes pauperum, & reconciliare publicè penitentes, ad metropolitanam Ecclesiam, quæ c per quadraginta milliaria & amplius à te distat, chrisma ibidem cum Metropolitano tuo confecturus accedas; quamquam idem Metropolitanus tam in tua, quàm in alijs metropolitico iure sibi subiectis Ecclesijs, non ex speciali priuilegio, vel antiquâ & approbatâ consuetudine, sed ex vsurpatione potiùs hoc obtinuisse hactenùs videatur. Hoc itaque olim in tua consecratione prudenter attendens, quòd huic grauamini occurreres fuisti publicè protestatus. Volentes igitur ven. in Christo fr., tuo super grauamine prouidere, autoritate tibi præsentium indulgemus, vt ad hoc nisi speciale priuilegium exigat, vel antiqua, & approbata consuetudo requirat, per vsurpationem huiusmodi nullatenùs tenearis.

a EPISCOPO SVLCIENSI.] Variant in epigraphe huius cap. MSS. codices; vnus habet *Saltensi*. alius, *Fulcensi*. tertius, *Sulciensi*, rectè, vt est in dicto Prouinciali MSS. Fuxensi. Archiepiscopus Calaritanus in Sardinia habet suffraganeum Sulcitanum, vel Sulciensem. Σοῦλχοι secunda vrbs Sardiniæ Straboni, inde *Sulchense* promontorium Plinio *lib. 3. cap. 7.* ex correctione Hermolai Barbari, & *Sulcitani* populi in Sardinia apud eundem.

b IN DIE COENAE] Ad chrisma conficiendum non debent suffraganei Episcopi ab Archiepiscopo conuocari: ad vnumquemque Episcopum in sua Diœcesi pertinent omnia quæ sunt ex lege iurisdictionis & Diœcesanæ: noster Honorius clarè *dicto cap. conquerente, & cap. dilectus. hoc tit. apud Gregor.* exponit & quid habeat Metropolitanus *can. 5. & 7. 9. qu. 3.* S. Bonifacius *Epist. ad Cutbertum, & can. 9. Synodi Antiochenæ*. Chrismatis confectio ad eosdem pertinet, sicut omnia quæ sunt ordinis, *can. 8. Synodi Aquisgran. II.* Ideò æquum non fuit ad id consecrandum Episcopos ab Archiepiscopo euocari; licèt aliquid aliud non valde alienum ab hac petitione reperiatur: vt nempe quisque suffraganeus pro festis Natiuitatis, Paschæ, & Pentecostes celebrandis Metropolitanum conuenire sub pœna ex-

cōmunicationis cogeretur in Concilio Emeritano, *Can.* 6. & Toletano XIII. *Can.* 8. [c] PER 40. MILLIARIA, ET AMPLIVS.] Eadem fermè distantia hodiè ab vrbe Solo, vel Solci, quæ est antiqua Sulci, ad Calarim Ciuitatem.

[a] *Episcopo Briocen. & Abbati de Sagenio, & Archidiacono Recom.*

CAPVT IV.


Ilectus fil. Abbas monasterij Rothonensis, Venet. diœcesis, exposuit coram nobis, quòd tertia pars emendarum, quas homines quinque parochiarum, quæ sui conuentus sunt vsibus deputatæ, pro suis excessibus soluere compelluntur ad suum spectat monasterium ab antiquo, & quòd inter ipsos homines, ortâ Ecclesiasticâ quæstione, citatio ad eundem, sed examinatio & decisio quæstionis ad Ven. f.n. Venet. Episcopum, & ipsum Abbatem pertinent in communi. Cúmque felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster, conquerente ipso Abbate, quòd præfatus Episcopus super hoc inquietabat eumdem, vobis de assensu partium dederit in mādatis, vt vocatis partibus, & auditis hinc inde propositis, causam remitteretis ad ipsum sufficienter instructam, dictus Episcopus processū nostrum diutiùs impediuit, occasione cuiusdam sententiæ, quæ super quibusdam Ecclesijs quoad legem diœcesis extitit promulgata pro eodem. Vndè præfatus Abbas nobis humiliter supplicauit, vt cùm citatio, causarum examinatio, ac decisio, ac emendæ, ad legem iurisdictionis pertinere noscantur, non sineremus sententiæ memoratæ prætextu negotij processum vlterius impediri. Cùm ergo prædicta procul dubio de lege iurisdictionis existant, disc. v. m. quatenùs huiusmodi sententiâ non obstante procedatis in negotio ipso, iuxta traditam vobis formam.

[a] EPISCOPO BRIOCENSI.] Collectio Raimūdi, Episcopo Boiacensi, vel Brocensi, & Archidiacono Rhotomagensi: ex tribus MSS. vnus habet *Episcopo Beensi*, alius *Brionensi*, malè; tertius *Briocensi*, *& Abbati de Sangeneyo & Archidiacono Recomensi*, rectè, si loco de *Sangeneyo* legas de *Sangeyo*, quæ Abbatia reperitur in Prouinciali MSS. Fuxensi. Episcopatus Briocensis, *Sainct Brieu*, Monasterium olim S. Brioci, in quo Nomeneius Britonum Dux tempore Caroli Calui sedem Episcopalem instituit, vt ex veteri Indiculo in Bibliotheca S. Michaëlis in mari reperto, eruit Sirmondus. Archidiaconatus Recomensis dubium an in Episcopatu Briocensi, vel Trecorensi hodiè *Lantriguer*, videtur nomem sumpsisse ab vrbe Rosco, vel Roscon in ora maris Britannici.

[b] MONASTERII ROTHONENSIS.] Venetēsis Diœcesis in MSS. rectè; malè apud Raimundum *Rothomagensis*. In Breuiario Abbatiarum Franciæ, Abbatia S. Saluatoris de Rothono, Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Venetensis, *Redon.*

TITVLVS XVII.

[a] De Treuga [b] & pace.

[c] *Auxitan. Archiepiscopo.*

CAPVT I.

[d] FIllius Regis pacifici. *& infra.* Sanè ad nostram noueris audientiam peruenisse, quòd in Auxitanensi prouincia,& circumposita regione vsque adeò multiplicata est iniquitas superborum, quòd sciētes quia iustitiæ cultus est pax, iniurias irrogant, pacem turbant, & inter sanctum & prophanum minimè discernentes [e] bona tam Ecclesiastica, quàm mundana diripiunt, & prædantur: quibus nisi fuerit obuiatum, cùm superbia eorum semper ascendat, irreparabile totius prouinciæ multiplicabunt detrimentum. Volentes igitur huic pesti mortiferæ occurrere antidoto salutari, taliter duximus statuendum, vt videlicet tu,& suffraganei tui, necnon Abbates, Archidiaconi, & alij clerici, principes, milites, & populus vniuersus tuæ prouinciæ pacem autoritate nostrâ iuretis: videlicet quòd eam tenebitis & manu tenebitis, & sequemini, iustas & rationabiles constitutiones factas pro ipsa obseruabitis firmiter sinè fraude, renouaturi de cetero de quinquennio in quinquennium huiusmodi iuramentum: contradictores autem, si qui fuerint, necnon & [f] pacis vel fidei turbatores per censuras Ecclesiasticas app. rem. compescas, contra eiusdem pacis, vel fidei turbatores conuocando fideles populos tuæ prouinciæ, si necesse fuerit per indulgentias, secundùm quod vtilitati Ecclesiarum & totius terræ,necnon & animarum saluti videris expedire. Non ponitur.

a AGit hîc Honorius de Treuga & Pace; id est de suspensione & cessatione bellorum, seu simultatum publicarum inter priuatos nobiles, seu alios ad vlciscēdas iniurias proprias, seu familiarum: de quibus vide Rodolph. Glabrum *lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 1.* Concilium Lemouicēse, Concil. Claromontense sub Vrbano II. apud Orderic. Vitalem *lib. 9.* & Lateranense sub Paschali II. vbi generaliter sancitur, vt ab omnibus Christi fidelibus, Pax & Treuga Domini inconcusse seruaretur. Hæc bella priuata Faidæ vocantur in legibus Saxonum & Longobardorum, & in Capitular. Caroli M. & Additionibus Ludouici passim. Inde in consuetudinibus nostris Tolosanis, *Titul. de Feudis, art. 6. & 13.* dies litigiosa, *Faidiata*, dicitur, corruptè, *Fadiata*: Faida id est inimicitia ait §. 1. *lib. 1. tit.* 7. legis Longobardor. Inimicitiæ & lites synonyma sunt. *Cicero 4. de Repub. apud Non. Marcell. Beneuolorum concertatio iurgium, inimicorum lis dicitur*; sic enim legendum est. Ideò in Addit. 4. Ludouici, odium & lis simul iunguntur. *Quicunque odio, aut inter se lite discesserint*, vt

in Epist. D. Iacobi, cap. 4. πόλεμοι κ̀ μάχαι: *Bella & lites* ex versione D. Hieronymi. Et quemadmodũ Faida cõponebatur in plerisq; locis egum antiquarum, ita & lites cõponuntur.

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

ait Poëta: sentiendum tamen non est cum Cardin. Baronio *ad annum* 1034. *num. 6. &* 7. cessasse fideles à strepitu fori & litibus, quatuor hebdomadæ diebus treugæ Domini, sed tantùm ab armis, vt obseruat illustriss. Præses de Marca *lib. 5. Histor. Benearni. Cap.* 14. vbi doctissimè & dilucidè, vt omnia, hanc materiam tractat.

[b] Et Pace.] Aduertendum est Decreta Conciliorum de Treuga Domini, & autores qui de ea loquuntur, vocare eam aliquando Treugam & Pacem cõiunctim, aliquando separatim Treugam, vel Pacem; quia Pax iniungitur in omni tempore & loco pro certis personis; pro alijs verò Treuga tantùm certo tempore designato. Guillelmus II. Auxitanus Archiepiscopus in publicatione Treugæ Dei ex mandato sedis apostolicæ post Concilium Lateranense sub Paschali II. ex Chartario Lascurrensi. *Omni tempore*, inquit, *perpetuâ Pace & securitate gaudebunt Canonici, Monachi, Presbyteri, clerici, & omnes religiosæ personæ, Conuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes, & redeuntes, & in agricultura existẽtes, & animalia quibus arant, Dominæ cũ socijs suis inermibus, & omnes fœminæ, & omnes res clericorum & religiosorum vbique, & molendina. Pro reliquis personis Treuga ordinata.*

[c] Auxitano Archiepiscopo.] Garsiæ ab Horto, qui sedit totidem annis quot Honorius, vel Amanenuo I. successori suo: sed potiùs Garsiæ: Amaneuus enim (qui hoc rescriptum Honorij executioni mandauit) nõdum tempore mortis illius consecratus erat. Vide eruditum Oihenart in *Notitia vtriusque Vasconiæ.*

[d] Illivs Regis.] hoc caput continet illustre vetustatis monumentum, nempe originem Ordinis Militum Pacis & Fidei in Vasconia, ab Amaneuuo I. Auscitano Archiepiscopo instituti, contra turbatores Pacis, & bonorum Ecclesiæ, ac Laicorum direptores, ex ordine Honorij nostri, cui asserenda & vindicanda est hæc laudabilis institutio; etsi Pater Baiolus S. I. *in sacra Histor. Aquitaniæ lib. 2. Cap. 16. Sect.* 5. eius autorem solum faciat Amaneuum, qui voluntatis Honorij executor tantùm fuit, vt certum est ex hoc cap. sed mors Honorij, quæ accidit eodem anno, quo electio Amaneuui, nempe anno 1227. impedimento fuit, ne extremam manum imponeret huic negotio: ideò Amaneuus Romam petens contulit de vtilitate erectionis huius Ordinis, iuxta rescriptum Honorij cum Gregorio IX. successore suo, qui eam approbauit, vel potiùs opus ab Honorio cœptum perfecit; quod manifestum est ex substantia rescripti sui relati in dicta Histor. Sacra, in quo Gregorius nihil aliud constituit, quàm quod anteà ab Honorio decretum fuerat, vt omnes Ordines Ecclesiastici, & Seculares pacẽ autoritate sua iurarent cõtra Pacis & Fidei turbatores, iuramentum hoc de quinquennio in quinquennium renouarent, & populum fidelem per Indulgentias Archiepiscopus cõuocaret. Sed error dicti Bajoli veniá dignus est; compilatio enim hęc, cùm nondum lucem vidisset, non potuerat illi esse nota. Ceterùm Ordo iste collapsus restitutus fuit anno 1268. secundũ Oihenartum, procurante alio Amaneuuo, Archiepiscopo Auxitano, filio Rogerij, & fratre Comitis Armeniaci, qui ex Canonico Tolosano factus fuit Archiepiscopus Auxitanus, anno 1263. & administrauit dictam Ecclesiam 57. annis. Integram huius restitutionis historiam videsis in rescripto Clementis IV. dato Viterbii 3. Idus Iunii, anno 3. sui Pontificatus, scilicet anno Christi 1267. *in dicta Histor. Sacra, eod lib. & cap. sect. 6.* Vbi obseruandum Clementem in prima rescripti sui parte, in dispositiua (vt loquuntur Pragmatici) ijsdẽ verbis vti, quibus Honorius in hoc cap. vnde liquidò constat Gregorium & Clementem habuisse ante oculos hanc Honorii constitutionem, vt fundamentum Ordinis militum Pacis & Fidei. Nec me mouet quod obiici posset, Clementem, dum loquitur de institutione huius Ordinis, ne verbum quidem facere de Honorio, sed de Amaneuuo solùm, & G. Conuenarum Episcopo; siquidem palàm est ex lectione rescripti sui, Clementis mentem non fuisse ab ouo rem gestam ordiri, sed eam tantùm perstringere, & Amaneuum II. excitare ad restituendum hunc Ordinem, exemplo Amaneuui I. qui illum instituerat, priùs tamen ab Honorio nostro delineatum.

[e] Bona diripivnt.] His direptionibus causam dedere incapacitas & vita minùs idonea quorundam Præsulum, & praui mores clericorum & laicorum Nouempopulaniæ, de quibus expostulat Innocent. III. *in plerisque Epistolis lib.* 1. 14. *& 16. registr.* Bella diuturna inter reges Christianissimos Philippum Augu-

stum, & Ludouicum 8. & Reges Angliæ Richardum 1. Ioannem, & Henricum 3. hæc scandala induxere: præsertim in his partibus, vbi bellum magis exarserat. Bernardus enim Guidonis in *Chronico regum Franciæ* MSS. autor est reges Franciæ omnem Aquitaniam cepisse vsque ad Garumnam, vltra quam Nouempopulania, & Vasconia citerior parebant Anglo.

f PACIS, VEL FIDEI TVRBATORES.] Apposite Honorius distinguit Fidei turbatores a Pacis violatoribus. Per Fidei turbatores intelligendi Petrobusiani, Henriciani, Albigenses, & huiusmodi hæreticorũ colluuies, qui afflixerunt quoque Vasconiam, vt referunt Guillelmus Neubrigensis *lib.* 2. *cap.* 15. & Roger. de Houedẽ *parte* 2. per Pacis turbatores denotat Ruptarios, & similes homines malos, qui omnia sacra & prophana miscebant incendiis, prædis, & rapinis, & Pacem & Treugam Dei turbabant. Sic Matthæus Paris 27. can. Concilii Lateranensis sub Alexandro III. in quo hæreses illius seculi dãnantur, distribuitur duo cap. epigraphe vni⁹ est, *De hæreticis Albigensibus, & diuersijs eorum appellationibus*, alterius est. *De Ruptarijs, & Brebantijs prædonibus qui fideles affligunt.* Distinctio hæc notãda est (vt bene admonet Illustr. Præses De Marca *lib.* 6. *cap.* 14.) ad vitandum errorem Autorum, qui communiter confundunt Ruptarios (qui conductitii milites erant, & quorum opera plærique abutebantur illo seculo ad vexandos inimicos) cum Albigensibus & aliis hæreticis.

a *Abbati Stadensi &* b *Ildesemensi Episcopo, & Nobilibus viris* c *Duci Saxoniæ,* d *Comiti Palatin. Rheni.* e *Comiti Ascaniæ &* f *ministerialibus Magdeb. Ecclesiæ.*

CAPVT II.

g GRatum gerimus & acceptum, quòd sicut audiuimus vos ad conseruandam & procurandam pacem in terris vestris mutuum vobis conferre auxilium iuramento interposito astrinxistis, vt sic populus vobis commissus in pulchritudine pacis sedeat, & in requie opulenta: super quo discretionem vestram dignis in Domino laudibus cõmendantes, per Apostolica scripta vobis mandamus, quatenus huiusmodi iuramentum, sicut est licitum, & honestum, studeatis taliter obseruare, quòd consciẽtiam apud Dominum, & famam conseruetis illæsam, quòd ab alijs vos faciatis prouidos reputari.

Non ponitur.

a ABBATI STADENSI.) Christophoro, qui ex Priore Ecclesiæ sanctæ Mariæ Stadensis, electus est in Abbatem anno 1199. & præfuit vsque ad annum 1232. Stadium omnium vrbium Saxoniæ antiquissima. Saxoni Grammatico, ad Zuuingam, in diœcesi Bremensi, & Archiepiscopus Bremensis, Comes est Stadensis. *Albertus Stadensis in Chronico.*

b HILDESEMENSI EPISCOPO.] Siffrido, ex monacho Fuldensi electo Episcopo, anno 1208. qui sedit vsque ad annum 1219. vel Conrado 2. qui electus est anno 1219. & præfuit annis viginti quatuor.

c DVCI SAXONIAE.] Alberto I. qui successit Bernardo patri suo anno 1212. & vixit vsque ad annum 1260.

d COMITI PALATINO RHEN. Ludouico I. Bauariæ Duci, & Comiti Palatino Rheni, qui successit Othoni maiori I. anno 1183. & occisus fuit in Ponte, à morione, iussu Friderici II. anno 1231.

e COMITI ASCARIAE.] Legendum *Ascaniæ*. Comitatus Ascaniæ ad syluam Herciniã in Halberstadẽsi Saxoniæ Episcopatu, cuius Comes tempore Honorii erat Henricus iunior, frater Alberti primi Ducis Saxoniæ.

f MINISTERIALIBVS MAGDEBVRGENSIBVS.] Id est Feudatariis hoc loco. Albertus Krantzius

Metropol. lib 3. cap. 11. *Iam qui olim*, inquit, *Ministeriales dicti sunt, aut Feudatarij, nunc abiunt dici Nobiles*. & in Historia Archiepiscoporum Bremensium, & alibi. Sed cur Honorius rescribit Ministerialibus Ecclesiæ Magdeburgensis, non Archiepiscopo? Ratio est, quia Albertus Comes Kirbengensis 18. Archiepiscopus, qui sedebat temporibus Honorii ab Othone Cæsare in prælio captus, & Grombergam adductus fuerat; vel quòd probabilius est, quia tunc Albertus in Italia erat: refert enim Hieronymus Rubeus in *Historia Rauennæ lib. 6.* eum, vt Imperatoris Friderici Legatum & Flaminiæ Comitem, à Rauennatibus summo honore exceptum fuisse anno 1219. & huic Simeonem Archiepiscopum Rauennatem, Cæsari gratum facturum, permisisse, vt singula Rauennatis Ecclesiæ oppida quinque solidos pro Fodro persoluerent. Erat autem adhuc in Italia anno 1226. signat enim litteras publicas Friderici II. datas eo anno Rauennæ, in fauorem Virginum D. Andreæ.

g Gratvm.] Historia huius capitis non expressè tractatur à rerum Germanicarum scriptoribus, sed hinc inde coniecturis elici potest. Omnes isti ad quos scribit Honorius erant deuoti sedis Apostolicæ, aut beneficiarii Imperatorum gentis Sueuicæ, cui tunc Ecclesia Romana propitia erat. Bernardus pater Alberti creatus fuit à Friderico I. Saxoniæ Dux, & Elector anno 1180. in conuentu VViceburgico, exautorato Henrico Leone, patre Othonis Imperatoris. Ludouicus Dux Bauariæ, filius fuit Othonis maioris VVitelsbachij, cui datus fuit Bauariæ Ducatus ab eodem Friderico I. anno 1183. per depositionem Henrici Leonis; adiudicatus ei quoque fuit Palatinatus Rheni, anno 1180. ab eodem Friderico, atque ex eo semper tempore mansit coniunctus Ducatui Bauariæ. Stadium, Hildesemum, & Magdeburg. erant Ciuitates Saxoniæ, quæ parebant Alberto Duci. Insuper dictus Albertus Archiepiscopus (quem testatur Rubeus fuisse virum optimum, & non minùs Pontificis rationem habentem quàm Cæsaris) iussu Innocentij III. excommunicauit Othonem Cæsarem. Probabile est ergo hos Principes Ecclesiasticos & seculares ad quos scribit Honorius, fœdus iniisse de quo agitur in hoc capitulo, & sacramento confirmasse ad tuendam autoritatem Sedis Apostolicæ, quæ fauebat Friderico II. filio Friderici I. benefactoris horum Principum secularium, contra Othonem Cæsarem, filium Henrici Leonis, cuius spoliis ditati erāt, & contra Schismaticos, dicti Othonis fautores, & pacis publicæ perturbatores. Hi Principes secuti sunt morem suorum temporum in quibus religiosè colebatur Treuga & pax Domini, maximè in Germania ab anno 1105. quo Henricus V. clerum Germaniæ conuocauit ad confirmandā inter alia decreta Dei pacem (quæ duobus annis antè stabilita fuerat in Concilio Lateranensi sub Paschali II.) vt refert Abbas Vrspergensis, *in Chronico*.




TITVLVS XVIII.

De maioritate & obedientia.

Dilecto fr. [a] *Vuidoni, presbyt. Card. &* [b] *Capitulo Ecclesiæ sancti Laurentij in Damaso.*

Capvt I.



HIS, quæ pro Ecclesia sancti Laurentij in Damaso ex parte tua, & Capellanis sibi subiectis ex altera, super [c] scrutinio, [d] manuali obedientia, correctione, interdicto, & excommunicatione, aliisque articulis fuere coram nobis proposita, diligenter auditis, sententiando decreuimus, vt earumdem Ca-

pellarum presbyteri & clerici, Cardinali qui nunc est in ipsa Ecclesia, & qui pro tempore fuerit, manualem obedientiam, & reuerentiam, & honorificētiam omnem exhibeant, & ad Ecclesiā ipsam pro scrutinio, baptismo, & Capitulo celebrandis conueniant temporibus consuetis, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, & interdicti, vel suspensionis sententias quas tulerit in eos, & Ecclesias eorumdem inuiolabiliter obseruantes. Quando autem Ecclesia ipsa Cardinalis vacabit, Capellani, & clerici memorati nihilominùs eidem Ecclesiæ reuerenter exhibeant omnia supradicta; eo dumtaxat excepto, quod de correptione, excommunicatione, & suspensione ipsorum pro bono pacis, nostræ prouidentiæ reseruamus.

a VVIDONI PRESBYTERO CARDINALI.] Non inuenio alium Cardinalem tituli S. Laurentii in Damaso sub Honorio, quàm Petrum Gallum, creatum ab Innocentio III. anno 1212. si credimus Matthæo VVestmonasteriensi, *in floribus historiarum, ad annum 1199.* aut ab Honorio III. si Onuphrio VVion *lib. 2. ligni vitæ*, qui ex Presb. Cardinali tituli S. Laurentii in Damaso, factum Episcopum Sabinensem ait ab Honorio III. anno 1216. & mortuū sepultúmq; Perusii 1257. Legatus fuit in Galliam & Hispaniam ab eodem Innocentio III. & Concilium in Montepessulano contra Albigenses celebrauit. Auberius *in Historia Cardinalium Tom. 1. pag.* 243. optime ex loco Rigordi anno 1198. in fine, hunc alium fuisse à Petro de Doüay clerico simplici conuincit, contra Meierum, Belloforestum, Buzelinum, & Vghellum.

b CAPITVLO ECCLESIAE S. LAVRENTII.] Honorium III. dilexisse hanc Basilicam, & Cœnobium S. Laurentii extra muros restituisse author est Platina.

c SCRVTINIO.] Hic agitur de scrutinio ad ordinē Baptismi, vt loquitur synodus Moguntina *cā.* 4 & intelligit, vt reor, Capitulare Caroli M. *in cap.* 120. *lib* 5. quod quidem fieri septies, docui ad Paraticl. de Baptismo non verò de scrutinio in ordine faciendo, quod pertinet ad Archidiaconum, *cap. vnico, apud Gregor.*


d MANVALI OBEDIENTIA.] Obedientiam manualem cum fidelitate coniungit Innocentius III. *in Epist.* 281. *lib.* 1. significat ministerium, vel administrationem, vt *in cap. cùm singula. §. prohibemus. de præbend. in 6. & cap. vnico, Clement. de suppl. neglig. Prælat.* Hinc & manuale pecus, *in legibus Alemanorum, tit.* 99. quod ad manum ducitur. *Varro de re rustica, lib. 2. cap.* 7.

e CARDINALI QVI NVNC EST.] Sunt viginti octo Presbyteri, qui titulum, non Episcopatum habent, & quidem quæ sunt iurisdictionis exercent, non quæ ordinis, quæ ad Papam vt primum vrbis Romæ deferuntur, vt patet ex vltimis verbis huius capit. *excepto quòd de correptione, excommunicatione, & suspensione ipsorum pro bono pacis nostræ prouidentiæ reseruamus.* Illos autem quasi per diœceses ad baptismatis conferendi opportunitatem ijs qui ad fidem ex gentibus veniebant, & vt Martyrum sepulcris consulerent institutos fuisse scribit Onuphrius, qui etiam circa Innocentii primi, vel Zozimi tempora hunc numerum 28. titulorum fuisse completum addit, *Tractatu de Cardinal. Titulis.*

In registro fel. mem. Inn. Papæ præd. nostri liquidò continetur, quòd [a] domus de Peramo [b] Ciuitaten. diœc. existit Beati Petri iuris, & propriet.

CAPVT II.

Non ponitur.

[c] Ccepimus autem quibusdam fratribus ipsius loci nobis insinuantibus, quòd cùm olim Magister ipsius A. & [d] magistro & fratribus de Calatraua Toletan. diœcef. super facienda sibi obedientia coram bonæ memoriæ Zamor. Episcopo & coniudicibus suis delegatis à sede Apostolica tractus esset in causam, & ipsi cognitis causæ meritis diffinitiuam pro ipsa domo sententiam protulissent, idem Magister de Calatraua Paulum Priorem, & quosdam fratres sæpe dictæ domus, ac deinde per ipsos eiusdem loci Magistrum ità promissionibus & alijs monitis illexit, quòd ignorante domus supradictæ conuentu, ipse Magister, Magistro fecit obedientiam supradicto, contra prædictam sententiam, in libertatis ipsius domus & iuris Apostolici præiudicium veniendo: propter quod dictus Magister de Calatraua tenens domum ipsam suæ ditioni subiectam, quemdam de fratribus suis præfecit eidem, qui fratribus ipsius domus in libertatem proclamare volentibus, se opponens, eas expensas ad prosequendæ suæ libertatis causam necessarias, de bonis ipsius domus facere non permittit. Ne igitur sæpedictæ domus iniuriam, & iustitiam Apostolic. sedis negligere videamur, disc. v. m. quatenus Magistrum & fratres de Calatraua, vt eum quem præfecerunt domui antedictæ ad suum consortium reuocantes, domum ipsam gaudere permittant debitâ libertate moneatis prudenter, & efficaciter inducatis. Quòd si de iure forsitan confidentes, monitis acquiescere non curauerint, præfigatis autoritate nostrâ terminũ competentem, quò per procuratores idoneos cum instrumentis ad hoc negotium pertinentibus, si qua forsitan habent, compareant coram nobis, exhibituri & recepturi super his, quæ ordo dictauerit rationis: fratribus verò ipsius domus faciatis de bonis eiusdem expensas ad prosecutionem huius negotij necessarias ministrari.

[a] DOMVS DE PERAMO.] Legendum, *de Pyrario*, vulgò, *del Pereyro*. Cœnobium S. Iuliani de Pyrario, à Gomesio Ferdinando contra Mauros primò fundatum, in oppido eiusdem nominis ad Coam fluuium, in vsum Militum, & confirmatum ab Alexandro III. anno 1127. & à Lucio III. anno 1183.

[b] CIVITATENSIS.] In Hispania nulla alia vrbs Episcopalis occurrit eius nominis, nisi Ciuitas Roderici, *Ciudat Rodrigo*, a Ferdinando

rege Legionensi fundata anno 1169. Olim Mirobriga. Vetus codex Romanus editus à Miræo, confirmat hanc coiecturam; Ciuitatensis *Ciudad Rodrigo* ait, & constituit eam sub Archiepiscopo Emeritano; cui conforme est Prouinciale MSS. Fuxense, ponens Episcopatum Ciuitatensem sub Compostellano, qui successit Emeritano.

c Historia huius capitis petenda est ab Historicis Hispaniæ, qui dicunt regem Legionis Alphonsum, dedisse anno 1218. Ordini de Calatraua & Magistro eius duodecimo Nunno Fernandez oppidum Alcantara regni Castellæ, iuxta Tagum, & anno sequenti 1219. Magistros de Calatraua & S. Iuliani Del Pereyro conuenisse, auspicijs dicti regis Alfonsi, vt Ordo de Calatraua daret Ordini del Pereyro dictum oppidum Alcantara, & omnia quæ dict⁹ Ordo de Calatraua possidebat in regno Legionis, sub hac conditione; vt Magister S. Iuliani & successores sui qui erant Cisterciēsis ordinis manerent sub obedientia & visitatione Magistri de Calatraua. Inde dictus Ordo del Pereyro, vocatus est Ordo de Alcantara.

d Magistro, et Fratribvs de Calatrava.] Templarijs oppidum munitissimum de Calatraua deserentibus, metu Maurorum, Raimundus Fiterij Abbas, & Diegus Velasquius monachi Cisterciēses oppidum defendendum susceperunt, & impetrarunt à rege Sancio anno 1158. qui Calatrauæ principatum cum subiecto agro dono dedit B. Mariæ Ordinis Cisterciensis, atque eius nomine dicto Raimundo Abbati, & sociis iure perpetuo. Id initium huius militiæ fuit, nam plerique milites dictum Abbatem Raimundum sequuti vestem mutarunt, quam ille insignem attribuit, eiúsque formæ quæ armorum vsum non impediret.

---

a *Abbati de Lapide sancti Michaëlis, Halberstad. diœc.*

Capvt III.



Ilecta in Christo filia Abbatissa b Quidliburgē. transmissâ nobis petitione monstrauit, quòd cùm ipsa plerumque c Canonicas suas & d clericos suæ iurisdictioni subiectos propter inobedientias, & culpas eorum, ab officio & beneficio suspendat, & ijdem confisi, ex eo quòd eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem huiusinodi non obseruant: propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca disc. t. m. quatenus dictas Canonicas & clericos, vt Abbatissæ præfatæ obedientiam & reuerentiam debitam impendentes, eius salubria monita & mandata obseruent, monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas, appellatione remotâ, e compellas.

a Abbati S. Michaelis.] Dubium an sit monasterium S. Michaëlis, de quo fit mentio in Constituto de monasteriis, quæ Francorum regi militiam, dona, vel solas orationes debent, *Tomo 2. Historiæ Francorum* Andreæ Duchesne.

De hoc cap. abundè Glossa apud Gregor. 9. *in cap. noua. de pœnit.* & Clariss. Bosquetus *ad Epist. 187. lib. 13. Innocentij III.*

b Qvidlibvrgensis.] Variant MSS. Codices, & Raimundus in nomine huius abbatiæ fæminarum. Legendum, Quedelburgensis, Germanicè *Quedelnburg*, diœcesis Halberstatensis, cuius Abbatissa Princeps est in Saxonia.

c Canonicas.] Idem quod Sanctimoniales *in cap. 5. Synodi Teudonis* Capitul. Caroli Calui, de Canonicarum monasteriis, & Sanctimonialium, quæ sub eadem forma viuere dicuntur. Canonicas regulares vocat Armulphus Lexouiensis Episcopus, *Epist. 44. ad Alexand. Papam*, Et sunt etiam Canonicæ seculares in Ecclesia Assindensi, Coloniensis diœcesis, Rebuffus in Prouinciali: vt & in Ecclesia S. VValdetrudis Montibus in Hannonia,

& in Ecclesia S. Gertrudis in oppido Niuigellæ, hodiè *Niuelle*, in Brabantia Gallica, diœcesis Namurcensis. *Vide Molanum in Indiculo SS. Belgij & Guicciard. in Belgij descript.*

d Clericos suae Iurisdictioni subiectos.] Fortè in isto monasterio Quedelburgēsi Canonici quidam erant, vt in dictis Capitulis Montensi, & Niuellensi, qui negotia Canonicarum procurabant, & Abbatissæ subiecti erant, vt narrat dictus Guicciardinus loco cit.

e Compellas.] Abbas S. Michaëlis delegatus exsequitur iudicia Abbatissæ, vt *in cap. cùm ab Ecclesiarum. de offic. iud. ordinar.* quod est singulare iure Canonico, non ita iure ciuili, *l. à diuo Pio in princip. de re iudic.* maximè cùm delegatus quis est à principe, scilicet à Papa, *cap. quærenti, de offic. iudic. deleg.* nam delegatus tam à principe Ecclesię, quàm alio, potest subdelegare causæ cognitionem, *l. 5. C. de iudiciis, cap. 1. infr. de appellat.* Et hæc est sententia Bartoli contra Accursium. At verò in eo est differentia, quòd subdelegatus delegati à principe potest subdelegare executionem, *cap. ex literis, de offic. & potest. iudic. deleg.* non ita iure ciuili.

TITVLVS XIX.

De pactis.

Atrebaten. Episcopo.

Capvt I.

Non ponitur.



Ilecte in Christo f. Priorissa & Sorores sancti Nicolai de Ditiaco, tuæ diœcesis, nobis litteris intimarunt, quòd cùm hospitale pauperum in eodem loco fuerit ab antiquo, sorores quæ pauperibus seruiebant ibidem, tandem vt se arctiùs diuinis obsequijs obligarent, habitum regularem, ac institutionis a ordinis Beati Victoris assumere satagentes, super hoc consensum tuum humiliter petierunt: sed cùm non potuerint aliquatenus obtinere, nisi promissione primitùs tibi factâ, quòd absque tuo consensu & licentia speciali, nullam sibi in Abbatissam, seu Priorissam eligerent, nec sororem, conuersum siue conuersam reciperent, nisi tuo cōsensu petito primitùs & obtēto. Quare nobis humiliter supplicarūt, vt cùm etsi de tua benignitate non dubitent, tuorum tamen temporibus successorum videant ex hoc graue sibi posse dispendium euenire, & augmentum ipsi loco spiritualiter & temporaliter plurimum impediri, ad remittendam eis necessitatem huiusmodi, quum in omnibus alijs tibi velint lege diœcesanâ subesse, te Apostolicis precibus inducere dignaremur. Cùm ergo earum petitio rationi consona videatur f. t. rogantes duximus admonendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus Episcopali iure in domo ipsa per omnia tibi saluo, eligendi sibi Priorissam seu Abbatissam, prout loci ratio postulabit, ac recipiendi liberè sorores, conuersos, atque conuersas eis liberam

ram tribuas potestatem, ne si libertas alijs religiosis concessa denegetur, eisdem non proficiat, sed deficiat id quod tibi debeat imputari.

a ORDINIS B. VICTORIS.] De Collegijs sacrarum virginum regularium congregationis S. Victoris multa Gabriel Pennottus *lib. 2. cap. 57. Histor. clericorum Canonicorum.* Vide quoque Ioan. à Vitriaco *cap. 24. histor. Oriental.* De Canonicis regularibus doctè dictus Pennottus *lib. 3. cap. 49.* & D. Augustinus *Epist. 119.*



TITVLVS XX.

De Transactionibus.

Ioanni, a Sancta Praxedis Presbytero Card. Apost. Sedis legato.

CAPVT I.

b EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Græci furtiuè sacros ordines à non suis Episcopis receperunt: quidam etiam excommunicati celebrant in Ecclesijs interdictis, & Græcis ritibus pertinaciter inhærentes, in nullo volunt obedire Prælatis Latinis. Præterea quidam Græci & Latini Episcopi consecrationes faciunt in Episcopatibus alienis, & decimas percipiunt in eisdem, in Episcoporum eorumdem locorum præiudicium & grauamen, licèt Episcopi Græcorum, nec percipere decimas, nec consecrationes huiusmodi consueuerint celebrare. Ad hoc laïci Græci vxores suas secundùm motum propriæ voluntatis dimittere, & alias superducere non verentur, ac operari dominicis & festiuis diebus quemadmodum c in profestis. Porrò quidam Barones & Milites tam Latini, quàm Græci Abbatias, & Ecclesias alias, cum hominibus & bonis alijs earumdem, contra iustitiam detinentes, decimas non exsoluunt, & alios soluere recusantes in suo errore defendunt, & si pro his, aut alijs excessibus suis feratur excommunicationis sententia in eosdem, eam in animarum suarum periculum, & aliorum scandalum vilipendunt: vnde à nobis desideras edoceri, quid tibi agendum sit in omnibus supra dictis, & qualiter puniendus sit b Neoportensis Archidiaconus qui quibusdam eundi cum mercibus in Alexandriam contra statutum Cōcilij generalis licentiam de facto tribuere non expauit. Nos ergo discr. tuæ breuiter respondemus, vt cùm iura canonica & ciuilia edita sint super omnibus ferè articulis prænotatis, procedas in his cùm necesse fuerit secundùm canonicas & legitimas sanctiones. Poteris etiam ad componendum interponere partes

tuas & interdum aliquid seueritati detrahere, prout statu imperij & excedentium multitudine prouida deliberatione pensatis, videris expedire; exceptis nimirum casibus, qui compositionis seu dispensationis remedium non admittunt, vtpotè coniugij sacramentum, quod cùm non solùm apud Latinos & Græcos, sed etiam apud fideles & infideles existat, circa illud à seueritate canonica recedere non licebit. In his verò super quibus ius non inuenitur expressum, procedas æquitate seruatâ secundùm quod personas & causas, loca & tempora videris postulare, semper in humaniorem partem, maximè propter statum imperij adhuc debilem, declinando.

a S. Praxedis Presbytero.] Ioanni Columna Romano, creato ab Honorio nostro, anno 1216. qui Constantinopoli primùm, deinde in Syria legationis munus obiuit, & obijt anno 1245. De tanti viri virtute, cuius animo martyrium, non martyrio animus defuit, Volaterranus *lib.* 22. *Anthropolog.* & Onuphrius *lib.* 4. *cap.* 22. *de Basilica Lateran.*

b Ex parte.] Hoc caput multa complectitur quibus pertinacia Græcorum & odium consuetum aduersùs Romanam Ecclesiam deprehenditur, quod à retroactis temporibus, vsque ad integram eorum perniciem inualuit, ità vt omnibus modis quibus potuerint semper fidem Ecclesiæ oppugnarint. In articulis etiam qui celebrioribus Episcoporum Concilijs decreti fuerant, veluti de ordinationibus ab alieno Episcopo non faciẽdis, in Concilijs præsertim Constantinopolitano I. *can.* 2. Antiocheno *can.* 13. & 22. & alijs passim. Multùm laboris impendit Innocentius III. & plures edidit Epistolas aduersùs Græcos Latinorum iura turbantes, vt *Epist.* 519. *lib* 1. & 58. 61. & *sequentes lib.* 2. cõtra Abbates Græcos, qui Corinthio Episcopo vero & legitimo, eò quòd Latinus esset, obedire detrectabant. Denique eò ventum est, vt fidem contrariam orthodoxæ adstruerent, & ritus omnes Latinorum exosos haberent, vt de ieiunijs Sabbatho prohibitis iuxta Trullanum Concilium, in quo Zonaras Latinis tribuit peccatum ad *can.* 55. Balsamo verò omnium impudentissimus ait hoc Concilium vtpotè suo sensu œconomicum, à Latinis hac de causa rejici, quod eorum cor tanquam ferrum peruadat, pungat, & configat. De his egimus alias; vt de altaribus Græcorum in quibus Latini celebrassent denudandis, & & tanquam inquinatis lauandis, docet idem Innocentius *in cap.* 4. Concilij Lateran. Quæ obstinatio diu pòst inoleuit, ita vt etiam in templis Latinorum orare nollent, quod tamen damnauit Demetrius Chomatenus *in interrogationib. ad Constantinum Cabasilam, lib* 5. *respons. Iuris Græco-rom.* Balsamo verò vlteriùs progressus Papam indignum esse communione Patriarchalium sedium, nec genus Latinorum posse per diuina mysteria sanctificari, impudenter asseruit. Imò, quòd peius est, Armenijs, Monothelitis, Nestorianis, & alijs hæreticis comparauit ad *Interrogat.* 32. Cui adhærens Matthæus Blastares *lib.* 8. Græcos dixit non posse contrahere cum hæreticis, Iudæis, & Paganis quibus æquiparat Latinos. Quod crimen non inultum mansit; biẽnio enim postquàm hæc scripsit Balsamo, nempe anno 1204. Constantinopolis capta est à Latinis, & sub Patriarcha Latino redacta, Balduino Flandro duce sub Innocentio, III. qua de re Balsamo conqueritur in supplemento ad *canon* 11. Synodi Antiochenæ, nec vllo tempore quo Latini gubernarunt, imperium firmum fuit. Ideò Honorius in hoc cap. scribit Ioanni Cardinali, in casibus expositis debere in humaniorem partem inclinare, propter statum imperij adhuc debilem. Vnde accidit, vt breui sub Michaële Palæologo recuperauerint Constantinopolim eiectis Latinis. Ipsi tamen Græci sæpiùs res suas in perniciem verti agnoscentes, simulantes Ecclesiæ Romanæ adhærere, peruersa sua dogmata abnegantes, vt in Concilio Ferrariensi & Florentino post Basiliense coacto ab Eugenio IV. professi sunt obedientiam; sed vt rectè annotauit Albertus Krantzius in *Metropoli, cap.* 43. *lib.* 11. Græcorum semper vacillans natio in antiquos mores recidit, ipsis etiam Imperatoribus Palæologis inclinantibus, vnde iudicio diuino totum imperium amiserunt.

b Neoportensis Archid.] Vide an legendum sit Nigripontis, quæ est Insula Pontis Euxini, sub Archiepiscopo Atheniensi, de cuius Domino Innocentius III. in *Epist*. 4. *&* 5. *lib*. 15.

c In profestis.] Dies profestus ἀνεόρταστος in Glossario Philoxeni, apud Nazianzenum *ἀνεόρτος ἡμέρα σεβασμὸς θεῶν, dies profestus celebritatẽ non habens*, in quo licet operari, apud Sipontinum Grammaticum, & distinguitur à die festo, vt ex Plinio *cap*. 6. *lib*. 18. *constat*.

TITVLVS XXI.

De Postulando.

[a] *Archiepiscopo*, [b] *Sancti Leonardi, & S. Benedicti Abbati Salernitan.*

Capvt I.



X litteris vestris accepimus, quòd cùm causam quæ inter dilectos filios Abbatem, & Conuentum [b] Fossæ nouæ ex parte vna, & Abbatem, & Conuentum monasterij [c] Cauen. Salernit. diœcesis ex altera, super quibusdam possessionibus monasterij sancti Petri de Amalphia, quas bonæ memoriæ frater Siluester monachus Fossæ nouæ, cùm idem sancti Petri monasterium visitasset, eisdem Abbati & Conuentui Cauen. vendidit, in eiusdem monasterij sancti Petri præiudicium & grauamen vobis duximus committendam; quia partibus in vestra præsentia constitutis pars dicti monasterij sancti Petri proposuit, quòd aliquem de ciuitate Salernit. habere non poterat aduocatum, vestrum super hoc officium implorando; tu frater Archiepiscope eidem de Magistro R. Capuda, Aquensi Thesaurario, [c] clerico tuo ad exhibendum in causa ipsa patrocinium prouidisti: verùm frater S. Prior sanctæ Mariæ de Dompno Cauen. monachus pro monasterio suo proposuit, quòd id in præiudicium eiusdem monasterij factum fuerat, eò quòd dictus R. Clericus & domesticus tuus erat. Nos igitur decisionem negotij nolentes friuolis exceptionibus impediri, causam ipsam ad vos duximus remittendam, per Apost. v. s. mandantes, quatenus exceptione huiusmodi non obstante, in negotio ipso sub.app. ob. sinè moræ dispendio ratione præuiâ procedatis, iuxta priorum continentiam litterarum. Et quia instrumenta monasterij sancti Petri, quæ ipsis dictus S. eiusdẽ vẽditionis tẽpore tradidit, Abbas & cõuẽtus Cauẽ. malitiosè occultare dicuntur, ipsos, vt ea vobis exhibeãt monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas sicut iustũ fuerit app. postp. cõpellatis.

a ARCHIEPISCOPO SALERNITANO.] Archiepiscopo Salernitano, & Abbati S. Leonardi. Sic legendum, & ita legi in duob. vetustiss. Codd. testantur Correctores Romani. Salernum Archiepiscopatus regni Neapolitani, & Principatus à Lothario I. creatus, & datus Siconolpho in diuisione Ducatus Beneuentani, anno 851.

b ABBATI S. LEONARDI.] Nobilissimum est hoc Monasterium, & sumptuosissimum templum S. Leonardi à Friderico 2. Imperat. in Apulia fundatum, & datum Ordini Militum B. Mariæ.

Hoc caput legitur apud Gregor. *tit de offic. Iudic.* quare hoc? cùm Postulationis officium conueniat potiùs huic titulo, cui consequenter subiungitur titulus de Procurationibus, quàm titulo de officio Iudicis? Qui ordo desumptus est ex serie Pandectarum, vbi agitur de his qui in foro causas agunt, & patrocinia exercent περὶ συνηγόρων. Proloquutores vocantur in Priuilegio Ecclesiæ Richspergensis, quod refertur in Glossario legum antiquarum, de quibus totus est Titulus apud Gregor. ad differentiam aliorum Aduocatorum, de quibus ad Titulum de iure Patronatus fusè agimus, qui propriè Defensores & Patroni sunt, ἔκδικοι, id est vltores & vindices in Græcis canonibus, vt doctè explicat Clariss. Bosquetus ad Innocentij III. epistolas. Nec tantùm patrocinium Ecclesiarum suscipiunt, sed & Iudicum officio funguntur, & de causis ciuilibus Ecclesiasticis, & criminalibus leuioribus cognoscunt, vt ostendit Balsamo ad can. 78. Synodi Carthagin. *& in can. Saluator.* 1. *q.* 3. Vrbanus II. Aduocatum, siue Castaldum Iudicem vocati, idque exemplis probat Cuiacius ad constitutionem 2. Friderici *lib.* 5. *Feudorum.* in edicto Pistensi. Apud Carolum Caluum dicuntur *Barigildi*, à voce, *Barus*, siue, *Baro*, cuius propria significatio est liberi hominis qui nunquam fuit seruilis conditionis, Germani *Baren* vocant, id est liberum dominum; ita apud Cicardum Abbatem Baro, Dominus, vel Princeps, vel etiam miles principalis; sic enim sumitur apud Hircium de bello ciuili, & apud Oppium. Gildus verò dicitur à voce Germanica, *Gild.* quæ valorem & æstimationem significat, vt notauit vir doctus Sibrandus Siccama *in Notis ad Titul. de compositionibus, in legibus Frisionum.* Inde Gildonia, id est, compositio, quæ pretio vel æstimatione rei de qua est cõtrouersia fit, *lib.* 1. *legum Longobard. tit.* 7. *& cap.* 129. *lib.* 1. *Capitular.* In legibus Aethelstani Regis Angliæ, *Cap.* 13. *de Vneris*, seu, *Vnerigildis*, id est Capitum æstimationibus; inde quidam Glossographi, vt Papias, interpretantur adunationem, conspirationem, veluti quendam consensum. Vtut sit, inde Aduocati dicuntur, *Barigildi*, quòd è nobilioribus & potentioribus assumerentur, in quorum fidem & patrocinium, quasi conspiratione quadam & consensu mutuo Ecclesiæ recurrebant; vel si demissiùs hanc vocem accipiamus, à pretio, quod Aduocatis præstabatur, quasi dicantur Aduocati stipendiarij.

b FOSSAE NOVAE.] Abbatia olim magnifica ordinis Cisterciensis, in qua centum Monachi viuebant, & vbi D. Thomas Aquinas decessit dum veniret ad Concilium Lugdunense sub Gregorio IX. Est in Latio hodie, *Campagna di Roma.*

c CAVENSIS.] Caua, ciuitas Episcopalis in Campania, iuxta quam est antiquum, diuesque Cœnobium eiusdem nominis, dictum S. Trinitatis Monasterium, Ordinis S. Benedicti fundatum à S. Alterio primo Abbate anno 1050.

d PETRI DE AMALPHIA.] Amalphia ciuitas Archiepiscopalis regni Neapolitani, de qua vide Blondum *lib.* 15. *historiarum.*


e CLERICO TVO.] Ad munus aduocatorum præcipuè assumebantur clerici, hoc cap. quod confirmat *dictus Canon* 78. Synodi Carthagin. ad quem Balsamo ait eos assumi ex ordine Episcoporum, clericorum, & ciuium bonæ existimationis; & hi promoueri, seu præfici dicebantur, quia non per manuum impositionem, nec per τὴν σφραγῖδα, id est characterem fiebant, vt constat ex *can.* 2. Synodi Chalcedon. relato in *Can. si quis.* 8. 1. *q.* 1. & hæc promotio locum maximè habuit, cùm hoc munus ferè semper ad laicos deuolutum est.

TITVLVS XXII.

De [a] Procurationibus.

[b] *Episcopo Egitanen.*

CAPVT I.



Vditis & intellectis quæ fratris [c] Ioannis Colobrien & Bartholomæi Egitanen. Canonicorum, necnon & [d] Decani Ciuit. suorúmque coniudicum delegatorũ nostrorum processibus, in causa quæ inter te, & Ven. fratrem nostrum Colobrien. Episcopum, super limitatione diœcesum, ac rebus alijs vertitur à procuratoribus partium fuere proposita, coram nobis, [e] processus ipsorum, & quæcumque secuta sunt ex eis, vel ob eos nos noueris de cons. f. n. irrita iudicasse; non obstantibus litteris, quas de reuocatione mandati procuratori suo prædictus Colobrien. Episcopus destinauit, cùm antequàm ad illum huiusmodi litteræ peruenirent fuisset super eisdem processibus hinc inde conclusum. Ceterùm memoratum Colobrien. Episcopum qui procurauerat totum negotium ad examen sedis Apostolicæ aduocari, & postmodùm mandatum factum procuratori non sinè nostro contemptu, & tuo dispendio reuocauit, condemnandum tibi duximus in expensis, quas fecisti à tempore, quo ad procuratorem Colobrien. Episcopi reuocatoriæ litteræ peruenerunt, & facies vsque ad diem quo Episcopus Colobrien. per se, vel procuratorem idoneum se nostro conspectui præsentabit: in principali negotio & contingentibus ipsum legitimè processurus. Ne igitur super his possit aliquatenus dubitari, has litteras duximus concedendas.

a DE PROCVRATIONIBVS.] Sic legitur in omnibus MSS.

b EPISCOPO EGITANENSI.] Olim Idigita vrbs Episcopalis, nunc Guardia in finibus Lusitaniæ, patria regis VVambæ.

c IOANNIS COLOBRIENSIS.] Frequens huius Episcopatus mentio in Registro Innocentij III. sub nomine Colubriensis. Fortè est Colobria in diuisione Episcopatuũ sub VVamba rege, quam Lucas Tudensis & Marineus *Montarges* esse dicunt negat Mariana: vel Conimbricensis ciuitas, & insignis Academia, suffraganea Compostellanæ Ecclesiæ, olim Iriensis. Sub Emerita aliàs fuit, vt constat ex dicta diuisione, & ex diuisione Constantini relata à Raze Arabe, & translata à Mariana. Nihil certum, cùm Episcopatus in Hispania sæpè immutati fuerint, & in Prouinciali MSS. Fuxensi, Columbriensis Episcopus constituatur suffraganeus secundus Archiepiscopatus Bracarensis, qui in diuisione Constantini & VVambæ tribuitur Emeritæ, translatæ in Compostellanam Ecclesiam a Calixto II.

d DECANI CIVITATENSIS.] Vide quæ diximus

supra *ad cap. 2. de maior. & obed.*

c PROCESSVS IPSORVM.] Processus ordo iudiciarius. Innocentius III. in *cap. ad nostram*, *de ordine iudiciorum procedere*, & vt ait in *cap. ex parte 13. de offic. & pot. iud. deleg. in causa iuxta iuris æquitatem procedere.*

M. & R. [a] *Canonicis Mutin.*

CAPVT II.

Petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd quum Ven. f. n. Mutin. Episcopus [b] in Liuoniam profecturus, vos [c] Vicarios suos & procuratores constituerit generales, vobis volentibus agere contra detentores bonorum Episcopi Mutin. vel contra illum agentibus respondere, frequenter opponitur, quòd id facere non potestis, pro eo, quòd in instrumento Vicariæ seu procurationis huiusmodi non exprimitur, quòd Episcopus ipse constituerit vos syndicos & actores. Quare humiliter postulastis, vt cùm per exceptiones huiusmodi frequenter impediatur vtilitas Episcopi supradicti, super hoc prouidere salubriter dignaremur. Nos igitur ex tenore ipsius instrumēti cognoscentes, quòd intentio fuit ipsius Episcopi dare vobis agendi & respondendi pro ipso Episcopo liberam potestatem, exceptionem huiusmodi penitus reprobamus.

a CANONICIS MVTINENSIBVS.] Mutina ciuitas Italiæ, *Modena*, sub archiepiscopo Bononiensi; nunc sedes Principum Estensium post recuperatam Ferrariam à Pontificibus Romanis.

b MVTINENSIS EPISCOPVS.] Anno 1218. VValdemarus rex Danorum Liuonos, *Liflandt*, & alios populos Gentiles fudit insigni victoriâ (in qua magnus ille Lundensium Archiepiscopus Andreas, de quo suprà, renouauit miraculum à Mose factum contra Amalecitas, & descriptum *cap. 17. Exodi*) & ad vltimos Liuoniæ atque Esthonū populos fidem propagauit. Posteà Vuillelmus Mutinensis Episcopus (de quo in hoc cap.) ab Honorio nostro in Liuoniam missus ad confirmandos Neophytas in fide, qui à rege Vualdemaro obtinuit, vt apud Liuonos Dominicani propè arcem quæ intrà Reualiam erat, cœnobium exstruerent, vt excolerent hos nouos Christianos. Fallitur ergo Isaac Pontanus in *Historia Danica*, dum Vuillelmum missum ait anno 1229. sub Pontificatu Gregorij noni.

TITVLVS XXIII.

De in integrum reſtitutione.

Archiepiſcopo [a] *Bracaren.*

Capvt I.

Coram fel. memoriæ I. Papa prædeceſſore noſtro lite inter Ven. f. noſtrum Archiepiſcopum Toletan. & te frater Archiepiſcope ſuper primatia ſolenniter conteſtatâ, fuit peremptorius terminus aſſignatus. *& infra.* Verùm elapſo termino conſtituto, poſt exſpectationem non modicam comparuerunt dilecti Magiſter Scholarum, & magiſter D. Canonici Bracaren. veſtras nobis litteras præſentantes, quibus eos eſſe procuratores veſtros in cauſa prædicta, (ita quòd in ſolidum vterque) apparebat ; ſed quia, vt dicebant, non attulerant depoſitiones teſtium, & alia munimenta, dilationem cum inſtantia poſtularunt. Poſtquàm verò contra eos interlocuti fuimus ſuper dilatione petita, tandem indulgeri Eccleſiæ Bracarenſi dilationem propter inſtructionem cauſæ per auxilium reſtitutionis in integrum poſtularunt, exhibentes ſuper hoc ex parte noſtra ſpeciale mandatum. Nos autem de f. n. conſilio vſque ad octauas Pentecoſtes proximè futuras per reſtitutionis beneficium id vobis duximus indulgendum.

a BRACARENSI.] De controuerſia Primatus Toletani & Bracarenſis doctè, & fusè Mariana *lib.* 5. *cap.* 19. *hiſt. Hiſp.* ex quo conijciendum hanc controuerſiam inter Rodericum Semenum Toletanum Præſulem, magni animi virum, & doctrinæ opinione ſingularẽ, qui ſedebat ſub Honorio noſtro, & Archiepiſcopũ Bracarẽſem, qui iugũ Toletani excutere cupiebat, terminatã vel præiudicatã fuiſſe in fauorem Toletani ab Honorio, vtpotè qui Roderico Legati partes conceſſit: plura dicturus ſum *inf. ad cap.* 3. *de dilation.*

[a] *Maioris Eccleſiæ, & ſanctæ Mariæ ad gradus Præpoſito, & Decano Colon.*

Capvt II.

b A Procuratore Monaſterij Neuuernbengen. & Comite Aſcaniæ, diœceſis Halberſtad. in veſtra præſentia conſtitutis, facta fuit quædam compoſitio inter partes, & bullæ noſtræ munimine roborata. Poſtmodùm verò Abbas eiuſdem Non ponitur.

monasterij personaliter ad Apostolicam sedem accedens proposuit coram nobis, monasterium ipsum in multis per compositionem huiusmodi esse læsum, cùm multi processus, priùs contra quæstionem prædictam pro ipso monasterio habiti, videantur per compositionem ipsam in eiusdem monasterij præiudicium & grauamen extincti, & per eamdem ipsius monasterij priuilegijs derogetur, quibus est indultum Abbati, & Conuentui monasterij sæpedicti, vt possint quēcumque voluerint assumere Aduocatum, & assumptum si eis grauis vel inutilis fuerit, remouere: quod non poterit fieri si seruetur compositio memorata. Quare super dictis causis & nonnullis alijs coram nobis expressis supplicauit instanter, vt eidem monasterio per restitutionis beneficium succurrere dignaremur. Cùm igitur Ecclesiarum indemnitatibus exigente debito pastorali occurrere teneamur, discr. v. mandāmus quatenus partibus conuocatis & diligenter auditis, si inueneritis per compositionem, seu prouisionem iam dictam multùm læsum esse monasterium memoratum, illud app. remotâ in integrum restituere, dictâ compositione penitùs reuocatâ curetis, ac demum processus prædictos faciatis, sicut iustum fuerit firmiter obseruari.

[a] MAIORIS ECCLESIAE.] Diuorum Gereonis & sociorum ducum legionis Thebæorum, quam sancta Helena mater Constantini construi fecit Coloniæ, & quæ ob magnificentiam olim dicta est ad aureos Martyres.

[b] S. MARIAE AD GRADVS.] Hoc Monasterium S. Anno 34. Archiepiscopus Coloniensis in Dei genitricis honorem pro 30. Canonicis fundauit.

[c] A PROCVRATORE MONAST. NEVB.] Legendum *Neuuernbergensis*, anno 191. sub Archiepiscopo Abelusino Coloniensi fanum olim Bacchi ad Dei honorem consecratum, & S. Mariæ Magdalenæ sacellum appellatum in oppido Nouersio pagi Coloniensis, demolitū a Normannis, cū dicto oppido in Coloniæ suburbio instauratū, & *Neuuernberg*, id est nouus mons vocatum, vbi successu temporis regularis vita obseruata fuit, præsertim sub Siguuino 37. Archiepiscopo: celebre Monasterium est Canonicorum regularium.

Quantumuis compromissum factum fuerit, si tamen præiudicium fiat libertatibus Ecclesiæ, non valere ait Honorius. Cui congruit *cap. cum tempore ex. eod. exceptis capitulis, quæ contra libertatem Ecclesiæ*; ex quibus nota non omnem libertatem valere contra ius commune; sed eam tantùm quæ priuilegijs & rescriptis summorum Pontificum confirmatur; vtpotè quòd Ecclesia sit proprietatis Ecclesiæ Rom. vt ibi dicit Innocentius III. vel cùm simul cum priuilegijs, vel arbitrio, intercessit præscriptio longi temporis, vt colligere debemus ex glosa in *cap. cùm olim. de præscriptione.*

TIT. XXIV.

TITVLVS XXIV.

De Arbitris.

Archiepiſcopo Colon.

Capvt I.

EX parte tua noſtris eſt auribus relatum, quòd vacante præpoſiturâ ſancti [a] Cutberti in Colonia, Canonici eiuſdem Eccleſię electioni die præfixâ de præficiendo ſibi Præpoſito diſcordantes, vota ſua diuiſerunt in duos, quorum vnum, videlicet Hermanum de Viliaco, Decanus & ſocij ſui; alij verò Corradum de Bobardia Colon. Canonicos nominarunt: cúmque poſtmodùm tractaturæ ſuper electione huiuſmodi partes eſſent in tua præſentia cõſtitutæ, in te demum fide præſtitâ compromittere curauerunt, qui cauſæ meritis diligenter inſpectis & cognitis ad ferendam diffinitiuam ſententiam diem ipſis conſentientibus præfixiſti: interim verò præfato H. ab vna parte electo, ſublato de medio, ſupradictis Canonicis inhibere curaſti, ne tuâ pendente ſententiâ procederetur ab ipſis ad electionem aliam faciendam; quorum quidam nihilominùs Brunum de Abech Colonienſem Canonicum elegerunt. Die ergo quo proferri ſententia debuit conſtitutis in tua præſentia partibus, & præfato C. vt diffinitiuam proferres ſententiam poſtulante, dictus Brunus è contrario allegauit, quòd procedere vlteriùs non deberes. Quapropter quid à te ſuper hoc eſſet agendum edoceri à nobis humiliter poſtulaſti; ad quod tibi breuiter reſpondemus, quòd licèt arbitrium ſit finitum per mortem ipſius H. prius tamen de primæ electionis meritis debuiſti cognoſcere, quàm proceſſus fieret ad ſententiam: nam ſi fortè prædictus C. qui eſt ſuperſtes in electione ius habet, de qua compromiſſio facta fuit in te, electionem factam ſecundò conſtat penitus non valere.

a ECclesiae S. Cvtberti.] Sic malè MSS. Codices, bene Raimundus *Cuniberti*. S. Cunibertus 8. Archiepiſcopus Colonienſis in Eccleſia D. Clementis quam ipſe conſtruxerat extra muros Coloniæ, ibique Collegium fratrum inſtituerat, ſepultus fuit, ſucceſſu temporis fundatori dicata eſt, & Eccleſia S. Cuniberti vocata.

Mortuo vno ex electis debet ab arbitro ferri ſententia, nec ad aliam electionem procedi poſſe definit Honorius, quod iuri contrarium videtur, quo, morte vnius ex collitigatoribus compromiſſum ſoluitur in *l.* 45. §. *final. ff. hoc tit.* ſicuti quando vnus ex litigatoribus deportatur, vel bonis cedit, cùm neque agere, neque conueniri poſſit, *l. Item.* 17.

eod. Ita de societate in §. *final. Institut. de societ.* quod mouet dubitationem glossæ in *hoc cap. apud Gregor.* & concludit dandam esse sententiam ab Archiepiscopo Coloniensi, quòd morte alterius electi non procedat iure cōpromissi, sed iure suo, iure ordinarij, *cap. cum tempore. eod. & cap. penult. de in integr. restit.* Imò existimem maximum esse discrimen inter litigatores qui mutuo consensu compromiserunt, & electores inter se dissidentes; quia hîc non quæritur de morte eligentium, sed vnius ex electis, cuius omne non est quæsitum, sed penès electores remanet, quorum interest examinare, etiam mortuo vno ex electis, quæ electio præualere debeat antequàm ad aliam procedatur, & an electio superstitis ritè facta sit, ideò compromissarij sententia est exspectanda, quod nominatim statuit Bonifacius in *cap. 1. vt lite pendente, in 6.*

Electo & [a] Abbati sancti Zenonis, & Constantino, Canonico Veron.

Capvt II.

EXposita nobis dilecti filij O. [b] Feltren. & [c] Bellunen. Electi petitio continebat, quòd cùm causam quæ inter quondam bonæ memoriæ antecessorem suum ex parte vna, & [d] ciues Taruisinos ex altera, districtu & iurisdictione, ac rebus alijs vertebatur, per sententiam ven. f. nostri [e] Ostiensis Episcopi tunc Apostolicæ sedis legati, fuerit terminata, & ipsius antecessor electi, adiudicata sibi per legatum eumdem diu pacificè possedisset; ipse nihilominùs tandem Capitulorum suorum assensu in præjudicium Ecclesiarum suarum super quibusdam discordijs, quæ hinc inde videbantur exortæ, in nobilem virum [f] Ducem Venetorum tanquam in arbitrum cum parte altera compromisit, qui veniens contra eamdem sententiam autoritate Apostolicâ confirmatam super rebus iudicatis ab eodem legato aduersus prædictas Ecclesias æquitate postpositâ iniquum arbitrium promulgauit. Licèt autem eidem Duci litteras nostras miserimus, vt ad componendum inter partes laborare deberet, quum tamen intentionis vestræ non fuerit immutare ipsam sententiam, vel sopitas per eam querimonias suscitare, discr. vestræ mandamus, quatenus præfatis litteris non obstantibus quicquid per prænominatum Ducem contra ipsius legati sententiam inueneritis esse factum, in irritum reuocetis, ei districtiùs inhibentes, ne vlteriùs in compromisso procedat, & eumdem ad restitutionem obsidum, & cuiusdam castri occasione ipsius compromissi sibi datorum, vt ipsius arbitrium seruaretur per censuras Ecclesiasticas appellatione postpositâ compellatis.

a ABbati S. Zenonis.] Hæc Abbatia dicata est S. Zenoni ciui, & Episcopo Veronensi (cuius habemus elegantissimas Homilias in Bibliotheca Patrum) Veronæ Protectori, cui Pipinus Caroli M. filius templum duodecim auri libris annuis auctum dicauit.

b Feltrensis.] *Feltre*, vrbs nobilissima in me-

dijs Alpibus, cuius incolæ Fertini dicti Plinio *lib. 3. cap.* 19. suffraganea Patriarchæ Aquileiensis.

c Bellvnensis.] *Ciuita di Belum*, sub Venetis quoque & Patriarcha Aquileiensi.

d Cives Tarvisinos.] Taruisium, *Treuigi*, sub Venetis quoque & Aquileiensi; vrbs miræ antiquitatis, quæ D. Petro Romæ cruci affixo, eius nomini primariũ templũ dicauit.

e Ostiensis Episcopi.] Hugolini de Signia, Comitis Anagniæ creati ab Innocẽtio III. anno 1198. post Honorium nostrum Pontifex Max. fuit, dictus Gregorius IX.

f Dvcem Venetorvm.] Petrum Ziani Ducem 61. qui creatus fuit anno 1205. & vixit vsque ad annum 1229.

Ad arbitrium seruandum dantur obsides *hoc cap.* quod ius desumptum est ex veteri iure Romanorum, quo pignorum loco habebantur, & in eorum corpora sæuiebant creditores, quod damnat Nouella Iustiniani 60. *cap.* 1. Et prohibetur in *cap.* 2. *de pignorib.* vt pignus detur loco obsidum, lex est æquissima. Et hoc pignus apud Homerum vocatur ὅμηρον, *Vadium* in *legibus Ripuariorum*, vt fusè annotaui ad *Titul. de pignorib.* sed asperum est nisi pro causa graui, vt dentur obsides, & vades, quos *Sponsores* Nonius vocat, & loco vadij detineantur. Id *ostagium* vocat Alexander III. in *cap. ex rescripto. de iureiur.* in quo & Monachi obsides dari permittit. Ita & olim virgines victoribus obsides dari solitas scribit Athenæus *lib. 13. cap.* 28. vtpotè maiori pretio habitæ, quàm mares, apud Sueton. in *Augusto, cap.* 21. Quam legem Ludouicus Romanus iniustam esse contendit, vt Episcopi & Abbates, clericos & monachos obsides dent ad securitatem, vt ait *glossa* in *hoc cap.* nã si clerici fideiussores esse non possunt, *cap.* 1. & *pen. de fideiusso.* multò minùs vt vades, vel obsides carceri mãcipari, vel detineri debent.

TITVLVS XXV.

De iuramento calumniæ.


Archidiacono, & magistro G. Tullen. Canonico.

Capvt I.

Ex litteris vestris accepimus, quòd super causa vsurarum vobis pro G. de Rossuel milite, contra E. de Espinal militem Tullen. diœcesis ab Apostolica sede commissa, non potuit vobis per testes ab ipsius G. parte productos de sortis quantitate liquere, licèt de obligatione pignoris constitisset. Vnde non immeritò videbatur expedire iustitiæ, quòd exigeretur de dicenda veritate à partibus iuramentum, quum ex fama quasi notorium habeatur præfatum E. ex quadam terra ipsius G. sibi titulo pignoris obligata sortem & ampliùs percepisse. Ne igitur ex huiusmodi iuramẽti defectu iustitia, occultatâ veritate succumbat; discr. v. m. quatenùs si est ita, partes ad præstandum huiusmodi iuramentum per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ cogatis.

Hic Titulus à Raimundo in 2. Decretalium reiectus est, vbi de iudicijs, & omni instruendarum litium ordine & forma agit qui tamen in 1. & 2. cõpilat. *lib.* 1. insertus est.

FINIS LIBRI PRIMI.



QVINTÆ COMPILATIONIS DECRETALIVM LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De Iudicijs.

a *ABBATI SANCTI MARTINI, ARCHID. Remensi, &* b *Decano Bunien. Colon. diœcesis.*

CAPVT I.



Xhibita nobis dilecti filij c R. Virdun. electi petitio declarauit, quòd cùm super facto electionis sui ipsius, & H. Archidiaconi, ac quorundam Canonicorum Virdun. & aduersariorum suorum procuratores ad nostram olim præsentiam accessissent. Nos auditâ petitione partis aduersæ, & quæ proposita fuerunt ab ipsa, Venerabili fratri nostro Parisien. Episcopo, & coniudicibus suis, sub certa forma litteras nostras direximus inter alia continentes, vt vocatis, qui vocandi essent, super propositis & alijs rerum negotia contingentibus inquirerent veritatem, & testes quos nominari contingeret iuxta consuetam formam ad testimonium compellendo, & præfigendo partibus terminum competentem, quo per se, vel procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent, iustam sententiam recepturæ. Partibus ergo citatis non fuit processum in aliquo prima die, cúmque decem de parte aduersa secundo termino comparuissent & fuissent si electo se opponerent auidè requisiti, septem eorum respondere nolentibus,

ad agendum tres ſe reſidui obtulerunt. Cùm autem idem electus prædictis tribus conſpirationem, & duobus excommunicationem [d] in modum exceptionis obiecit, ſe id offerens probaturum, præfati iudices interlocuti fuerunt, quod de his & [e] principali negotio ſimul inquirerent; nolentes quaſi non iudices, ſed inquiſitores exiſterent, ſuper dictis exceptionibus ipſius electi probationem admittere, ſed peruertendo iuris ordinem de præmiſſis exceptionibus & principali pariter per ſe inquirere, intendentes & procedentes etiam ad receptionem teſtium nondum lite ſuper eodem negotio conteſtatâ. Quare prænominatus electus noſtram audientiam appellauit, humiliter ſupplicans, vt cùm litteræ ad iudices ipſos obtentæ non inquiſitionem, ſed commiſſionem ſapiant, prout apparet ex continentia earundem, quod ab eis factum eſt poſt appellationem ipſius, reuocare in irritum & cauſam alij committere dignaremur: Quia verò non in modum inquiſitionis ſed commiſſionis negotium extitit delegatum diſc. v. p. a. ſ. mandamus quatenus conuenientes ad locum idoneum & partibus competentem, ſi ex dictis grauaminibus, vel aliquo ipſorum appellatum conſtiterit reuocato in irritum quidquid poſt appellationem huiuſmodi inueneritis attentatum, in cauſa ipſa iuxta priorum continentiam litterarum appellatione remotâ, ratione præuiâ ſinè moræ diſpendio procedatis.

a ABBATI S. MARTINI.] Hæc Abbatia eſt in vrbe Colonienſi, ordinis S. Benedicti, fundata primò ab Odgero Daciæ Duce, & ferè de nouo inſtaurata anno 986. ſub Imperat. Othone III.

b DECANO BVNIENSI.] Leg. *Bonnenſi*, Bonna hodiè *Bonn.* à Druſo ſub Auguſto condita ad tuendam ripam Rheni. Vide Florum *lib. 4.* ſedes eſt ordinaria Archiepiſcopi Colonienſis.

c R. VIRDVNENSIS.] Ricardus VVaſſeburgius narrat hiſtoriã huius capitis, & ait poſt mortem Alberti Virdunenſis Epiſcopi, electum fuiſſe Robertum I. de quo in *hoc cap.* nobiliſſimum virum, & patruum Comitis Grandiſprati; ſed Theodericum Decanum Eccleſiæ Virdunenſis, & Herbertũ D'yuoy Decanum Eccleſiæ Remenſis, & Canonicum Virdunenſem appellaſſe ab hac electione, propter defectum ætatis & litterarum dicti Roberti anno 1208. Sed quandiu Otho Imperator vixit, aut Eccleſiæ rebellis non fuit (cui dictus Robertus carus erat) appellatio iſta ſuſpenſa fuit, donec anno 1215. dictus Robertus citatus fuit perſonaliter in Romana Curia, & interfuit Concilio Lateranenſi, poſt quod anno 1216. electio eius infirmata fuit; ſed dum paratus erat obedire ſententiæ Apoſtolicæ, & cedere iuri ſuo in manibus Capituli, morte præuentus fuit. Videtur tamen dictus VVaſſeburgius falli in Chronologia, dum ponit creationem Honorij III. poſt dictam ſententiam; quum ex *hoc cap.* manifeſtò liqueat dictam litem ſub Honorio noſtro conteſtatam fuiſſe.

d IN MODVM EXCEPTIONIS.] Contra aduerſarios duo propoſita fuerant, conſpiratio & excommunicatio; vtrumque crimen excludit eos ab actione contra electum. Conſpiratio, ſeu coniuratio, *συνωμοσίας, ἢ φρατρίας ἔγκλημα* vocat *can.* 18. Synodi Chalcedon. & *can.* 34 Synodi 6. in Trullo. Et de eo in *can.* 21. & *ſequentib.* 10. *q.* 1. Quod crimen legibus etiam ciuilibus exoſum fuit, quas idem *Canon* 18. *externas leges* vocat *ἔξω νόμους*. Hæc conſpiratio dicitur *ſceleratiſſimum conſilium in l.* 8. *C. ad leg. Iul. maieſt.* quod falſis ſuggeſtionibus. vel teſtimonijs initur; *l. diuus. ff. de re iudicat.*

rebelli autoritate sacramento inter se habito, aut chartulâ conscriptâ, vt est in cap. 198. lib. 7. Capitular. Quod vel per dexteras firmatur vt est in *cap. 7. ibid.* quod Carolus M. ad leges salicas *tit. 3.* adiecit, vel *per aliquam obligationem sit collecta adunatio ad malefaciendum lib. 1. legum Longobard. tit. 17. cap. 8. 9.* & 10. & *cap. vlt. infra de testib. cogend.* Alteram exceptionem, excommunicationis nempe, superfluum est tractare, quæ iure hoc notissima est, & de qua Glossa optimè.

[d] PRINCIPALI NEGOTIO.] Id erat circa electionem, pro cuius cognitione Parisiensis Episcopus & coniudices delegati fuerant, qui tamen litterarum Apostolicarum tenorem prætergressi, de exceptionibus ab electo propositis simul inquirere cœperunt, non obstante etiam appellatione contra iuris ordinem, quum tamen de meritis electi, & studio, & zelo eligentium foret agendum, *cap. scriptum. de elect.* vt ibi notat glossa.

Fredericus Imperator.

CAPVT II.

HAC edictali lege. *& infra.* Decernimus etiam vt si qui clericis, vel personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumpserint tertiò requisiti, suam iurisdictionem amittant.

HAEc constitutio est aduersùs Iudices iudicium recusantes, vel protelantes, contra quos pœna pecuniaria statuitur in *l. properandum. §. sin autem vtrique. C. de Iudicijs.* Idem definit de ministerialibus & apparitoribus Iudicum, qui lites protrahunt, vt eâdem pœnâ afficiantur, *l. vlt. C. vt intrà certum tempus.* seueriùs agit Fridericus, vt tertiò requisiti suam iurisdictionem amittant.

Magistro [a] Tancredo Canonico Bon.

CAPVT III.

VEnerabilis f. n. [b] Archiepiscopus Rauennat. proposuit coram nobis, quòd cùm decisio causæ, quæ inter ipsum ex parte vna, & communitatem Ceruiensem ex altera super iurisdictione ciuitatis Ceruiæ, & [c] quibusdam alijs articulis vertitur, sit per [d] subterfugia & cauillationes eorum [e] per triennium prorogata: & tandem post litis contestationem, & [f] commissiones varias tibi dedimus in mandatis, vt eam ad nos remittas sufficienter instructam; dicti Ceruienses asserentes instantiam iudicij per decursum triennij perijsse, & ideò respondere sub tuo examine recusantes consuetis tergiuersationibus processum impediunt dictæ causæ. Nolentes igitur vt eiusdem causæ decisio vlteriùs prorogetur, præsentium tibi autoritate mandamus, quatenus, exceptione huiusmodi non obstante, in negotio ipso appellatione remotâ, ratione præuiâ procedas iuxta traditam tibi formam.

a TANCREDO.] Fuit hic famosus Canonista Archidiaconus dictæ Ecclesiæ Bononiensis, & refert Pompeius Vizanius in *Historia Bononiensi*, Honorium nostrum anno 1219. dedisse facultatem Archidiacono Ecclesiæ Bononiensis (in fauorem Tancredi) instituendi Doctores, & dandi insignia Doctoratus in hac celebri Vniuersitate.

b ARCHIEPISCOPVS RAVENNAS.] Simeon è Ceruiensi Episcopo Archiepiscopus Rauennas.

c QVIBVSDAM ALIIS.] Vide articulos sigillatim collectos ab Hieronymo Rubeo *lib. 6. Histor. Rauenn.*

d SVBTERFVGIA ET CAVILLATIONES.] Quid sit subterfugium, cauillatio, tergiuersatio, docet Cuiacius ad *l. 177. de verb. signif.* quam ex Aristotele παρεγχείρησιν vocat, id est *Ironiam*, seu *derisionem*, vel vt ait Papias in *Lexico*, est *iocus cum conuicio*; meliùs, mora, seu frustratio ex lege 12. Tabul. *si caluitur*, moretur, & frustretur in *l. 233. eod.* Quæ quidem tergiuersatio hoc iure cursum triennij impedit, quominùs instantia perimatur, contra ius ciuile in *l. properandum. C. de iudic.* qua, lite contestatâ, si per multiplicem dilationem (id est per tergiuersationem, vt explicat Harmenopulus *lib. 1. tit. 4.*) pars vna fatigetur, eremodicio contracto Iustinianus decernit intrà triennium causam esse iudicandam, *examinatio causæ sine vllo obstaculo celebretur.* Quæ verba & tota Constitutio pugnant contra eos, qui iure ciuili tergiuersationem vltra triennium causæ iudicium producere contendunt; quod vult Cuiacius probare ex *l. arbitrio 18. §. dolo. ff. de dolo*, malè adducta in hanc quæstionem à Bartolo, & Panormitano, quæ quidem è contrario litem per temporis legitimi decursum extinctam fuisse docet, *Dolo*, inquit Paulus, *cuius effectum, vt lis temporibus legitimis transactis pereat, Trebatius ait de dolo dandum Iudicium, non vt arbitrio iudicis res restituatur, sed vt tantùm actor consequatur, quanti eius interfuerit id non esse factum: ne aliter obseruantibus lex circumscribatur.* At hoc iure Honorius decernit tergiuersationem, & cauillationem vltra triennij metas instantiam proferre, quâ non interueniente manet certum triennio solo perimi instantiam. Et in eo differt à iure ciuili in *d. l. properandum*, quâ tergiuersatio non impedit finem litis. Dico autem, *triennio solo*; quia si aliud impedimentum adfuerit, non perit instantia, vt probat Panormitanus ex *cap. cùm olim. §. iudices, de priuileg.* vbi iudicium durat quadriennio; ratio est apertissima, quia iure Canonico multis modis iudiciũ prottahitur, cũ à quolibet grauamine appellare liceat, & pẽdente appellatione iudex sententiã ferre nõ possit, *Cap. præcedẽti*: non ita iure ciuili, *l. ante. C. quorũ appellat. non recip.* Ex quibus clarè patet quãtùm differat Ius nostrum à ciuili. Præterea potest traduci hæc Constitutio ad alium sensum; nam existimabant Ceruienses iudicis delegati officium triennio exspirasse, quum tamen certum sit litem contestatam iurisdictionem perpetuam facere, *cap. relatum. de offic. & potest. iudic. deleg.* & in hac specie lis erat contestata, vt patet ex his verbis. *Et tandem post litis contestationem & commissiones varias, tibi dedimus in mandatis vt eam ad nos remittas sufficienter instructam.* Ex quibus satis constat hoc caput non derogare iuri *legis properandum*, & vix quidquam habere commune cum ea: suspenderat varijs commissionibus Honorius litis processum, quem ad se euocauerat, & deinde cognitis cauillationibus Ceruiensium ad eundem Archiepiscopum Rauennatem remittit.

e PER TRIENNIVM.] Incœpit enim, teste Hieronymo Rubeo, anno 1221. & rescriptum hoc Honorij datum est anno 1224. 15. Kal. Februarij.

f COMMISSIONES VARIAS.] Prima, ad Ariminensem Episcopum, & Nicolaum S. Iuliani Abbatem. Secunda ad Prępositum Foropompilianum. Tertia ad G. Subdiaconum, & à sacris Honorij III.

Abbati sancti Stephani, Priori sancti Andreæ, Ciuitatis nouæ & [a] Archipresbytero sancti Eusebij Vercellen.

CAPVT IV.

Non ponitur.

SIgnificauerunt nobis Abbatissa & moniales monasterij Iesu Christi, Cistercien. ordinis, quòd cùm Albricus medicus Papien. eas [b] coram Consulibus Papien. super quadam summa pecuniæ traxisset in causam, metuentes ipsæ [c] illorum consuetam malitiam, quæ diu contra clericos & Ecclesias noscitur ferbuisse, cùm timor ex veteri faciat ventura timeri, coram eisdem Consulibus litem super hoc contestatæ fuerunt, qui perperam procedentes, iniquam contra eas super sortem ac vsuras diffinitiuam sententiam promulgarunt. Vnde humiliter petierunt, vt cùm id fuerit contra libertatem Ecclesiæ attentatum, quia Ecclesiasticæ personæ non solùm inuitæ, sed etiam voluntariæ non possunt vt iudicium subeant seculare pacisci, quum non sit personale hoc beneficium, cui renunciari valeat, sed indultum potiùs toti collegio Ecclesiastico, cui priuatorum pacto derogari non potest, subueniri sibi in hac parte misericorditer dignaremur. Quia verò sententia quæ à non suo iudice promulgatur, nullius debet esse momenti, discr. v. mandamus quatenus si est ita, sententiam Consulum prædictorum inualidam penitus, & nullas habere vires autoritate Apostolicâ denuntietis; audituri postmodùm si quid in præfatum medicum, & moniales ipsas fuerit quæstionis, & illud appellatione postpositâ decisuri.

a ARCHIPRESBYTERO S. EVSEBII.] S. Eusebius Episcopus Vercellensis floruit sub Constantio, & primus in Italia, autore D. Ambrosio iunxit penitentiam Monachorum cum dignitate & occupatione clericorum, sicut D. Martinus in Gallia, & D. Augustinus in Africa.

b CORAM CONSVLIBVS.] Litis contestatio habetur pro renunciatione præscriptionis fori, *l. 1. ff. de indic.* quod quidem locum habet in præscriptione fori Ecclesiastici contra aliud forum Ecclesiasticum, vt est in *cap. dilecti. de foro compet.* At hîc Moniales iuris sui ignaræ coram Consulibus Papiensibus contestatæ fuerant, ideò non videntur consensisse, nec renunciasse iuri suo, vt nominatim Vlpianus scribit in *l. 2. de iudicijs. Error litigatorum consensum non habet.* Hanc autem quæstionem an clericus foro Ecclesiastico renunciare possit contra sententiam Cuiacij ad *titul. de foro compet. in Paratitl.* tractauimus.

c ILLORVM CONSVETAM MALITIAM.] Omnes fere ciuitates Italiæ ob bellorum incendium inter Philippum, Othonem, & Fridericum libertates Ecclesiæ vsurpare tentarunt, vt iam diximus ex constitutione Friderici II. Idem de Potestate Florentinorum dicitur *infra, sequ. cap.*

a *Episcopo*

[a] *Episcopo &* [b] M*agistris Tancredo Bon. & Bondi* [c] *Praten. Bon. commoranti Canonicis,*

CAPVT V.

SIgnificauerunt nobis olim Abbas & Conuentus [d] sanctæ Mariæ de Florentia, quòd Florentinorum Potestas pro eis contra Cōmunitatem [f] Castri de Signa super possessione vel quæstione iuris ibidem eligendi sibi rectorem, quod ad se pertinere dicebant, diffinitiuam sententiam promulgauit; sed postmodùm eâdem Communitate nolente recipere Nobilem virum B. Vinci-Vuerra. quem ijdem in rectorem elegerant castri prædicti, præfata Potestas non solùm non curauit sententiam suam executioni mandare, ac communitatem ipsam compellere ad recipiendum dictum Nobilē pro rectore, sæpiùs requisita; sed nec permisit communitatem eamdem ad hoc à fidelibus eorum monasterij coartari; quin potiùs Abbatem & conuentum præfatos indignè coëgit cōmunitati prædictæ super proprietate, vel quæstione memorati iuris in seculari iudicio respondere. Vnde vobis per litteras nostras iniunximus, vt si esset ita, per censuras Ecclesiasticas cogeretis communitatem eamdem præfatum Nobilem admittere in rectorem; audituri posteà quæ partes super proprietate vel quæstione dicti iuris ducerent proponenda, & causam sicut iustum existeret decisuri, non obstante statuto quolibet contrario Ecclesiasticæ libertati, seu quòd Abbas & Conuentus prædicti compulsi sunt cōtestari super hoc litem in iudicio seculari. Nuper autem referentibus Abbate & Conuentu didicimus, quòd cùm de litteris super hoc à nobis obtentis ad ipsius communitatis notitiam peruenisset, syndicus eius exhibito coram iudice Potestatis calumniæ iuramento, citari fecit Abbatem quòd coram illo subiret simile iusiurandum, vt renuntiare per hoc intelligeretur idem Abbas Apostolicis litteris ipso facto, aut pro conuicto si recusaret hoc facere haberetur. Cúmque præfatam communitatem ad præsentiam vestram sæpiùs, & peremptoriè citassetis, syndico eius se velle dilatorias exceptiones proponere protestanti, terminum in quo id faceret, vel super principali responderet negotio statuistis; ad quem idem veniens protestatus fuerit paratum se proponere alio tempore litteras nostras per suggestionem falsi & veri suppressionem obtentas, sed tunc ad hoc se non teneri de iure, cùm tempus existeret propter vindemias feriatum, & G. monachus syndicus monasterij pro violenta, vt dicebat, manuum iniectione in presbyte-

rum excommunicationis laqueo teneretur, eodem G. proponente hoc malitiosè partem aduersam proponere, vt causâ prolatâ tempus labatur regiminis nobilis memorati, quod apparebat ex eo, quia per nuntium Potestatis, id fuit Abbati prohibitum ne communitatem eamdem extra Florentin. districtum in iudicio conueniret. Quare prænominati Abbas & conuentus humiliter petierunt, vt obuiare huiusmodi malitijs dignaremur. Quocirca discr. v. mandamus, quatenus tam eumdem syndicum, quàm eiusdem monasterij monachos, quorum testimonio vti voluit, si excommunicationem contra eos ad impediendũ causæ processũ opponi contingat, absoluentes, sub. appell. obst. ad cautelam, ne tali prætextu valeant ab agendo, vel testificando repelli, præmissis exceptionibus non obstantibus, in negotio iuxta recepti formam mandati ratione præuiâ procedatis, causæ finem debitum absque moræ dispendio imponendo; ita præceptum Apostolicum impleturi, vt non debeamus vobis difficultatem, quæ dicto monasterio moræ occasione imminere dignoscitur, imputare.

[a] EPISCOPO BONONIENSI.] Henrico *dalla fratta.*

[b] MAGISTRIS *Tancredo Bononiensi, & Bondi, Pratensi Canonico, Bononiæ etiam commorant.*] Sic reponenda est epigraphe ex Hieronymo Rubeo, *lib.* 7.

[c] PRATENSI.] Pratum oppidum facilè princeps in Thuscia propè Florentiam, in cuius Ecclesia Collegiata Cingulum matris Dei conseruatur.

[d] ABBAS ET CONVENTVS S. MARIAE.] Hodiè *à Flore* in ciuitate Florentiæ.

[e] CORAM IVDICE POTESTATIS.] Potestas est Magistratus, qui non ius dicebat olim, sed dabat, vel habebat Iudices, vt in *l. à diuo Pio. ff. de re iudicata*: donec constitutio Diocletiani iudicare Magistratus iussit, vt diximus ad *titul. de offic. iud. deleg. in Paratitl.*


[f] CASTRVM DE SIGNIA.] Oppidum est in Pago Florentino. Castrum enim sæpè pro oppido vsurpatur, vt in *Nouella* Iustiniani 128. ἐν ταῖς πόλεσιν ἤτοι κάστροις, Ciuitates & Castra, id est oppida coniungit Papiæ Lexicon. *Castrum singulariter oppidum*, vnde *Castellum*, id est paruus Burgus apud Veget. *lib.* 4. à voce Græca πύργος.

TITVLVS II.

De foro competenti.

Archiepiscopo, Decano, & Archidiacono Turon.

CAPVT I.



EX parte charissimæ in Christo filiæ [f] quondam Angliæ Reginæ illustris, fuit propositum coram nobis, quòd cum nobilem virum VV. de Vuertia detentorem Castri Segrei, ratione dotalitij pertinentis ad ipsam, quo per eum, vel complices eius contra iustitiam fuerat spoliata autoritate bonæ me-

moriæ Inn. Papæ prædecessoris nostri coram vobis super hoc traxisset in causam; dictus nobilis excipiendo proposuit, quòd litteræ Apostolicæ non valebant pro eo quòd Castrum Vuarchiæ, vbi est eius domicilium principale, consistit in diœcesi Redon. quæ vltra duas diætas à Turon. est remota, vnde hîc trahi non poterat secundum statutum Concilij generalis. Verùm replicatum fuit ex parte Reginæ, quòd idem nobilis Turon. satis poterat secundùm statutum Concilij generalis conueniri, quum non solùm Redon. sed etiam diœcesis Andegau. existat, eò quòd in ipsa, castra & redditus plures habet & castrum de quo quæstio vertitur in eadem diœcesi consistat, quæ à Turon. nequaquam vltra XII. leucis distat: idem verò adiecit quòd cùm dicta Regina ius suum coram domino feudi prosequi debuisset, præfatæ litteræ non valebant, quum non faciant mentionem, quòd feudi dominus fuerit requisitus, & ipse in exhibenda sibi iustitia extiterit negligens, vel remissus: subiungens quòd eædem litteræ falsitate expressâ fuerant impetratæ, eò quòd suggestum fuerat Castrum illud ad eamdẽ Reginam ratione dotalitij pertinere, quum nec ab initio, nec durante matrimonio à viro sibi fuerit in donationem propter nuptias assignatum. Ad hæc autem fuit ex parte ipsius Reginæ responsum, quòd vidua spoliata irrequisito feudi domino, spoliatorem, seu detentorem rei coram Ecclesiastico iudice poterat conuenire, cuius interest viduas defensare. Nec obest quòd sibi Castrum illud à viro assignatum non fuerit, cùm claræ memoriæ I. Rex Angliæ heres & successor viri sui Castrum præfatum in concambium pro alijs rebus dotalitijs eidem concessit, & ipsa illud diu pro dote pacificè possedisset. Ad hæc autem fuit ex parte ipsius nobilis replicatum, quòd Rex prædictus heres non fuerat regis Ricardi, nec dominus Andegau. sed eiusdem Castri raptor potius & inuasor, ita ius quod ipse nequaquam habuit transferre non potuit in Reginam: ad hoc pars eiusdem Reginæ respondit, quòd contra rescriptum exceptio huiusmodi non valebat, nec habere debebat locum in possessorio, quod eadem contra dictum nobilem intentabat. Vnde vos aures huiusmodi exceptionibus friuolis adhibentes in principali negotio procedere hactenus distulistis, in eiusdem Reginæ grauamen non modicum & iacturam. Nos verò volentes vt finis litibus imponatur discr. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit dictũ nobilem terram & mansionem habere in Andegau. diœcesi, in qua interdum consueuerit commorari, & ipsam diœcesim à Turon. vltra duas non distare diætas, & in eadem litigiosam rem esse, non obstantibus exceptionibus alijs quæ in petitorio potiùs, quàm in possessorio

locum habere videntur, in ipso negotio iuxta priorum continentiam litterarum, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, ratione præuiâ procedatis, præceptum Apostolicum taliter impleturi, quòd eadem Regina pro defectu vestro ad nos laborare vlterius non cogatur, nec vos possitis de negligentia reprehendi.

Caput hoc I. satis, supérque explicatum est, *suprà de offic. & potest. iud. deleg.*

Fredericus Imperator.

CAPVT II.

HAC edictali. & *infra.* statuimus autem vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales, & Canonicas sanctiones: quod si fecerit, actor à suo iure cadat, iudicatum non teneat, & iudex sit ex tunc iudicandi potestate priuatus.

Episcopo, & a Abbati sancti Proculi, & Priori sancti Ioannis in monte Bon.

CAPVT III.

Non ponitur. DIscretioni vestræ mandamus, quòd si vobis constiterit, quòd Magister Balduinus b clericus Laudun. ad respondendum prædicto Ioanni Bon. se adstrinxerit iuramento, ipsum ad illud obseruandũ, & super prædictis prout tenetur indemnem reddere monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ cogatis: constitutione de duabus diætis in generali Concilio editâ non obstante. Quod si fortè idem I. sæpe dictum Balduinum, vel eius procuratorem fecerit laborare Bononiam, nec probauerit quòd ad respondendum sibi in ciuitate Bon. iuramenti vinculo sit astrictus, eumdem I. ipsi B. in expensis legitimis, appellatione postpositâ, condemnetis.

a ABBATI S. PROCVLI.] Anno 311. S. Proculus ciuis Bononiensis pro Christo extra ciuitatem decollatus, caput manibus suis tulit intrà ciuitatem in vico nunc vocato *di S. Mamolo*; vbi Monasterium est Benedictinorum, in quo sacra eius ossa quiescunt, & Gratianus Decretum compilauit. Vide Pompeium Vizanium in *Hist. Bonon.*

b CLERICVS LAVDVNENSIS.] Videtur legendum *Laudensis*, *Lauda, Lodi*, est ciuitas Episcopalis in Italia sub Archiepiscopatu Mediolanensi: Laudunum verò in Gallia, vulgò *Laon.*

Iuramentum respondendi vltra duas diætas seruandum est, & derogat Honorius Concilio Lateranensi. Nam potest quis renunciare priuilegio pro se introducto, cùm non

derogatur iuri publico Ecclesiæ, vt iam diximus *super. tit. cap.* 4. & ita intelligitur *caput, si diligenti: hoc tit. apud Gregor.* præsertim cùm adhibetur iusiurandum, propter quod summus Pontifex potest interpretari regulam iuris, sicut sæpè solet etiam iurisiurandi rigorem mitigare, vel interpretari, vt videmus *infrà, cap. petitio. de iureiur.*

TITVLVS III.

De mutuis petitionibus.

[a] *Priori sanctæ Mariæ de Spello Spolet. diœc. Assimat. & Bonoscent. Subd. nostro Fulginat. Canonicis.*

CAPVT I.



CVM super causam, quæ inter Ven. f. n. [b] Episcopum Assimat. ex parte vna, & Priorem, ac Fratres Hospitalis de Pariete Assimat. diœcesis ex altera vertitur, Ven. f. n. Alban. Episcopum eorum procuratoribus in nostra præsentia constitutis dedimus auditorem, procurator Episcopi obedientiam & reuerentiam ab eisdem Priore, ac fratribus, & omnia iura Episcopalia tam spiritualia, quàm temporalia in eodem Hospitali, ac ipsius Ecclesia exigebat. Procurator verò eorumdem Prioris & fratrum excipiendo proponebat contrà, quod cum idem Episcopus pro eo quòd in Ægidium presbyterum, & fratrem eorum conuersum violentas manus triennio iam elapso iniecerat, excommunicationis vinculo teneretur, conueniri non poterat nec debebat ab ipso, qui per se, vel procuratorem personam standi in iudicio non habebat; adiiciens quòd idem Hospitale quadam vini quantitate fuerat per eumdem Episcopū spoliatum, & ideò ad respondendum illi, nisi Hospitali prius restituto se proposuit non teneri. Memoratus autem auditor ne diu prorogaretur negotium in partium detrimentum, litem fecit coram se legitimè contestari: ità videlicet, quòd si infra mensem post susceptionem præsentium de prædicti Episcopi excommunicatione constiterit, pro nullo litis contestatio habeatur. Quocirca dis. v. mandamus quatenus receptis & examinatis testibus, quos procurator Hospitalis super excommunicatione ipsius Episcopi duxerit producendos, si vobis infra dictum tempus constiterit ipsum Episcopum excommunicatione ligatum, litis contestationem nullam esse penitus nuntietis; alioquin super principali negotio ad receptionem testium procedentes eorum dicta sub vestris inclusa sigillis nobis fideliter remittatis, ante restitu- (Non ponitur)

tionem tamen vini, si de spoliatione constiterit, ad ipsorum receptionem testium nullatenus processuri, ad quam si fuerit procedendum super reconuentione si quam pars Hospitalis duxerit faciendam, cum dictus procurator eam coram Auditore ipso fuerit protestatus, faciatis litis contestationem fieri priusquàm ad receptionem testium procedatur.

a PRIORI S. MARIAE DE SPELLO.] Castrum est Catoni, Straboni, Antonino, & Silio Hyspellum, Plinio Hispellium: hodiè *Spello*, sub dominio est Perusinorum in Vmbria, vulgò *Ducato di Spoleto*, distat quarto lapide à Fuligno, & quinto ab Assisio.
b EPISCOPVM ASSIMATENSEM.] Dubium est an Episcopatus iste sit Assisium, patria D. Francisci, distans à Spello quinto tantùm lapide, quo casu corrupta esset Epigraphe, & reponendum Assisiens. an Auximum, *Osmo* in Marca Anconitana. Ambo sunt in Prouincia Romana.
c ALBANENSEM EPISCOPVM.] Pelagium Hispanum creatum ab Innocentio III. anno 1206. qui mortuus est sub Gregorio IX. De eius dissensione Christianis calamitosa cum Ioanne Rege Hierosolym. dum esset legatus Honorij III. in Orientem, vide Ciaconium: & de nimia fiducia sui, dum veteres quasdã Prophetias de liberatione terræ sanctæ ab Hispanis facienda de se interpretando, res Christianorum pessum dedit, vide Iacobum Bosium *lib.* 8. *histor. Hierosol. part.* 1.
d EXCOMMVNICATIONIS VINCVLO.] Episcopi excommunicationi subjiciuntur tam de iure quàm de facto, latæ sententiæ, vel à lege, vel à canone, *cap. contingit.* & *cap. relatum. de sent. excommunic.* Aliàs excommunicari non possunt, nisi causâ legitimè examinatâ à duodecim iudicibus ex decreto Zephyrini; quod est intelligendum de excommunicatione solenni, *Can.* 2. 5. *q.* 3. sed nec hodiè Episcopi incurrunt ipso facto sententiam interdicti vel suspẽsionis, nisi nominatim & expresse de ijs fiat mentio, vt statuit Innocent. IV. in *Concilio Lugdunensi*, *cap. quia. de sent. excommunicat. in* 6. Vide quæ pleniùs infra ad *cap.* 3. *de sent. excommunic.* dicturi sumus.



TITVLVS IV.

De Dilationibus.

a *Episcopo Ferentinati.*

CAPVT I.



Itteræ tuæ ac petitio dilecti fil. b Archipresbyteri sanctorum Priscæ & Aquilæ denuò nobis exhibitæ continebant, quòd cùm causam quæ inter ipsum Archipresbyterum ex vna parte, & Nobiles viros Andræam c Alatrin. & G. ac fratres, & filios eorum ex altera, super quibusdam possessionibus & rebus alijs vertitur tibi duximus committẽdam; idem Archipresbyter libellum Ecclesiæ suæ nomine obtulit continentem, quòd pensio pro dictis possessionibus soluta non fuerat ipsi Ecclesiæ elapsis iam tribus annis, & vltra: nobilibus verò ipsis pe-

tentibus, vt explicaret ipsis spatium, quod per hanc adiectionem, & vltrà, significari volebat, & ipso Archipresbytero exprimente, quòd septem annis fuerat in dictæ pẽsionis solutione cessatum, & ijdem Nobiles dicentes libellum Ecclesiæ huiusmodi expressione mutatum, longiores ad deliberandum inducias petierunt, quas quia denegasti eisdem nostram audientiam appellarunt. Nos ergo appellationem huiusmodi friuolam reputantes f. t. mandamus, quatenus eâ nequaquam obstante in negotio ipso præuiâ ratione procedas, iuxta priorum continentiam litterarum.

[a] EPISCOPO FERENTINO.] Ciuitas hæc olim Hernicorum in Latio, Ferentium, *citta di Ferentino*, est sub ditione Pontificia.
[b] ARCHIPRESBYTERI SS. PRISCAE ET AQVILAE.] Malè in MSS. *Archipresbyteri*. rectè apud Gregor. *Presbyteri*. Solus omnium Presbyterorũ Cardinaliũ senior, siue antiquior appellatur S. Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter Cardinalis, ex Onuphrio *in libello de Episcopatibus*: Nisi fortè tempore Honorij nostri Presbyter SS. Priscæ & Aquilæ antiquior esset inter Cardinales. Titulus S. Priscæ in monte Auẽtino, aliàs SS. Aquilæ & Priscæ, nonus est numero inter antiquos Vrbis titulos, apud Anastasium Bibliothecarium, & subest cum alijs quinque Presbyteris Cardinalibus Basilicæ Patriarchali S. Pauli, ex veteri Prouinciali Romano.
[c] ANDREAM ALATRINVM.] Alatrium est quoque ciuitas Hernicorum in Latio in Prouincia Romana, hodiè *Alatro*, Liuius *lib. 9. Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, & Ferentinati, quia maluerunt quàm ciuitatem, suæ leges redditæ.*

Abbati S. Augustini, Cantuariensis.

CAPVT II.

CVM olim inter te tunc electum, & dilectum filium, & magistrum R. nuntium ven. f. n. Cantuariensis Archiepiscopi, coram fel. mem. Innocentio Papa prædecessore nostro quæstio verteretur, te firmiter asserente quòd ab eodem Archiepiscopo sinè professionis exactione benedici debeas, sicut per sententiam bonæ memoriæ Alexandri Papæ fuerat definitum; & prædicto Magistro è contrario affirmante, quòd ipsa sententia per eundem fuerat reuocata, sicut quarumdam litterarum præscriptione ostendere nitebatur: idem prædecessor noster ita vtrique parti prouidit, videlicet, quòd tibi munus benedictionis impẽderet absque iuris præiudicio Archiepiscopi memorati, assignans vtrique terminum in Concilio tunc proximè futuro, in quo si posset sufficienter ostendere, quòd professionem sibi facere deberes, eam à te sibi faceret exhiberi, alioquin ab impetitione te absolueret ipsius. Cùm autem præfati procuratores tui reconuenirent Archiepiscopum memoratum, super eo videlicet, quòd Officiales ipsius te, ac conuentum tuum impediunt, quominùs possitis congregare synodum, celebrare Capitulum, & iurisdictionem specialem in

subditis monasterijs exercere; beneficium nihilominùs integrum restitutionis postulantes, super eo quòd cuiusdam prætextu personalis compositionis inter B. & H. & R. tuos prædecessores amicabiliter interuenit, te indebitè inquietat. Vnde prædictum terminum præfigi Archiepiscopo petebat: licèt eo aduocante ius reuocandi domum nullum super præmissis reconuentionibus terminum ei duxerit præfigendum. Nuper autem R. monachus, & Magister Eust. procuratores in nostra præsentia constituti petierunt instanter, vt in negotio procedentes causam inter præfatum Archiepiscopum, & te audiremus, vel perpetuum silentium imponeremus eidem. Archiepiscopo respondẽte, quòd licèt induciæ ad deliberandum cum conuentu suo, vtrùm deberet agere, vel non, sibi fuissent indultæ: quia tamen ad propria nondum reuersus fuerat, & Ecclesia sua, & regnum esset turbatum, cum suo conuentu deliberare non potuit; quare petebat vlteriores inducias sibi exhiberi. Procuratores prædicti responderunt è contrà, quòd Archiepiscopus etsi non personaliter, tamen per nuntios & litteras deliberare potuit super hoc cum conuentu, vnde non erant ei vlteriores induciæ indulgendæ, ne prorogando iudicium videremur iustitiæ derogare. Nos igitur attendentes quòd æquius est, parti ad deliberandũ largiorem terminum indulgere, quàm litem breuiandi prætextu procedere minùs clarè, adhuc ei terminum duximus indulgendum.

Desunt fortè nonnulla.

HOC caput in vno trium Codicum Manuscriptorum qui penès me sunt adscriptum est, & abest ab alijs duobus.

a ABBATI S. AVGVSTINI.] Vocatur hoc Monasterium S. Augustini, non quòd fuerit eius ordinis, sed quòd institutum fuerit ab Augustino in Angliã misso à S. Gregorio, in Palatio Regio, quod Ethelbertus Rex ob baptismum & fidem ab eodem Augustino in Capella S. Martini susceptam, & toti regno diffusam donauit. Quæ quidem Capella anteà tantùm Bertæ reginæ quæ Christiana erat seruiebat: anno enim 596. missus est à Gregorio in Angliam, vt ex pluribus ipsius Epistolis constat, & ex Beda *lib. 1. cap. 23. & lib. 5. cap. 24.* ex liberalitate enim regis in Doroneruensi, id est Cantuaria ciuitate Ecclesiam, quam primùm S. Pancratio exstruxerat, in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli dicauit, vt sepultura esset tum Regum Cantij, tum etiam Archiepiscoporum, ex Guill. Cãdeno in *Britannia sua*, & rex monachos in ea institui procurauit, ac posteà multis bonis ditauit anno 605. vt ex Diplomatibus donationum constat, & ex Guil. Malmesburiensi *lib. de gestis Pontif. Anglor.*

b SINE PROFESSIONIS EXACTIONE.] Lis inter Archiepiscopum Cantuariensem, & Abbatem S. Augustini in eo erat, quòd Archiepiscopus fidei professionem in manibus suis faciendam assereret, antequàm Abbati benedictionem impẽderet: Abbas contrà se solùm ab Archiepiscopo benedici debere sinè vlla alia præstatione contendebat; & hoc ius vetustissimum in sui scilicet Monasterij fundatione à S. Augustino Angliæ Apostolo varijs titulis & priuilegijs à sede Apostolica confirmatis accepisse probatur, ex veteri Diplomate fundationis circa annum 603. quod refertur in *Tomo 1. Conciliorum Angliæ* à Ioanne Spelmãno edito. *Abbatem*, inquit, *à suis fratribus electum, non ad [illegible] famulatum ordinet Archiepiscopus, nec verò sibi subiectum, sed fratrem & consortem, sed Collegam reputet.* Et hoc priuilegium confirmauit Alexander II. Abbati Egelsino anno 1063. Locus est insignis apud Matthæum Paris in Henrico 2. *Clarembaldus sancti Augustini electus, benedictionem à Thoma Cantuariensi Archiepiscopo*

Archiepiscopo accipere quærebat, sed in sua Ecclesia, & sine processione, vt suspicio subiectionis in posterum prorsus abiecta esset anno 1163. Tanta enim erat huius Abbatis dignitas, vt ex Ethelberti regis priuilegio concessa ei fuerit officina monetaria, cum iure pecuniam signandi, vt ex *Annalib. S. Augustini* refert Guill. Camdenus in *Britannia sua*.

c CONGREGARE SYNODVM, ETC.] Hæc & similia non pertinuisse ad dictum Archiepiscopum probant sequentia verba ex prædicto Diplomate. *Non ibi Missas, quasi ad suæ ditionis altare, nec ordinationes, vel benedictiones vsurpatiuè sinè Abbatis, vel fratrum petitione, exerceat, nullum sibi ius consuetudinarium vel in vilissima re exigat*, ait Bulla eiusdem D. Augustini. Et hæc probantur ex integra Decretali, quæ extat MSS. 1. anno Pontificatus. *Iidem officiales ipsius, te ac Conuentum tuum impediunt quominus possis congregare synodum, celebrare Capitulum, & iurisdictionem spirituale in subditis Monasterijs exercere, beneficium restitutionis in integrum postulantes &c.*

d LARGIOREM.] induciæ ampliores ex æquitate dantur, vt in *cap. 1. eod. extra*; & ita ex arbitrio pendent, quamuis olim tribus edictis, & vno peremptorio concluderentur. Alias viginti dierum fuerunt, *Nouella* Iustin. 53. alias 50. *Nouella* 112.

Archiepiscopo Tol.

CAPVT III.



E, ac Ioanne Bracar. clerico procuratore ven. f. n. S. Archiepiscopi Bracar. in nostra præsentia constitutis, idem procurator terminum tibi & præfato Archiepiscopo, eiúsque Capitulo, in causa quæ super primatia inter te ac eosdem vertitur, à fel. memoriæ I. Papa prædecessore nostro peremptoriè assignatum, & postmodùm approbatum à nobis proximum festum omnium Sanctorum, petijt prorogari, & dari sibi ad producendos testes inducias largiores, pro eo quòd I. Siguntinus, Canonicus Toletanus quem procuratorem ad eorum præsentiam quibus commissa fuit receptio testium destinasti, iudicatus fuit insufficiens ab eisdem. Nos ergo attendentes quòd ipsi receptores testium in suis litteris testabantur expressè, quòd idem procurator eis in itinere tanquam procurator necessaria ministrauit & productioni testium multorum interfuit, ac etiam præstare voluit fideiussoriam cautionem, rem ratam omnibus modis habiturum: ipse verò Archiepiscopus id acceptare non curans recusauit plures testes producere ab ipsis receptoribus requisitus; eiusdem procuratoris petitionem de f. n. consilio non duximus admittendam, tibi præsentes litteras in huius rei testimonium concedentes, ne occasione huiusmodi alicui posses in posterum dispendio subiacere. Non ponitur.

LIcèt iam anteà de hac quæstione tractatum fuerit, in *cap. fin. de in integr. restit.* adiiciendum & hoc putaui; contentionem inter Toletanum & Bracarensem Archiepiscopos de Primatu in gratiam Toletani decisam fuisse constat ex Concilio Toletano 12. *Can.* 6. anno 681. quod est antiquius monumentū; *Licitum maneat Toletano Pontifici in quibuslibet prouincijs præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores.* Quod ius sinè dubio ad Primates tantùm pertinebat. Ioan. quidem Garsias altiùs Primatum repetit, nempe ante Constantinum. Vt vt sit, certum est Bracarensem prouinciam nomen & dignitatem

auxisse factâ diuisione prouinciarum, in Carthaginensem, quæ est Toletana, Bæticam, Lusitaniam, Tarraconensem, & Gallœciam, quæ est Bracarensis sub imperio Sueuorum, & Constantini M. vt perperam quidam putãt, seu potiùs Gothorum; quæ quidem habuit Metropolitas, & amissum Primatum posteà à Paschali II. Calixto II. Eugenio III. Hadriano IV. & Alexandro III. recuperauit, vt Mariana, & alij Historici narrant: & licèt ex eo tẽpore Bracarensis Primatum sibi vindicare voluerit sub nomine Metropolis; inuenio tamẽ diuersis temporibus Toletano Primatum fuisse delatum, vt ab Vrbano II. apud Platinã anno 1088. cuius rescriptum refert Garsias *Tomo 2. Conciliorum.* & quia his non obstãtibus lis peruenit ad Innocentij III. tempus, *Epist. 5. lib. 13.* in qua Primatem Hispaniarum confirmat, atque etiam Honorij nostri, vt patet ex *hoc cap.* & *dicto cap. fin. de in integ. restit.* iterùm decisa fuit in gratiam sedis Toletanæ à Martino V. vt testatur Mariana *lib. 6. & 20.* qui Ioannem Contrerium Archiepiscopum Toletanum altiùs euexisse Primatis titulum refert, non quidem vt primus hoc nomen sibi arrogarit, quod tamen sentit Episcopus Apamiensis *ad annum 1423. nu. 4.*




TITVLVS V.

De ordine cognitionis.

[a] *Lodoico Illustri Regi Francorum.*

CAPVT I.



TVAM non credimus latêre prudentiam, [b] causam natalium charissimæ in Christo filiæ N. illustris Reginæ Cypri ad examen nostrum, vtpotè quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet iamdudum esse delatam: vnde claræ memoriæ Philippum Regem Franciæ patrem tuum litteris nostris curauimus præmonere, vt si forsan Regina ipsa super successione Comitatus Campaniæ quæstionem proponeret coram eo, non audiret eamdem, quousque terminata esset prædicta causa natalium, ex qua illa noscitur dependere. Licèt ergo, sicut eidem patri tuo scripsimus, velimus Reginam ipsam in suis iustis petitionibus exaudiri, quia tamen antequàm natalium causa terminata esset, dependentem ex illa successionis causam incipere, nihil aliud esset, quàm diuersis processibus intricare negotium, & confusione quadam ordinem iudicij perturbare: tuam quoque Serenitatêm præmonendam duximus & rogamus, quòd si fortè ab ipsa Regina, vel nuntio eius, seu quolibet alio super hoc fueris requisitus, eorum precibus aures regias, donec iã dicta causa natalium Apostolico iudicio finem acceperit, non inclines.

[a] LODOICO.] Octauo, filio Philippi Augusti. De historia huius capitis varij varia: nos paucis e amperstringe mus. Isabella filia Amalrici regis Hierosolymitani nupsit primò Hermenfredo, vel Henfredo (secundùm Guillelmum Tyrium) Torono: secundò Conrado Marchioni Montisferrati. Raptam eam fuisse volunt à Conrado plerique autores alij,

vt Bosius in *historia Melitensi lib.* 2. astu matris ambitiosæ ab Henfredo separatam sub prætextu vel consanguinitatis, vel frigiditatis. Tertiò nupsit Henrico Comiti Trecensi, ex quo habuit Adelam & Philippam; Adela vxor fuit Hugonis Regis Cypri 3. de qua *in hoc cap.* Philippa Ayrardi de Brienna. Post mortem Henrici, Thecbaldo nepoti ipsius ex fratre adiudicatus fuit Comitatus Campaniæ sententia Parium Franciæ anno 1216. sub Philippo Augusto, relata a P. Pithœo contra Philippam & Ayrardum Postea contra dictam Adelam ius suum persequi volentem super dicto Comitatu exceptum fuit de illegitimatione ipsius, sed videtur hanc exceptionem subdolè propositam fuisse; illegitimatio enim ista ex vno istorum capitum veniebat, aut ex adulterinis, aut ex incestis nuptijs Hẽrici patris, & Isabellæ matris Adelæ. Non poterant esse adulterinæ, testatur enim P. Stephan. Lusinianus in *historia Cypri*, Isabellam dum contraxit cum Henrico viduam fuisse, & Henfredi & Conradi: imò & hoc speciale addit in *Tractatu rerum super regno Hierosolym. cap.* 5. & 10. homicidas Conradi summissos ab Henfredo ob raptum vxoris suæ arma sua vertisse contra Henfredum qui eis non satisfecerat. Nullum autorem inueni (nec diligentissimum Tilletum exactissimum Genealogiarum Francicarum inuestigatorem) nec Sammarthanum, qui verbum vllum faciat de consanguinitate aut affinitate Henrici & Isabellæ; imò veri similius est nullum vinculum inter eos intercessisse; propositum enim fuisset in sententia Parium contra Philippam, & sanctus Ludouicus Rex sapientissimus & iustissimus in transactione autoritate sua facta anno 1228. inter Theobaldum & Adelam super Comitatu Campaniæ, dictum defectũ natalium Adelæ obiecisset, & portionem æqualem vel superiorem dicto Comitatui (qui penès Theobaldum remansit) Adelæ non adiudicasset, vt videre est apud Guillelmum de Nangis in *vita D. Ludouici.* Vera ergo causa cur Adela summota fuerit ab inuestitura dicti Comitatus adducitur à Claud. Menardo in *historic. obseruation. super Ioinuillæum*; nempe quia apparuit Henricum dum esset in procinctu transfretandi in terram sanctam, totam terram suam dimisisse, & dedisse fratri suo Theobaldo quondam Comiti Trecensi, si ipsum Comitem Henricum de transmarinis partibus contingeret non redire, vt est in Diplomate sigillato sigillo Ludouici Principis (qui postea fuit Ludouicus octauus Rex) dato Compendij mense Martio, anno 1214. Sed ne quid dissimulem magna difficultas hic emergit: Innocentius enim III. *Epist.* 72. *lib.* 2. *ad Compostellanum Archiepiscopum & Episcopos regni Legionensis*, quâ illis iniungit, vt facerent obseruari interdictum cui regnum Legionense suppositum erat ob incestuosam copulam regis Legionensis cum filia regis Castellæ nepte sua, ponit eis ante oculos mortem impræuisam Conradi Marchionis & Henrici Comitis Campaniæ ob incestum cũ Regina Hierosolymitana, quorum vnus gladio, alter præcipitio perijt; nisi sequamur mentem eruditi Autoris Neapolitani qui ait, in responsis Pontificũ ea quæ ad fidei dogmata pertinent reijci nisi læsa pietate non posse; at si qua obiter inserant, quæ rem quandam gestam contineant, iis, cum sint huiusmodi, vt humanâ, hoc est lapsui pronâ fide nitantur, licet, seruata tamen modestiâ, dissentire: & hoc est quod docent grauiter Doctores, assertioni Romani Pontificis tunc standum esse, cùm quidpiam a se gestum narrat, eique narrationi maximè innititur: quod non habet locum in *hac Epist.* imò Innocentius videtur clarè innuere Henricum leuiter peccasse, dũ ait, *eum in culpa dicto Conrado quodammodo successisse.*

b Cavsam Natalivm.] Est spiritalis causa natalium, quia agitur de matrimonio, ex quo status eius qui ex matrimonio se procreatum asserit in controuersiam vocatur, & ideò coram iudice Ecclesiastico disceptanda, *cap. lator. cap. causam, qui filij sint legitimi.* Iure olim ciuili apud Præsidem prouinciæ *l.* 1. *&* 6. *C. de ord. cognit.* in Vrbe, Consulum cognitio erat *l. diui. ff. de liber. causa.* vel etiam Prætorum, *l.* 4. *si libertus ingenuus esse dicat.* quod tamen Cuiacius negauit quantùm ad Præsides, cùm iure Prætorio mitterentur in prouincias, cui assentiuntur alij Doctores, qui omne fundamentum desumunt ex *l.* 1. *C. de ordin. iudicior.* quæ parum, aut nihil pro eis facit: ait enim ad Præsides non pertinere causam status, quæ incidenter post hereditatis quæstionem coram iudice ordinario motam accedit, qui alias non fuisset legitimus iudex. At verò iure Canonico nullo pacto incidens quæstio status sequitur principalem ciuilem, quia nunquam causa spiritalis potest à ciuili pendere, vt rectè aduertit Glossa ad *dictum caput, lator.*

Decano, Cantori, & Custodi [a] *sancti Seuerini Colon.*

CAPVT II.

Non ponitur



Ignificauit nobis O. pauper Sacerdos, quòd L. presbyter de [b] Nouo Ponte, Colon. diœces. cùm super Ecclesia de [c] Hisbiche coram Præposito sancti Ludgeri Monasterien. & coniudicibus suis autoritate Apostolicâ conuenisset, idem coniudices habens eosdem certâ & expressâ coram eis ratione suspectos, arbitros petijt, coram quibus de suspicionis causa doceret: sed dum excommunicationem in modum exceptionis sibi objiceret pars aduersa, memorati iudices priùs se debere de ipsius excommunicationis exceptione cognoscere, quàm concedere arbitros per interlocutoriam decreuerunt, à qua ipse ad sedem Apostolicam appellauit. Ideóque disc. v. mandamus quatenus si est ita, reuocetis in statum debitum, quidquid post appellationem huiusmodi inueneritis temerè attentatum.

a S. SEVERINI.] Ecclesia Collegiata fundata in honorem S. Seuerini Burdegalensis electi, primi Episcopi Coloniensis anno 397. cuius corpus quiescit Burdegalæ.

b NOVO PONTE.] Nouus Pons, vel, Nouus portus, vrbs diœcesis Coloniensis, vulgò *Nieuport*, vel, *Nieupont*.

c HISBICHE.] Forsan *Hisbak*, vel, *Hisbuk*, in agro Coloniensi, citra Rhenum.

d S. LIGERI.] Legendum *Ludgeri*. est Ecclesia Collegiata in ciuitate Monasteriensi, vulgò *Munster*, Vuestphaliæ, Germaniæ prouinciæ, fundata ab Hermanno II. Comite de Catzenelbogen Episcopo Monasteriensi, sub inuocatione S. Ludgeri primi Episcopi.



TITVLVS VI.

De causa possessionis, & proprietatis.

a *Abbati sancti Cypriani Torcell. diœc. &* [b] *sanctæ Mariæ Nouæ de Venetijs, & sanctæ Mariæ Ananr. Pap. Prioribus.*

CAPVT I.



N causa quæ inter Ven. f. n. [c] Patriarcham Graden. & [d] Episcopum Castellan. ex parte vna, & Abbatem & Conuentum [e] monasterij sancti Georgij de Venetijs, super subiectione ipsius monasterij ex altera, vertebatur; inuenimus pro Patriarcha probatum, quòd recipiebatur in ipso monasterio [f] pro-

cessionaliter [g] cum incenso [h] aqua benedicta [i] & icona, & quando reuertebatur à gradu [k] pulsabantur ibi campanæ, sicut in alijs Ecclesijs ciuitatis: & quòd dictus Abbas iuit quandoque ad synodum Patriarchæ, [l] quinquaginta solidorum Venetorũ numerum ei per plures annos exsoluens. Probatum verò pro Episcopo inuenimus, quòd eiusdem monasterij confirmauit Abbates, cui reuerentiam & obedientiam impendebant. Abbates etiam eiusdem monasterij ad synodos veniebant Episcopi, & idem ad exsequias inuitatus recipiebatur processionaliter cum solennitate prædicta, ac similiter inuitatus in festo Beati Georgij procurationem recipiebat, ibidémque eum in [m] barca sua in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis conducebant. Cùm autem primò in his possessorio egerint Patriarcha & Episcopus memorati, nos eos ad possessionem, vel quasi restituimus prædictorum. Verùm quia hinc inde petitorio nihilominùs actum fuit, & vtraque pars totum ius suum videtur in iudicium deduxisse. Nos visis prædecessorum nostrorum priuilegijs, monasterium ipsum de f. n. consilio liberum esse decernimus, & immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinere, illud in præmissis, & alijs quæ iurisdictionem & subiectionem respiciunt ab impetitione dictorum Patriarchæ ac Episcopi absoluentes, non obstante possessione circa prædictâ probatâ, cùm non docuerint se tanto tempore talia percepisse, quòd per hoc fuerit libertatis priuilegijs derogatum: reseruamus tamen Episcopo supradicto quæ sibi circa chrisma, oleum sacrum, ordinationes clericorum, & quædam alia in eisdem priuilegijs specialiter reseruantur: ad hæc cùm de præmissis quinquaginta solidis ad subiectionis indicium à Patriarcha sit actum, per sententiam huiusmodi ei non adimimus, si alio iure de ipsis experiri voluerit, potestatem.

[a] ABBATIS S. CYPRIANI TORCELLENSIS DIOECESIS.] Torcellum insula Venetijs haud procul distans, quò translata fuit sedes Episcopalis ab Altino antiqua vrbe ab Hunnis euersa.

[b] S. MARIAE NOVAE.] Sita est hæc Ecclesia in tertia regione Venetiarum, vocata *di Cantrejo.*

[c] PATRIARCHAM GRADENSEM.] Angelum Barozzium, qui sedit ab anno 1211. vsque ad annum 1230. Paulinus Patriarcha Aquileiensis anno 568. metu Alboini Longobardorum Regis, Aquileiam reliquit, atque thesauro Ecclesiæ arrepto in insulam Gradi maris Adriatici se recepit in *Chronico Veneto.* Ideò Leo IX. Antistitem Gradensem nouæ Aquileiæ Patriarcham vocat *Epist.* 11. Onuphrius in *Chronico Ecclesiastico* scribit Patriarchatum Aquileiensem decreto synodi Gradensis anno 580. Gradam translatum, & primum Gradensem Patriarcham anno 611. memorat Cãdidianum, contra Chronicon Venetũ, quod ante Candidianum ponit tres Patriarchas Gradenses, Eliam nempe Græcum, Seuerum, & Marcianum da Pirano, & refert Eliam Græcum ex Episcopo Gradensi creatum Patriarcham decreto Concilij Gradensis anno 582. conuocati autoritate Pelagij II. & ciuitatem factam Metropolim Venetiæ, & Istriæ; quod confirmatum fuit anno 967. in Conuentu Romæ habito sub Ioanne XIII. & Othone magno, & demum à Leone IX. in Lateranensi Conuentu anno 1049. Tandem

1451. post mortem Dominici Michaelis vltimi Patriarchæ Gradensis, B. Laurentio Iustiniano Episcopo Castellano assumente titulum Patriarchæ Gradensis, Patriarchatus translatus fuit Venetias per Nicolaum V.

d EPISCOPVM CASTELLANVM.] Id est Episcopum Venetum. Vna ex sex regionibus Venetiarum antiquitus vocabatur Castrum Oliuoli, & iam vnico vocabulo, *Castello*, in quam translata fuit Ecclesia Cathedralis Venetiarum anno 774. autoritate Hadriani Papæ, ideò Præsul Venetiarum dictus fuit Episcopus Oliuolensis vsque ad annum 1091. in quo Henricus Contarenus XXIII. Episcopus titulum assumpsit Episcopi Castellani.

e MONASTERII S. GEORGII.] Tribunus Memus XXIV. Dux Venetiarum anno 982. dedit insulam S. Georgij Maioris (quingentis passibus circiter ab vrbe è regione D. Marci positam) Abbati Ioanni Morosino, qui ibi posuit monachos S. Benedicti: *Chronicon Venetum*. Monasterium est hodiè sumptuosissimum.

f PROCESSIONALITER.] Hæc vox propriè honorem non subiectionem denotat; ingerit tamen subiectionis suspicionem, vt iam annotaui ad *cap. cùm olim. sup. de dilation.* Vulgò hic honor præstari solet Episcopis, vt in *Epist.* 12. *lib.* 4. registri Innocentij III. de Veglensi Episcopo, atque etiam Regibus, vt doctè annotauit V. C. Bosquetus, & eruditissimus vir Alteserra, *lib.* 1. *cap.* 17. *De Ducib. & Comitib.* In translatione reliquiarum hic Processionis ordo etiam seruabatur vt in receptione corporis S. Medardi à Gauderico Suessionensi Episcopo refert Fortunatus in *eius vita*, *cap.* 18. *Cum thymiamatherijs, cum crucibus processit, & ceroferalibus* De his vide *Epist.* 281. Innocentij III. *lib.* 1. *registri.* Idem refert Rubeus de Abbate & Monachis S. Benedicti diui Apollinaris in Classe erga Episcopum Rauennatem.

g CVM INCENSO.] Incensum, seu suffitus non propriè honoris & reuerentiæ est argumentum, sed potiùs emundationis & sanctificationis titulus, vt S. Seuerus Alexandrinus in ordine oblationis scribit. Ideóque in veteri Rituali Romano Diaconus in Ecclesia thurificat Pontificem, tum deinde Acolythus ceteros ex clero, & reliquum populum apud Philotheum Patriarchã in *ordine ministrandi in ordine primo* καὶ τὸν λαὸν σὺν πάντι λαῷ. & *in Missa Apostolica*, καὶ θυμιᾷ τὸν λαὸν εἶτα ἐκφώνως ὁ διάκονος. Datur enim suffitus ad incitandum populum ad orationem, D. Hieronym. in *Psalm.* 140. tum ad effugandos Dæmones, vt ex *Ordine Romano* constat. Idem quoque in baptismo, benedictionibus, & exsequijs mortuorum, vt latè tractaui in *Obseruationib.*

h AQVA BENEDICTA.] In receptione Episcoporum & Abbatum semper adhibita aqua benedicta propter sanctificationem: cuius aspersio fieri etiam solita tam super populum, quàm super templum, vt patet ex *Euchologio.* Agros etiam, & vineas, pecora, & pabula eorum, necnon & cibos suos, & potum olim aspergebant Christiani, vt docet *cap.* 5. *Capitularium Hincmari.* Gregor. Turon. *lib.* 1. *miracul. cap.* 20. & *de gloria Confessorum cap.* 26. Qui ritus primitùs descendit ex Apostolorum cõstitutionibus, vt patet ex *cap.* 29. *Constitut. Apostolic.* & Alexandri III. apud Anastasium, & in *Can. aquam. de consecr. dist.* 3. vbi hæc aqua vocatur sanctificationis, aspersionis, & expiationis, in vita S. Genulfi, *cap.* 16. *Ad purificationem illius ædis aquam præparant expiationis.*

i ET ICONA.] Diu cogitaui quid intelligatur per iconium, vel iconam, vt alibi scriptum est. Iconium pro quacumque effigie, vel imagine sumitur, vt apud Sueton. *in Caligula*, genus monetæ dicitur imaginem principis referens, inde, *Coing.* sed hic putem pro vexillo poni, vt in Glossis εἰκών, siue, εἴκασμα, simulacrum, εἰκονοστάσιον apud Codinum, id est tabulatum, ex quo dependent imagines: apud Iulium Pollucem εἰκάσματα θεῶν μιμῆτα τυπώματα id est *monumenta deorum, & imitatrices figuræ.* In vexillis posita erant huiusmodi simulacra, dicta τὰ σίγνα, καὶ τὰ βάνδα, in *Donatione Constantini*, & apud Simocattam *lib.* 3. *cap.* 4. & Anastasiũ in *Hadriano*, inde *Banniere*; Labarũ, φλαμούλον Cedreno & Codino, quod præferri solitum in expeditionibus bellicis & militaribus coram regibus & Imperatoribus, vt de Labaro Constantini refert Eusebius; in publicis etiam conuentibus & Processionibus Ecclesiarum ferebatur: in eo Crux depicta erat, vnde dicitur à Suida σταυρίον, & apud Curopalatem *Cap.* 6. σταυρὸς ἔχων εἰκόνας τῶν ἁγίων μεγάλων μαρτύρων. Fortunatus presbyter de *vita S. Medardi*, *cap.* 19. *Ob depositionis illius testimonium in loco in quo ad momentum quieuit, saxea columna in titulum erecta est, quæ inserto nomine sacerdotis desuper etiam tulit affixum vexillum sanctæ crucis.* Prudentius aduersus Symmachũ.

Hinc signat Cherubin, hinc Labara sancta triumphum
Brachia tensa notant.

Hinc dicti *Bandophori*, &, *Flammulares*, & *Banderesij* qui talia signa præferunt. Tanti faciebant illa vexilla, vt Honorius noster anno X. sui Pontificatus scripserit Duci Venetorum

se illum excommunicaturum, nisi iconem Episcopo Bethlehemi restitueret.

k Pulsabantur Campanae.] In receptione Episcoporum & Abbatum pulsantur campanæ : vnde in *Epist. 297. lib. 1. reg.* Innocent. III. ait ruptos fuisse funes campanarū, ne Abbas Flauinensis ad Ecclesiam duceretur, & in sede collocaretur, *ne possent ad Ecclesiam ducere, fores Ecclesiæ clausæ sunt, ruptis funibus campanarum.* Nam & inuestitura fiebat per funem campanæ, vt postea dicitur; *Episcopus in sede Abbatis illum constituens, per funem campanæ, sicut moris est, inuestiuit.*

l L. Solidorum Venetorum.] Variant MSS. duo habent L. solidorum Venetorum; vnus verò Codex habet V. solidos Venetos : quicquid sit, solidi illi argentei erant ; sub Ioanne enim Dandulo Duce 48. anno 1280. primum nummus aureus Venetijs cudi cœptus. *Iustinianus in histor. Venetor. lib. 3.*

m In Barca.] Idem quod scapha, Glossis τὸ σκάφος, τὸ λέμβος, ἀκάτιον. Harmenopulo Βάλκα, & κουντελάς, (nobis, *Gondole*, & Italis *Gondola*) *lib. 2. cap. 11.* Καραβὰν vocat Cedrinus vulgò *Carabele*, nauis leuandæ causa in *l. 4. ff. ad leg. Rhod.* & Isidorus *lib. Orig. 19. cap. 1.* alias dicitur Colandium, *Chalant*, ἤχεις πανταυίας apud Nicetam & Cedrinum notat Cuiac. ad *l. 3. de rei vindicat.*



TITVLVS VII.

De restitutione spoliatorum.

a *Burgensi Archiepiscopo.*

Capvt I.



EX parte ven. f. n. Tolet. Archiepiscopi, & quorumdam suffraganeorum suorum nostris est auribus intimatum, quòd charissimus in Christo filius noster illustris b Rex Castellæ, dilectum filium magistrum B. c Segobien. electum post electionem & confirmationem ipsius, dicendo pro voluntate sua, quòd d cum eius assensu eligi debuisset, Episcopatu Segobien. exire coëgit, & bona Episcopatus eiusdem sicut voluit, & valuit, occupauit. Quia verò quantumcumque Regem ipsum affectuosiùs diligamus, talia sustinere non possumus, nec debemus: volentes super hoc ex officio nostro procedere, disc. v. m. quatenus cùm non possit, nec debeat in iudicio contendere spoliatus; super prædicti electi eiectione & inuasione rerum Episcopatus ipsius à quocumque factis veritatem solicitè inquiratis, de quibus si vobis constiterit, dictum electum spoliatum, auctoritate nostrâ plenariè restituere ac restitutum defendere procuretis: pendente tamen restitutionis articulo, vos, omnes prouentus tam percipiendos de cetero, quàm huc vsque perceptos integrè colligatis, & electo assignetis eidem.

Non ponitur

a BVrdegalensi Episcopo.] Legendum Burgensi, *Burgos* in Castella, cuius tunc Mauricius ex Anglia oriūdus Episcopus erat.

b Rex Castellae.] Ferdinandus III. qui postea dictus fuit sanctus.

c Segobiensem electum.] Fortè huic Episcopo

infensus erat Ferdinandus, eò quòd Segobienses primò ab illo studijs auersi fuere, præoccupati artibus Aluari Comitis qui non fauebat Regi. Mariana *lib. 12. cap. 7.*

[d] Cvm eivs assensv.] Electionem absque suo consensu Episcopi Segobiensis irritam prætendebat rex Castellæ. Quod ius desumptum est ex imperio Gothorum, qui sibi hanc facultatem arrogarunt, vt constat ex Concilio Toletano XII. *can 6. Placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ & Gallæciæ licitum maneat Toletano Pontifici, quoscunque eligerit Regalis potestas præficere.* Quod confirmatur Concilio Toletano XVI. & plerisque alijs locis. Sed hîc Rex Castellæ electionem sibi non deberi, sed assensum tantùm contendit, quod confirmat in Gallia vetus Concilium Parisiense anno 559. can. 9. sub Childeberto rege, *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & clericorum electio plenissima quæsierit, voluntate non principis imperio* Quibus verbis non excludebatur regius assensus. De eo litem motam fuisse à Rege Nauarræ constat apud Innocēt. III. *lib. 14. Epist. 122.* In Anglia quoque primitùs electio Episcoporum & Abbatum fiebat sine imperio regis, apparet ex Concilio Becanceldensi sub Vuifredo rege Cantio, anno 694. *Qui dignus inuenitur eligatur, neque enim de hac re aliquid pertinet ad decretum, vel imperium regis.* Contrarium autem morem Hispaniæ damnant Historici, & maximè Mariana *lib. 24. cap. 17.*


TITVLVS VIII.

De eo qui mittitur in possessionem causâ rei seruandæ.

Archiepiscopo Tyren.

Capvt I.

Non ponitur.



Ilecto filio [a] I. Barbo procuratore Ecclesiæ sancti Marci de Venetijs olim nobis humiliter supplicante, vt cùm paratus esset tibi iustitiæ plenitudinem exhibere super [b] Ecclesia sancti Marci de Tyro, & rebus alijs de quibus inter te, & Venetos, ac Vicarium Venetorum, quæstio mota fuit, possessionem ipsius Ecclesiæ, quæ per felicis memoriæ I. Papam prædecessorem nostrum tibi fuit [d] causâ custodiæ assignata, sibi restitui faceremus, quia te pro causa necessaria tunc absente ei assignari non poterat possessio postulata: Nos eidem indulsimus, vt sibi [e] lapsus temporis non obsisteret, quominùs possessionē ipsam recuperare valeret. Quoniam verò tantùm temporis ante concessionem ipsius indulgentiæ dicitur effluxisse, quòd tibi sufficere possit ad veræ possessionis effectum secundùm statuta Concilij generalis, & si fortè tempus ipsum tantùm ante prædictam indulgentiam non effluxerit, videtur, quòd eadem ad veram possessionem viam tibi præcludat, cùm simpliciter contineatur in ipsa, quòd de cetero ipsi procuratori lapsus temporis non obsistat quominus possessionem recuperare valeat

leat memoratam. Nos quorum fuit intentio iuri dicti procuratoris, & ipsi Ecclesiæ sinè tua & Ecclesiæ tuæ iniuria subuenire, autoritate præsentium declaramus, quòd nostræ intentionis non fuit per ipsam indulgentiam ius perimere, quod tibi competebat ex possessione præterita, vel post reditum tuum competierat ex futura: sibi enim imputare poterit pars aduersa, si negligens fuit in sua iustitia prosequenda, cùm absentiæ tuæ impedimento cessante, te conueniendi habuerit facultatem.

a I Barbo.] Illustris est hæc familia Barba Venetijs, & ex ea prodiere Cardinales. sed in Chronico Veneto non inuenitur nomen huius procuratoris, & ponitur expresse sub Honorio nostro creatio Rainerij Danduli in Procuratorem S. Marci.

b Ecclesiam S. Marci de Tyro.] Ante Tyri obsidionem, cum Venetis Varinundus Antistes Hierosolymitanus, qui Balduini regis nomine rem administrabat, ad huiusmodi conuentiones deuenit, vt in omnibus regni Hierosolymitani Antiochenique principatus vrbibus *priuam aram, priuum vicum cum foro & æde, ommimodámque potestatem cum Gallis Veneti haberent. Expressum quoque vt Tyri, si caperetur, tertiam partem Veneti perpetuâ possessione retinerent*, eámque conditionem impletam fuisse ait Iustinianus Patricius Venetus, *Histor. Venetor. lib. 2. & 3.* Ex quo conijci potest Venetos in dicta ciuitate Tyri Diuo suo tutelari Marco Ecclesiam construxisse, & forsan quoque Procuratorem D. Marci constituisse dictum Barbum, de quo noster Honorius.

c Vicarivm Venetorvm.] Magistratum, cui quotannis regius quæstor (autore eodem Iustiniano) ex ærario Hierosolymitano aureos nummos trecentos persoluebat.

d Cavsa Cvstodiae.] Custodia rei seruandæ causâ de qua *hoc cap.* non tantùm ad fructus, siue reditus pertinet; sed etiam ad regimen spiritale: & hanc duplicem esse constat, vnam quæ Patronis debetur, alteram quæ conceditur cuilibet rei seruandæ causâ. Illa propriè dicitur Aduocatia, defensio, & Custodes dicuntur Aduocati & Defensores, vt & nos suprà diximus, & plenè V. C. Bosquetus ad Innocent. III. Ex hac custodia fluxerunt Commendæ, contra decretum Concilij Chalcedonensis *can.* 10. Leo quartus diuerso iure duas Ecclesias habere permittit, vnam titulatam, alteram commendatam, *can. 3. 21. q. 1.* & Innocent. III. in *cap. dudum. de electión.* Inde etiam beneficia dicta sunt *Commendationes*, vt in *l. 2. tit. 44. lib. 11. legum Longob. Ceteri verò homines liberi, qui vel Commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui iustitiam faciunt.* Inde nos *Commanderie*, & *Commandeurs*. Causam Commendarum præcipuam hanc esse certum est, cùm diœceses ob deuastationem paganorum, vel hæreticorum desertæ essent, commendabantur Episcopis alterius diœcesis, vt Frotario Burdegalensi Archiepiscopo Ioannes VIII. Bituricensem Ecclesiam commendauit, quamdiu scilicet Bituricensis deuastatio duraret in *Epist.* 21. Balsamon ad *can. 34.* Apostol. ait multas ciuitates propter gentium incursiones absque Episcopis manentes, œconomicâ ratione alijs attribui, *κατὰ λόγον οἰκονομίας ἐπισκόπους προσανατίθεσθαι.* Notanda verba *κατὰ λόγον οἰκονομίας*, quia & Procuratores œconomi dicuntur ab Innocent. III. in *Epistolis* sæpè.

e Lapsvs temporis.] Ne noceat tempus elapsum indulgentia conceditur à summo Pontifice: vtpotè a summo Principe, quod beneficium vocat *reparationem temporis* Honorius in *l. 11. C. de temporib. & reparat. appellationum. A nostro numine reparationẽ peti præcipimus.* Symmach⁹ *Epist. 32. & 49. lib. 10. Cùm vellet infelicem causæ lapsum reparatione sarcire.* Iustinian. in *Nouellis* *ἐπανανέωσιν* vocat, id est *restaurationem*, seu *renouationem*, quam *exhausti spatij redintegrationem* vocat *l. 1. C. Theodos. de reparat. appellation.*

insensus erat Ferdinandus, eò quòd Segobienses primò ab illo studijs auersi fuere, præoccupati artibus Aluari Comitis qui non fauebat Regi. Mariana *lib. 12. cap. 7.*

[d] Cvm eivs assensv.] Electionem absque suo consensu Episcopi Segobiensis irritam prætendebat rex Castellæ. Quod ius desumptum est ex imperio Gothorum, qui sibi hanc facultatem arrogarunt, vt constat ex Concilio Toletano XII. *can 6. Placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ & Gallæciæ licitum maneat Toletano Pontifici, quoscunque elegerit Regalis potestas præficere.* Quod confirmatur Concilio Toletano XVI. & plerisque alijs locis. Sed hîc Rex Castellæ electionem sibi non deberi, sed assensum tantùm contendit, quod confirmat in Gallia vetus Concilium Parisiense anno 559. can. 9. sub Childeberto rege, *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & clericorum electio plenissima quæsierit, voluntate non principis imperio* Quibus verbis non excludebatur regius assensus. De eo litem motam fuisse à Rege Nauarræ constat apud Innocēt. III. *lib. 14. Epist.* 122. In Anglia quoque primitus electio Episcoporum & Abbatum fiebat sine imperio regis, apparet ex Concilio Becanceldensi sub Vuifredo rege Cantio, anno 694. *Qui dignus inuenitur eligatur, neque enim de hac re aliquid pertinet ad decretum, vel imperium regis.* Contrarium autem morem Hispaniæ damnant Historici, & maximè Mariana *lib. 24. cap. 17.*

TITVLVS VIII.

De eo qui mittitur in possesionem causâ rei seruandæ.

Archiepiscopo Tyren.

Capvt I.

Non ponitur.



Ilecto filio [a] I. Barbo procuratore Ecclesiæ sancti Marci de Venetijs olim nobis humiliter supplicante, vt cùm paratus esset tibi iustitiæ plenitudinem exhibere super [b] Ecclesia sancti Marci de Tyro, & rebus alijs de quibus inter te, & Venetos, ac Vicarium Venetorum, quæstio mota fuit, possessionem ipsius Ecclesiæ, quæ per felicis memoriæ I. Papam prædecessorem nostrum tibi fuit [d] causâ custodiæ assignata, sibi restitui faceremus, quia te pro causa necessaria tunc absente ei assignari non poterat possessio postulata: Nos eidem indulsimus, vt sibi [e] lapsus temporis non obsisteret, quominùs possessionē ipsam recuperare valeret. Quoniam verò tantùm temporis ante concessionem ipsius indulgentiæ dicitur effluxisse, quòd tibi sufficere possit ad veræ possessionis effectum secundùm statuta Concilij generalis, & si fortè tempus ipsum tantùm ante prædictam indulgentiam non effluxerit, videtur, quòd eadem ad veram possessionem viam tibi præcludat, cùm simpliciter contineatur in ipsa, quòd de cetero ipsi procuratori lapsus temporis non obsistat quominus possessionem recuperare valeat

leat memoratam. Nos quorum fuit intentio iuri dicti procuratoris, & ipsi Ecclesiæ sinè tua & Ecclesiæ tuæ iniuria subuenire, autoritate præsentium declaramus, quòd nostræ intentionis non fuit per ipsam indulgentiam ius perimere, quod tibi competebat ex possessione præterita, vel post reditum tuum competierat ex futura: sibi enim imputare poterit pars aduersa, si negligens fuit in sua iustitia prosequenda, cùm absentiæ tuæ impedimento cessante, te conueniendi habuerit facultatem.

a I. Barbo.] Illustris est hæc familia Barba Venetijs, & ex ea prodiere Cardinales. sed in Chronico Veneto non inuenitur nomen huius procuratoris, & ponitur expressè sub Honorio nostro creatio Rainerij Danduli in Procuratorem S. Marci.

b Ecclesiam S. Marci de Tyro.] Ante Tyri obsidionem, cum Venetis Varinundus Antistes Hierosolymitanus, qui Balduini regis nomine rem administrabat, ad huiusmodi conuentiones deuenit, vt in omnibus regni Hierosolymitani Antiochenique principatus vrbibus *priuam aram, priuum vicum cum foro & æde, omnimodámque potestatem cum Gallis Veneti haberent. Expressum quoque vt Tyri, si caperetur, tertiam partem Veneti perpetuâ possessione retinerent*, eámque conditionem impletam fuisse ait Iustinianus Patricius Venetus, *Histor. Venetor. lib. 2. & 3.* Ex quo conijci potest Venetos in dicta ciuitate Tyri Diuo suo tutelari Marco Ecclesiam construxisse, & forsan quoque Procuratorem D. Marci constituisse dictum Barbum, de quo noster Honorius.

c Vicarium Venetorum.] Magistratum, cui quotannis regius quæstor (autore eodem Iustiniano) ex ærario Hierosolymitano aureos nummos trecentos persoluebat.

d Causa Custodiae.] Custodia rei seruandæ causâ de qua *hoc cap.* non tantùm ad fructus, siue reditus pertinet; sed etiam ad regimen spiritale: & hanc duplicem esse constat, vnam quæ Patronis debetur, alteram quæ conceditur cuilibet rei seruandæ causâ. Illa propriè dicitur Aduocatia, defensio, & Custodes dicuntur Aduocati & Defensores, vt & nos suprà diximus, & plenè V. C. Bosquetus ad Innocent. III. Ex hac custodia fluxerunt Commendæ, contra decretum Concilij Chalcedonensis *can.* 10. Leo quartus diuerso iure duas Ecclesias habere permittit, vnam titulatam, alteram commendatam, *can. 3. 21. q. 1.* & Innocent. III. in *cap. dudum. de election.* Inde etiam beneficia dicta sunt *Commendationes*, vt in *l. 2. tit. 44. lib. 11. legum Longob. Ceteri verò homines liberi, qui vel Commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui iustitiam faciunt.* Inde nos *Commanderie*, & *Commandeurs.* Causam Commendarum præcipuam hanc esse certum est, cùm diœceses ob deuastationem paganorum, vel hæreticorum desertæ essent, commendabantur Episcopis alterius diœcesis, vt Frotario Burdegalensi Archiepiscopo Ioannes VIII. Bituricensem Ecclesiam commendauit, quamdiu scilicet Bituricensis deuastatio duraret in *Epist.* 21. Balsamon ad *can.* 34. Apostol. ait multas ciuitates propter gentium incursiones absque Episcopis manentes, œconomicâ ratione alijs attribui, κατὰ λόγον οἰκονομίας ἑτέροις προσανατίθεσθαι. Notanda verba κατὰ λόγον οἰκονομίας, quia & Procuratores œconomi dicuntur ab Innocent. III. in *Epistolis* sæpè.

e Lapsus temporis.] Ne noceat tempus elapsum indulgentia conceditur à summo Pontifice: vtpotè a summo Principe, quod beneficium vocat *reparationem temporis* Honorius in *l. 11. C. de temporib. & reparat. appellationum. A nostro numine reparationem peti præcipimus.* Symmach' *Epist. 32. & 49. lib. 10. Cùm vellet infelicem causæ lapsum reparatione sarcire.* Iustinian. in *Nouellis* ἐπανάνεωσιν vocat, id est *restaurationem*, seu *renouationem*, quam *exhausti spatij redintegrationem* vocat *l. 1. C. Theodos. de reparat. appellation.*

Archidiacono B. Salisberien. diœcesis.

CAPVT II.

Non ponitur.



Ignificauit nobis I. Rector Ecclesiæ de Vuitam. quòd cùm [a] Abbatem & conuentum Abendon. Salisberien. diœcesis coram te, super quibusdam decimis non ex delegatione se. Apost. conuenisset, ipsi lite pendente super eisdem decimis quandam indulgentiam impetrarunt à nobis, nullam, vt dicitur, facientem de mota super hoc controuersia mentionem: vnde dictus I. humiliter supplicauit, vt cùm robur firmitatis habere non debeat, quod à nobis super re litigiosa taliter est obtentum, causam decidi sicut iustitia exigit mandaremus. Quia verò nostræ incumbit solicitudini litibus & contentionibus finem imponere, ac Ecclesiarum iura integra conseruare, disc. t. m. quatenus si est ita, indulgentiâ huiusmodi non obstante, negotio finem debitum sublato impedimento appellationis, imponas.

a ABBAS ET CONVENTVS AFENDONIAE.] In Berkensi pago, diœcesis Salisberiensis est Abendoniæ Cœnobium, fundatum à Cissa rege Anglorum, patre Inæ regis Occidentalium Saxonum: postea Edredus Edfredi nepos rex illud cœpit restituere, tantúmque amoris assumpsit, vt per se loca ædificiorum metaretur, & fundamenta iactaret. Sed eo morte præuento Abbates illius loci certatim id locupletauerunt, ità vt in immensum creuerit.

TITVLVS IX.

Vt lite pendente nihil innouetur.

a *Cancellario, Cantori, & A. dicto Marescallo Canonico Parisiensi.*

CAPVT III.

Non ponitur.



Ilectus filius Magister A. persona Ecclesiæ de Basseuilla exposuit coram nobis, quòd cùm inter prædecessorem suũ ex parte vna, & [b] Priorem, ac monachos de Basseuilla, Carnotensis diœcesis ex altera, super decimis noualium intrà fines suæ parochiæ consistentium quæstio emersisset, eâ pendente coram iudicibus à sede Apostolica delegatis, Abbas & conuentus sancti Martini Maioris Monasterij Turon. quibus subsunt

Prior & monachi supradicti, pro se, ac membris suis obtinuerunt à sede Apostolica indulgentiam super perceptione huiusmodi decimarum; cuius prætextu iam dicti Prior & monachi supradictas decimas sibi vendicare contendunt; licèt in indulgentia ipsa mentio de quæstione supradicta facta non fuerit. Ideóque disc. v. m. quatenus autoritate nostrâ iudicibus, quibus commissa fuit ipsa quæstio, iniungatis, vt, indulgentiâ non obstante prædictâ, in negotio ipso procedant iuxta traditam sibi formam.

[a] CANCELLARIO PARISIENSI.] Vide quæ notantur infra ad *cap. 3. de test.*
[b] PRIOREM AC MONACHOS DE BASSEVILLA.] Prioratus est Conuentualis sancti Odorgij *de Bassainuille*, diœcesis Carnotensis, dependens à Maiore Monasterio, *Marmonstier*.



TITVLVS X.

De sequestratione possessionis, & fructuum.

Priori de Beham. Decano de Dalit. & F. Canonico sanctæ Mariæ de Hastinges [a] Cicestrensis diœcesis.

CAPVT I.

Dilectus filius R. Rector Ecclesiæ de Bertucia, suâ nobis petitione monstrauit, quòd cùm inter ipsum ex parte vna, & [b] Abbatem, & conuentum de Cestria Lond. diœcesis ex altera, super eadem Ecclesia coram Abbate de Sibiton. & eius collegis ex delegatione Apostolica, quæstio verteretur, iudices ipsi prout erant plus debito parti alteri fauorabiliores, post appellationem ab eodem R. legitimè interpositam, prædictos Abbatem & conuentum in possessionem ipsius Ecclesiæ causâ custodiæ induxerunt: memorato verò R. causâ prosequendæ appellationis apud sedē Apostolicā constituto, præfati Abbas & cōuētus fructus ipsius Ecclesiæ medio tempore perceptos pro suo distrahunt libito voluntatis in eius præiudicium & grauamen. Quocirca disc. v. m. quatenus si est ita, faciatis prædictos fructus vsque ad decisionem negotij sequestrari, & si quid interdum de ipsis distractum inueneritis in statum debitum reuocetis, contradictores per censuras Ecclesiasticas compescentes.

[a] CICESTRENSIS.] Sic legendum est, sub Cantuariensi, *Chichester* Anglicè: nisi malis dicere Honorium rescribere Exoniensi Episcopo; Exonia enim ab Anglis vocatur *Excester*, teste Guill. Camdeno in *Britann.*
[b] ABBATEM DE CESTRIA.] malè *de Cisteria* apud Gregor. Duæ sunt variæ lectiones in trib. MSS. in duobus *de Cestria*, in tertio *de Quoce-*

stra. Si legendum est de Cestria, Monasterium Cestriense intellige, quod primus Leofricus Comes Cestriensis in honorem Vuerburgæ virginis posuit, postea Hugo primus è Normannico genere Cestriæ Comes restaurauit, & autore D. Anselmo, quem ex Abbatia Beccensi in Normanniam euocauerat, Monachis ordinis S. Benedicti concessit, Henrici IV. Imperatoris sepulturá insigne, qui abdicato imperio hereminicam hic vitam duxisse aiunt. Si legēdum est *Quocestra* corruptè pro *Gloucestra* (dubia enim est hæc lectio) Monasterium est amplissimum quod Ethelredi Mercij permissu Ofricus Rex Northumbrorum virginibus posuit; quibus Kineburga, Eadburga & Eua Merciorum reginæ successiuè præfuerunt; deinde Aldredus Archiepiscopus Eboracensis euersum à Danis restaurauit, & monachis S. Benedicti dedit. Vide Vuillelm. Malmesbur. Guillelm. Camden. in *Britannia*, & Hansfeldum in *histor. Ecclesf. Anglic.*

[c] Londin. dioecesis.] Delenda sunt hæc verba, nec habentur apud Gregor. Neutrum enim horum Monasteriorum est in Diœcesi Londinensi, sed primum, nempe Cestrense, sedes olim Episcopalis fuit ex Lichfeldia huc translata, deinde ad Conuentriam, postea ad sedem pristinam longo tempore ante Honorium nostrum. Secundum nempe Glocestrense olim quoque Episcopali dignitate ornatum asserit Monumethensis autor Anglus.

Duplex est custodia rei seruandæ causa, vna de qua superiori titulo, propter quam qui est in possessione fructus & obuentus percipit, nec tamen semper suos facit, sed est tantùm detentor: nam possessio ab vsu distat, & ab eo quod Græci χρῆσιν dicunt, cum onere restitutionis in litis exitu, si condemnatus fuerit, *cap. quoniam, vt lite non contest.* Quæcumque enim ex edicto possidentur vendi, & distrahi non possunt. *l. vlt. de reb. autor. iudic. possid.* Ex primo enim decreto, quo quis mittitur in possessionem, fit tantùm custos, *l. 3. §. vlt. de adquir. possess.* nisi iudex ob rei contumaciam fructus medij temporis adiudicauerit, *l. Fulcinius. quibus ex caus. in possess. eatur.* Ex secundo decreto fit reuerà possessor, *cap. 11. de eo qui mittit. in possess.* in 3. *compilat.* quam partem præcipuam secundi edicti omisit Raimundus in *cap. 3.* quæ tamen magni ponderis est, vt optimè annotauit Cuiacius. Altera custodia respicit periculum rei, si in manus possessoris incidat, ne pro arbitrio possessor fructus suos faciat; & ideò sequestratio constituitur, quæ fit in *mediam manum, cap. 2. de dolo & contumac.* & est velut quædam lex depositi, sicut ἀντίχρησις dicitur lex pignoris *l. 4. & 7. C. depositi.*




TITVLVS XI.

De Probationibus.

Archiepiscopo [a] Lund. & suffrag. eius.

Capvt I.



AD nostram noueritis audientiam peruenisse, quòd [b] sacerdotes & clerici Daciæ legi regni, per quam negatiua probatur contra Canones & legitimas sanctiones temerè innitentes, à criminibus, quæ probari testibus fide dignis possunt legitimè contra eos, reputantur insontes, si se super his purgare valeant quoquo modo; vnde contingit quòd quandoque ad purgationem sui similes criminosos adducunt, vt eis debeant in similibus opportuno tempore respondere, ideóque multa crimina committuntur audaciùs ab eisdem. Volentes igitur vt

hæc pestis contraria omni iuri exstirpetur à clero, s. v. m. quatenus in probatione negatiuæ, dum tamen possit affirmatiua probari, contra canonicas sanctiones in foro Ecclesiastico neminem audiatis, sed in purgationibus bonæ famæ viros dumtaxat canonicè admittentes, eum minus esse idoneum ad purgandum quodlibet crimen sciatis, qui nota infamiæ super culpa consimili est respersus.

a IN quibusdam MSS. Archiepiscopo Ludonensi, & apud Gregor. Londensi, malè: rectè in vno, Lundensi: *Londen*, est vnicus Archiepiscopatus Daciæ, seu Daniæ ab Vrbano II. factus Metropolitanus anno 1092. teste Saxone Grammatico, cum antea subesset Hamburgensi Ecclesiæ.

b SACERDOTES DACIAE.] Negatiuæ probationem licitam iure regni apud Danos contra Canonum sanctiones damnat Honorius. *Negantis factum per rerum naturam nulla est probatio*, ait Innocentius III. in *cap. bona*, & *cap. quoniam. de electione*. Ad quod *cap. in 4. compilat.* Ioannes Teutonicus, vel si quis alius sit, *in scholijs* triplicem negatiuæ differentiam notat, *iuris*, *qualitatis*, & *facti*; duas primas probari ab actore ostendit: tertiam minimè, nisi determinatum tempus, vel locum habeat. Quem abusum in clericis & sacerdotibus reprehendit Honorius, eò quòd passim purgatio adhiberetur, quæ tantùm in defectum probationum admittenda est, *cap. ex tuarum. infra, de purgat. canon. cap. 16. legum Baiuuarior.* Isque prauus mos non à solis sacerdotibus, sed à tota Daniæ gente seruabatur, ideò Honorius *legem Daciæ regni* vocat: imò & à Saxonibus, quos à Danis accepisse conijci potest, eò quòd à Danis deuicti & vectigales redditi fuerunt, vt scribit Krantzius 1. *Saxoniæ, cap.* 11. Ostiensis, & Panormitanus idē se ab ipsis scholarib' didicisse scribunt, maximè in furti crimine; ità vt deprehensus in furto, & adhuc rem furtiuam sub veste detinens conuinci non posset, sed ad purgationem admitteretur: ita apud eos hoc vitium inoleuerat, vt honori & laudi verterent: ideò & *Cimbri* dicebantur, id est *Latrones*, vt idem Krantzius scribit *eod lib. cap. 9.*

a Aurien. & b Lamec. Episcopis, & Abbati de Palumbario Bracar. Diœcesis.

CAPVT II.



CVM causam quæ inter Ven. ff. nn. c Colobrien. & Egitan. Episcopos super suarum limitatione diœcesum vertitur, vobis duxerimus committendam; disc. v. m. quatenus cùm ad principale in causa veneritis supradicta, vos secundùm diuisiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo meliùs probabuntur, necnon testes, famam, & quæcumque alia adminicula, Deum habentes præ oculis in commisso vobis negotio procedatis.

a AVRIENSI.] Dubium an Auriensi gallœciæ Episcopo ad Minium, hodiè *Orense*; an Cauriensi Episcopo, hodiè *Coria*, in *Estremadura* prouincia Hispaniæ posito; olim in Lusitania Ptolemæo: vterque suffraganeus est hodiè Compostellanæ Ecclesiæ. Antiquitus hi quatuor Episcopatus de quibus hoc caput loquitur (si Cauriensi legas) Emeritensis suffraganei erant: nam Auriensis sub Bracarensi, vt patet ex Diuisionibus Constantini & Vuambæ, de quibus in hoc *cap.* Honorius.

b LAMETENSI.] vel, Lamecensi Lusitaniæ Episcopo ad Durium, hodiè *Lamego*.

c COLOBRIENSEM ET EGITANVM.] Vide quæ supra de his diximus ad *cap. 1. de procurationib.*

[a] *Episcopo, & Archidiacono Sen.*

Capvt III.



CAusam matrimonij, quæ inter V. iuuenem & G. puellã Senensem, quæ se virginem & monacham profitetur noscitur agitari, quia non ita instructam misistis, frater Episcope, vt in ea vsque ad [b] calculum diffinitiuæ sententiæ procedere liberè valeremus, vobis remittimus pleniùs instruendam: disc. v. m. quatenus eamdem puellam ponatis interim in illo monasterio autoritate Apostolicâ, quod intrauit, vt ibi securè valeat commorari, donec iudicialis sententia, quid ei sit agendum decernat, recepturi postmodùm prout iustitia dictauerit non solùm probationes viri, sicut protestatus fuerat, quas inducere voluit contra mulieres illas, quæ ad inuestigandum signa virginitatis ex parte puellæ fuerant introductæ; verùm etiam probationes alias hoc negotium contingentes, quas pars vtralibet duxerit producendas. Et quia, vt dicit Canon, *Sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum,* volumus & mandamus, vt adhuc honestas matronas prouidas & prudentes deputare curetis ad inquirendum vtrùm dicta puella virginitatis priuilegio sit munita, causámque nobis sub vestris [c] sigillis instructam pleniùs remittatis.

[a] Episcopo Senensi.] Sic legendum, vt in MSS. non, Episcopo & Archidiacono Senonensi, vt est in editione Gregorij: Senensis enim Ecclesia erecta fuit in Archiepiscopalem anno tantùm 1449. à Pio II. ciue suo, teste Cæsare Orlando in *histor. Senensi.*

[b] Calcvlvm sententiae.] Iste calculus, iudicialis dicitur in *cap. per tuas, inf. de appellat.* vt in *l. rem non nouã, C. de iudic.* ψῆφος: inde iudices dicuntur ψηφίζεσθαι: *calculis suffragia colligere*: quod nomen remansit, licèt vsus euanuerit, propter fraudes quæ in iudicijs committebantur, & ita eludebatur iustitia, vt ex Lysia refert Pollux *lib. 7. cap. 33.* ψηφοπαικτεῖν τὸ δίκαιον.


[c] Sigillis.] Ita in *cap. præsentata,* & *cap. 11. tit. seq.*

TITVLVS XII.

De Testibus & attestationibus.

Præposito Malisu. a Firman. diœcesis.

CAPVT I.



ER tuas nobis litteras intimasti, quòd cùm causa quæ super quibusdam terris vertitur inter Canonicos sancti Petri Veteris ex parte vna, & G. Simonis Vuidonis Firman. ex altera, tibi fuerit ab Apostolica sede commissa, dictus G. tribus mensibus post testium publicationem elapsis, testes suos interrogari postulat, iteratò; super quo quid agere debeas Apostolico responso desideras edoceri. Nos igitur disc. tuæ breuiter respondemus, illum non esse super hoc de cetero audiendum, nisi forsan à principio illos interrogari super certis articulis postulasset, ídque fuisset malitiosè, vel negligentiâ prætermissum.

FIRMANAE DIOECESIS.] Firmum, Straboni, & Appiano; Firmium Ptolemæo, & Liuio, hodiè *Fermo*. Est vrbs Archiepiscopalis in Marca Anconitana.

a *Vallis Oleti, & Sacræ Meniæ Abbatibus,* b *Palent. & Segobien. diœces. & R. Archidiacono* c *Oxom.*

CAPVT II.



Icèt dilectus f. n. d L. titulo sanctæ Crucis presbyter Cardinalis, quem procuratoribus Ven. f. n. Burgen. Episcopi, & clericorum sanctæ Mariæ de Castro Sorit dedimus auditorem, ea quæ procuratores ipsi proponere voluerunt audiuerit diligenter; quia tamen procurator Burgen. Episcopi contra personas testium productorum in principali adhuc se velle dicere proponebat, protestans nihilominùs attestationes partis alterius, quæ nunc vacante sede Burgen. dicuntur fuisse receptæ, certis de causis nullius esse momenti: cùm lis per vos non potuerit terminari, licèt pars altera sententiam cum instantia postularet; illam igitur ad vos de consensu partium remittentes disc. v. mandamus quòd recipiatis testes, quos contra personas productorum super principali negotio duxerint producendos; quos si rursus pars altera, vel vtraque voluerit reprobare,

contra illos probationes admittere procuretis: ita quòd non liceat partibus vltra ad reprobationem testium aspirare, ne si producendi quartos contra tertios, & sic deinceps, partibus licentia tribuatur, negotium protelatum iamdiu, diutiùs protelari contingat.

[a] VALLIS OLETI.] *Valladolid*, nunc Episcopatus in gratiam Philippi II. Hispaniæ regis in ea vrbe nati. Ergo fallitur Miræus, qui Ioannem primum Castellæ regem, & longo tempore post Honorium nostrum, huius Monasterij fundatorem fuisse ait in *Chronico ordinis S. Benedicti, cap. 93.* fortè ob Marianam malè intellectum qui refert *lib. 8. cap. 13. à Ioanne primo Vallis oleti arcem veterem in Monasterij formam conuersam*: quæ verba de nouo Monasterio & opulentiori exstructo monachis Benedictinis à Ioanne rege, veteri forsan neglecto, accipienda sunt. Et ne quis dubitationi locus sit, Prudentius de Sandoual Episcopus Pampilonensis in *histor. Alfonsi VI. Castellæ regis* autor est Abbatiam istam fundatam à Comite Petro Assurez, & eius vxore Eylo æra 1123. anno Christi 1091. & dotatam ab ijsdem 21. Maij anni 1095. & primum eius Abbatem Saltum nominat ex charta donationis cuius substantiam refert.

[b] PALENTINAE.] Palentia vrbs antiqua Hispaniæ tempore Honorij nostri Toletani Archiepiscopi suffraganea, nunc Burgensis.

[c] ARCHIDIACONO EXONENSI.] Legendum, *Oxomensi*, Osma vetus Episcopatus sub Toletano.

[d] L. TITVLO S. CRVCIS PRESBYTER CARDINALIS.] Leo, à solo Ciacconio Brancaleo vocatus, ex Canonico regulari Congregationis S. Fridiani Lucensis, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in septisolio ab Innocentio III. creatus anno 1200. posteà presbyter tit. S. Crucis in Hierusalē anno 1201. vixit vsque ad annū 1230.

Historiam huius capitis exponit Cuiacius, & litem fuisse ait de electione Episcopi Burgensis, quam sede vacante ad se pertinere clerici S. Mariæ de Castro Zoris prætendebāt. Certè in Catalogo Episcoporum Burgensium apud Prudent. Sandoual in *dicta historia Alfonsi VI.* vacauit Ecclesia Burgensis quatuor annis, nempe ab anno 1210. quo Garcias de Contreras obijt, vsque ad annum 1214. quo Mauricius Toletanus dictus, patriâ Anglus sedere cœpit: nam Ioannes primus, qui ponitur inter dictos Garciā & Mauricium, electus tantùm fuit & non consecratus, & decessit anno 1212. vt infra dicetur ad *cap. vlt. Constitutis. ne sede vac. aliq. innou.*

Præposito, & Magistro Galfrido, & Ricardo de Lauduno Canonicis Remensibus.

CAPVT III.

PRæsentata nobis Garaudi Suessionensis Archidiaconi petitio continebat, quòd cùm inter quondam Ricardum prædecessorem suum ex parte vna, & Capitulum sancti Petri Suessionensis ex altera, super iurisdictione quam idem Archidiaconus se in dicta Ecclesia ratione Archidiaconatus proponebat habere, quæstio verteretur; tandem de virorum bonorum consilio [a] Bernardum Cancellarium Parisiensem & Magistros [b] Radulphum Remen. & Petrum Briton. clericos super hoc arbitros elegerunt; qui cùm suscepto arbitrio adeò in prædicto negotio processissent, quòd productis testibus, & depositionibus publicatis eorum, receptísque allegationibus, vtrorúmque actis omnibus redactis in scriptis, & sigillorum suorum impressione signatis, arbitrium proferre deberent, eisdem differentibus

rentibus pro suæ libito voluntatis, vnus ipsorum viam fuit vniuersæ carnis ingressus, & alius est in Archiepiscopum Ebredunen. assumptus, qui distat per duodecim diætas & ampliùs ab eisdem; vnde cum prædicto R. solo minimè arbitrari valente videatur [c] arbitrium exspirasse; nobis humiliter supplicauit, vt viris discretis, qui secundùm arbitrij acta prædicti ad decisionem causæ procedere debeant, scribere dignaremur. Ideóque disc. v. m. quòd si est ita, causam ipsam iuxta huiusmodi acta, sublato appellationis obstaculo, fine debito terminetis: optione tamen eidem Capitulo secundùm sanctiones legitimas reseruatâ, vt vel recipiant depositiones eorum qui supersunt productorum testium contra eos, vel easdem respuentes consentiant vt iidem testes iterum admittantur: saluo tamen iure quod in vtroque casu eidem Capitulo competit tam in testium personas, quàm in dicta.

[a] BERNARDVM.] Legendum, *Bertramnum*, non Bernardum, vt tamen existimauit vir doctus Claudius Hemeræus, eò quòd in Necrologio S. Victoris Bernardum Gebennensem (aliàs Geneuensem, sed malè) repererit; in alio tamen Chronico Bertramnum, eúmque Ebredunensem Archiepiscopũ scriptum fuisse refert, quod confirmatur hac Decretali Honorij III. cuius tempore floruit hic Bertramnus.

[b] RADVLPHVM.] Eundem illum esse ad quem scribit Innocent. III. Epistolam 41. *lib.* 1. quem quidem fuisse Cancellarium Parisiensem idẽ Hemeræus scribit, quod vix fieri potuit, cùm eundem factum Cancellarium dicat eo tempore, quo supradictus Bertramnus eo munere fungebatur.

[c] ARBITRIVM EXSPIRASSE.] Per assumptionem Archiepiscopatus arbitrium vacasse innuit Honorius, iuxta Paulum in *l. non distinguemus. §. sacerdotio. de recept. arbitr.* Et hoc propter superuenientem maiorem diuini cultus curam: quod tamen omnino verum non existimem, sed cum illo temperamento, quo optimè vtitur Abbas, vt non sit cogendus, ideóque excusari possit, *auth. multò magis. C. de epis. & cler.* quamobrem dicendum potiùs exspirare arbitrium propter distantiam locorum, quæ erat per duodecim diætas contra Concilium Lateranense in *cap. nonnulli. de rescript.*

[a] *Parmensi Episcopo.*

CAPVT IV.

NVper nobis à Presbytero supplicante, vt cùm ipse Ordinem Fratrum Minorum causâ probationis intrasset, ac exinde nullâ factâ professione infra annum exisset, super ho[illegible] uidere misericorditer dignaremur; nos tibi dedimus in mandatis vt si res taliter se haberet, denuntiares ipsum ad regularem obseruantiam non teneri: dicto ergo presbytero, & fratre Ioanne in partibus tuis Minorum Fratrum [b] Custode, cum quibusdam alijs propter hoc in tua præsentia constitutis, dictus Custos ad probandum quòd idem presbyter professionem perfecisset, quosdam Ordinis sui testes induxit, qui deposuerunt super hoc (contradicente presbytero) non iurati: vnde præfatus presbyter asserebat eorum testimonium

n

nullum esse; prædicto replicante Custode, quòd secundùm Ordinis sui [c] regulam iurare non poterant, nec debebāt, sed eorum verbis simplicibus in huiusmodi standum erat. Quare nobis humiliter supplicasti, vt quid agendum sit tibi, te redderemus nostris litteris certiorem. Nos ergo f. t. breuiter respondemus, quòd nullius testimonio quantumcumque religiosus existat nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi.

[a] PARMENSI EPISCOPO.] Legendum *Pennensi*, vt in vulgatis Codicibus. Penna, vulgò *Ciuita di Penna*, est Episcopalis sub Archiepiscopo Theatino in regno Neapolitano. *Silius.* — *Pinnámque virentem.*


[b] CVSTODE.] Custodes dicuntur Guardiani, vel, Guardingi, quos ἐφόρους vocat Balsamo ad *Can. 1. synodi Constantinop. I.* qui significant *Præsides*, *Inspectores*, *speculatores*, *ac Episcopos*: apud Hesychium & Pollucem, θεώρους.

[c] REGVLAM.] Nulla est regula Monachorum quæ prohibeat iuramentum, nec enim potest facere ne leges locum habeant. In statutis Benedictinorum *Cap.* 38. iuramentum licitum est; *Examinatores mediante iuramento Congregationi monachorum in Capitulo referent, & solenniter se purgabunt super doctrina & capacitate illius qui ad professionem admitti postulat.* Et hoc nominatim cauetur ab Innocentio III. in *cap. tuis. 39. hoc tit.* apud Gregor.

---

[a] Corosopit. & [b] Trecoren. Episcopis, & Abbati Sanctæ Crucis [c] Camparell. Corosopit. diœcesis.

CAPVT V.



VEnerabili fratre n. Episcopo, & dilectis filijs Capitulo Corosopitensi ac vniuersis Abbatibus apud Cisterciū in generali Capitulo congregatis, multísq; alijs Episcopis, & religiosis, vnà cum Abbate & conuentu [d] monasterij S. Mauricij Cisterciensis ordinis, Corosopiten. diœcesis olim nobis insinuātibus, piæ memoriæ [e] Mauriciū Abbatē præfati monasterij diuino munere claris coruscare miraculis, adeò vt monasteriū ipsum quādā vsurpatione vsum, seu potiùs quādā anticipatione futuri nominis ab eius nomine sortiatur, & humiliter supplicantibus, vt ipsum annumerari Sanctorum catalogo faceremus; quia quod populus deuotâ præsumptione, vt sicut diximus nunc vsurpat, seu forsan diuino instinctu anticipat, illum appellando sanctum, & absque autoritate sedis Apostolicæ venerando, ritè tandem iussione Apostolicâ faciat ad gloriam Christi, & nominis Christiani. Nos eorum deuotis precibus in quantū decuit annuentes, ven. f. n. [e] Episcopo Leon. & dilecto fil. Abbati sancti Gigalcei [f] de Landeuenech Corosopiten. diœcesis, per nostras dedimus litteras in mandatis, vt inquirerent super dicti viri vita & miraculis diligentissimè veritatem; & ea nobis fideliter intimarent, vt eâ plenè compertâ pro supplicantium desiderio pleniùs an-

nuere valeremus. Ijdem autem Episcopus & Abbas quamdam nobis paginam transmiserunt, propriorum sigillorum appensione munitam, in qua multa quędam & magna miracula continentur, facta vt dicitur à Domino meritis dicti viri, quæ licèt probata per testes iuratos & nominatos in ipsa pagina innuantur; non tamen apparet per paginam sæpè dictam, quòd ipsos testes examinauerint sigillatim, & quod eos super his de quibus testificati fuerũt, ac circũstantijs, cum ea interrogauerint diligentia, quæ solet & debet in testiũ receptionibus adhiberi: vnde licèt humana deuotio prompto affectu debeat honorare quos dignatio diuinæ benignitatis honorat, tutius tamen esse censuimus hoc differre negotium, quàm in eo sententiam minùs consideratè proferre. Nolentes autem supernæ gratiæ deesse muneri, sed adesse, disc. v. mandamus quatenus testes quos Abbas & monachi dicti loci super vita & miraculis dicti viri duxerint producendos, examinare prudenter ac diligenter, vt moris est, interrogare curetis, & depositiones eorum nobis sub sigillis vestris inclusas fideliter transmittatis, vt in ipso negotio cum diligentia & maturitate debita procedamus.

a COROSOPITENSI.] Rainoldo, seu, Rãnolpho, qui sedit ab anno 1218. vsque ad annum 1245. Corosopitum, vel, Curiosolitanorum ciuitas Britanniæ minoris sub Archiepiscopo Turonensi, vulgò *Kimpercorentin*.

b TRECORENSI.] Stephano, vel, Hamoni. Trecorum ciuitas Britanniæ Arecomicæ, sub Nomenoio Britonum Duce Episcopalis facta tempore Caroli Calui, vt vult Indiculus, quem ex bibliotheca S. Michaëlis in mari dedit Sirmondus. Vide Epistolam synodalem Concilij Tullensis sub eodem Carolo, vulgò *Lantriguier*, vocatur.

c ABBATI S. CRVCIS CAPARELLAE.] Legendum *Kemperellæ*, vulgò *Kemperlé* ordinis S. Benedicti.

d MONASTERII S. MAVRICII.] Hoc Monasterium primò vocatum fuit B. Mariæ de Coërmaloen Cisterciensis ordinis. Augustinus Dupas in historia Genealogica Britanniæ, ait Goffridum XXII. Episcopum Corosopitensem subscripsisse fundationi illius: deinde dictum fuit S. Martini, postremò S. Mauricij, ob deuotionem erga S. Mauricium de cuius canonizatione agitur in hoc cap.

e MAVRICIVM.] Pater Angelus Manrique, dum in sua Laurea Euangelica de isto B. Mauricio Corosopitensi loquitur hæc habet: *De hoc apud autores nihil legi; super eius autem canonizatione facienda exstat textus in cap. venerabili 52. de testibus*.

f LEONENSI.] Leonium, vulgò *S. Paul de Leon*, Britanniæ minoris, sic dicta à Paulo primo huius vrbis Episcopo. Vide dictum Indiculũ.

g DE LANDEVENECH.] Alias Gingiban, Ordinis S. Benedicti eiusdem diœcesis.

TITVLVS XIII.

De Testibus cogendis.

Priori Montis riui, Massilien. diœcesis, & Sacristæ Massilien.

CAPVT I.

Non ponitur.



SVA nobis Ven. f. n.[a] Tholon. Episcopus insinuatione monstrauit, quòd cùm Tholon. ciuitas bis à Sarracenis capta fuerit & destructa, multa instrumenta Tholon. Ecclesiæ sunt amissa, propter quæ grauia iam incurrit Ecclesia ipsa dispendia, & grauiora creditur in posterum incursura, nisi super hoc per Apostolicæ sedis prudentiam consulatur. Vnde nobis idem Episcopus humiliter supplicauit, vt cùm adhuc quidam supersint qui plenè nouerint de possessionibus & rebus alijs Ecclesiæ veritatem, ne processu temporis, probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, prouidere super hoc ipsi misericorditer dignaremur. Quocirca disc. v. m. quatenus si est ita, tales si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint ad perhibendum veritati testimonium monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas appel. rem. cogatis, dicta illorum in scripturam publicam redigi facientes, & si quos fortè huiusmodi causa contingit denuntietis illis, vt huic receptioni testium si velint intersint, & super denuntiatione sic facta faciatis confici publicum instrumentum.

a TOLONEN.] Tolon, ciuitas Prouinciæ bis à Saracenis capta & destructa. Plures excursiones inuenimus Saracenorum in Prouinciam, sed præcipuè duas: prior sub Carolo Martello, de qua Sigebertus in *Chronico: Saraceni Arelatem, & omnes circumquaque Prouinciæ vrbes destruxerunt:* altera fuit post inuasionē Hispaniæ, in qua pedem fixerunt, vt in Sicilia, Sardinia, imò & in Italia, vbi vsque ad auos nostros Noceram dictam Saracenorum tenuere. Probabile est in his duabus excursionibus Tolonum ciuitatem destructam ob propinquitatem maris, & vrbis exiguitatem, & in vna earum S. Cyprianum Episcopum Tolonensem obtruncatum super altare à Saracenis dum sacrificaret, vt refert Cæsar Nostradamus in *Historia Prouinciæ*. Et nescio an sub Honorio II. qui sedit centum annis, vel circa ante Honorium nostrum, vna ex istis destructionibus acciderit: iste enim Pontifex in Epistola relata à Salerno in *Chronico Lerinensi, ad quosdam Episcopos Prouinciæ: Filij nostri*, ait, *Lerinensis Abbas & Monachi ante Saracenorum fauces positi, captiones, & mortis pericula metuentes, &c.* Constat enim Lerinum insulam breui maris traiectu distare ab ora Prouinciæ vbi sita est Tolonensis ciuitas.

a *Abbati Sancti Eugenij, Archidiacono, & Magistro Bono Subdiacono nostro Canonico Sen.*

Capvt II.

Dilectorum fil. Capituli ex parte vna, & Ven. f. n. [b] Episcopi Vulteran. ex altera procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilectum f. nostrum [c] Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum Cardinalem concessimus auditorem, coram quo, cùm per [d] conuentionis & reconuentionis modum super diuersis capitulis, quæ sub bulla nostra vobis transmittimus interclusa, lis fuerit legitimè contestata, &c. *& infra.* testes autem qui fuerint nominati præterquàm super criminibus, [e] si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, per censuras Ecclesiasticas cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere.

a S. Evgenii.] Abbatia S. Eugenij, ordinis D. Benedicti Congregationis Cassinensis.

b SS Cosmae, et Damiani Diaconvm Cardinalem.] Is fuit Ægidius de Torres, Hispanus, ex Canonico Burgensi creatus Cardinalis ab Honorio nostro anno 1216. Auditor multis causis datus, autore Ciaconio. Vixit vsque ad annum 1254.

c Conventionis et reconventionis.] αἴτεια, & ἀνταιτεία Græcis, & ij qui conueniuntur αἰτιώμενοι, & ἀνταιτιαθέντοι. *Nouell. Iustiniani* 96. Harmenopulo λίξις, ϗ ἀντίλιξις *actio* & *contradictio.* De his ad *titul. de mutu. petit. apud Gregor.*

d Si se gratia.] Hoc tantùm casu eos qui odio, gratiá, vel timore testimonium ferre recusant cogendos esse quidam existimarunt ex *cap. sequ.* quod tamen contrarium esse docet glossa, & in omnibus causis criminalibus & ciuilibus testes cogi posse notat, de quibus satis ad *hunc titul.* diximus *in Paratitl.*

a *Episcopo Bonon. & Andreæ, & Magistro B. Prat. Bon. commoranti Canonicis.*

Capvt III.

Venerabilis f. n. Archiepiscopus Rauenn. proposuit coram nobis, quòd ciues Ceruien. cum M. & I. quondam clericis Ecclesiæ Rauenn. quamdam præsumpserunt coniurationem facere contra eum in detrimentum eius, dantes eis quamdam pecuniæ quantitatem, & ad hæc celanda se astringentes vinculo iuramenti: vnde idem Archiepiscopus nobis humiliter supplicauit, vt cùm causam super his & quibusdam articulis, vobis eius obtentu duxerimus committendam, & ipse intentionem suam probare non possit, nisi testimonio ciuium prædictorum, super hoc ei prouidere, ne pro testium defectu pereat sua iustitia, dignaremur: ideóque disc. v. m. qua-

tenus monitione præmissâ per censf. eccl. app. rem. contra illos quos videritis compellendos, vt ab huiusmodi iuramento absoluant illos, quos idem Archiepiscopus ad testimonium duxerit producendos; eos nihilominùs si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, districtione simili compellentes ad perhibendum testimonium veritati.

[a] EPISCOPO BONONIENSI.] Henrico. [b] ET ANDREAE BONONIENSI *Canonico, & Bondi, Pratensi Canonico, Bononiæ etiam commoranti.*] Sic reponenda est inscriptio huius cap. ex Hieron. Rubeo *lib. 6. Historiæ Rauennatis*; hos enim Honorius Iudices de controuersia Ceruiensi dederat, de qua supra in *cap. 5. significarunt. de iudic.* Rubeus tamen omittit hâc clericorum coniurationem contra Archiepiscopum suum, vt rectè obseruat Cuiacius; sed quæ post hoc rescriptum subsequuta sunt cõmemorat. Nimirum Episcopum Foropompilianum, *Forlinpopoli*, ex autoritate dictorum iudicum Ceruiæ sacris interdixisse, quod multi ex Ceruiensibus in ea causa negauissent testimonium dicere, & Giraldum Archiepiscopi internuntium, qui Ceruiam iuerat ad excitandos ipsos testes cepissent, spoliassent, verberibus ac vulneribus grauiter affecissent, iniecissent lorum in collum, & perinde quasi latronem tota vrbe duxissent; nihil minùs Episcopo Foropompiliano si Ceruiam accessisset, eiúsque familiaribus se facturos minitantes, eámque sententiam exsecrationis dicit Henricum Bononiensem & cæteros Iudices ad quos hoc caput directum est, in Episcopo Foropompiliano probasse.



TITVLVS XIV.

[a] De fide instrumentorum.

Nicolao Scriniario.

CAPVT I.

Non ponitur.



CVM Lando pater tuus, qui tabellionatus fungebatur officio morte præuentus nequiuerit quædam instrumenta quæ receperat conscribenda conficere; nos tam illis ad quos instrumenta prædicta pertinent prouidere volentes, quam tibi facere gratiam specialem, deuotioni tuæ præsentium autoritate concedimus, vt instrumenta eadem [b] in scripturam publicam manu publicâ fideliter redigas habitura debitam firmitatem.

[a] NICOLAO SCRINIARIO.] Hoc caput differentiam ponit inter scriniarium, & tabellionem, siue Notarium; & est reuerâ differentia, licèt quidam idẽ esse contendant, eò quòd sæpiùs hæc confundi videamus, & scriniarios vocari notarios, sicut & Cancellarios; quum tamen longè distent. Scriniarius est *κλησόφυλαξ τῶν σκρινίων*. Apud Etymologicum *σκρινιάριος τῆς δουκικῆς ὑπάρχων τάξεως, λατίνων φωνῇ ὁ ἐστι νοτάριος, ἑλληνικῶν. ὁ χαρτόφυλαξ*, qui & Bullas, priuilegia, Concilia, & acta publica, quæ ei a Cancellario & Protoscriniario dictabantur in publicas zothecas & armaria referebat, vt patet ex Onuphrio in *Elencho vocum obscuriorum*: similiter ac scriniarij Imperatorum qui iura, seu adnotationes, admissiones, & preces, asseruabant, *l. vlt. C. de aquæduct. l. omnium. C. de testam. Cuiac. ad titul. de proxim. sacror. scrinior.* sic Scriniarius vrbis apud Innocent. III. *Epist. 73. lib. 14.* scrinium

etiam mensa dicebatur Præfecti Prætorio *Nouella* Iuliani 40. *cap.* 11. Notarius vero publicis etiam instrumentis incumbebat, & is non propriè dictus Scriniarius, sed erat seruus publicus συμβολαιογράφος, id est *tabellio*, *Nouell.* Iustiniani 73. *cap.* 7. & acta quæ conficiebat publica, erant dicta ἀγοραῖα, distincta à priuatis quæ ἰδιόχειρα vocant Nouellæ 49. & 142.

b In pvblicam.] Singulare quod hîc agit Honorius de instrumentis redactis in aduersaria, & schedas, seu schedulas quas in publicam formam redigere mortuo tabellione permittit. σχέδη Græcis *tabella*, seu *philyra*, in qua aliquid ex tempore & tumultuariè scribimus, inde etiam σχεδίασμα apud Tullium ad Atticum, αὐτοσχεδίασμα apud Pollucem, *opus tumultuariè factum*, deductum a Græco σχίζειν quod est *scindere*; membranulæ enim quædam scindebantur in quibus scribebantur quæ postea plenius in mundum redigebantur à tabellionibus, εἰς ἑτέραν χάρτην καθαρὸν γράφειν συμβόλαιον, πλὴν εἰ μὴ εἰς ἐκεῖνον ὃς προκείμενον τὸ καλούμενον πρωτόκολλον ἔχοι. Id est, *in alia charta pura scribebant documenta, ab illa quæ initio (quod vocatur protocollum)*. Quæ verba eadem in *Basilicis, Ecloga* 22. leguntur. Protocollũ significat librum ex glutine compactum in quod acta publica referuntur, non vt plerique existimant Memoriale in quod raptim acta reponuntur, vt deinde in mundum redigantur, & perfectiùs extendantur, quod arguit Cuiacius ad *dictam Nouell.* nec tamen quid sit Protocollum definit, quam nihil aliud sit quàm quod diximus, & nos vocamus *Registre*, aut, *scede*.

Decano, & Capit. Sancti Stephani Bisunt.

Capvt II.

Icèt ólim innouauerimus priuilegium felicis memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri, Ecclesiæ sancti Ioannis Bisunt. concessum; præsenti tamen paginâ declaramus, quòd nostræ intentionis non fuit, vt ius Ecclesiæ vestræ per hoc in aliquo læderetur, cùm per innouationem huiusmodi non acquiratur ius nouum, sed antiquum solummodò conseruetur, vnde præsentes litteras super hoc vobis in testimonium duximus concedendas. Non ponitur.

a Decano, et Capitvlo S. Stephani Bisvntini.] Archiepiscopatus Bisuntinus, *Bezançon* in Comitatu Burgundiæ. Sedente Vuillelmo I. Bisuntino, vel Vesontionis Archiepiscopo orta est controuersia inter Canonicos S. Ioannis, & S. Stephani, quæ diu durauit; & primùm quidem coram dicto Vuillelmo acta causa, tum ad Paschalem II. delata, qui rei cognitionem & potestatem ferendæ sententiæ commisit Guidoni Viennensi Archiepiscopo (quem successorem habuit dictum Calixtum II.) Is synodum ex speciali Pontificis mandato pro solutione controuersiæ indixit Trenortiũ, *Tournus*, ad Ararim, cui interfuere Guido Archiepiscopus Legatus, G. Lugdunensis Archiepiscopus, octo Episcopi, & octo Abbates, inter quos fuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis. Ibi definitum, Ecclesiam B. Ioannis debere maternitatis prærogatiuam in perpetuum obtinere: & ipse Legatus Ecclesiam S. Ioannis ex tunc à querela illa liberam fore decreuit, constituens sedem Episcopalem in ea irrefragabiliter permanere; autoritate insuper Apostolicâ quâ fungebatur sub anathematis obligatione præcipiens, vt nullus eam vlteriùs inquietare præsumeret. Hæc ad verbum ex vetusto Codice S. Ioannis refert Io. Iacob. Chiffletius *Vesontionis*, *parte* 2. sub Vuillelmo I. Probabile est rescriptum hoc Honorij nostri, quo, innouando hanc sententiam Calixti II. declarat se non præiudicare iuri Ecclesiæ S. Stephani, causam dedisse nouæ controuersiæ inter dictas Ecclesias super dicta maternitatis dignitate sub Ioanne I. Archiepiscopo Bisuntino, qui cœpit sedere post Girardum anno 1224. postea Cardinale creato a Gregorio IX. & decreuit vt Ecclesia S. Ioannis, in qua primò incathedratur Archiepiscopus, sola matricis Ecclesiæ possideret dignitatẽ: quæ sententia confirmata fuit à Gregorio IX. autore Chiffletio.

Priori Sanctæ Mariæ, & Presbytero Seuerino, [a] Canonico Sancti Petri Tuscan.

CAPVT III.

Non ponitur.

DIlecti filij Abbas & conuentus monasterij sancti Iusti, Cisterciensis Ordinis, nobis humiliter supplicarunt, vt cùm quædam ipsius monasterij instrumenta depereant, consumpta nimiâ vetustate faceremus eadem per tabelliones publicos innouari. Quocirca disc. v. m. quatenus instrumenta huiusmodi faciatis autoritate nostrâ per manus tabellionis publici exemplari, volumus enim vt instrumenta ipsa taliter exemplata pristinam obtineant firmitatem.

a CANONICO S. PETRI TVSCANENSIS.] Tuscana, Tuscanella vrbs in Italia propè Viterbium olim, cui sedi hodiè est vnita. Ne vetustate pereant instrumenta concedit Honorius ea renouari per publicum exemplar, quod Iustinianus permittit tabellionibus & testibus superstitibus, vel mortuis per comparationem literarū & subscriptionum, ἐπὶ τὰς συγκρίσεις *in l. comparationes. C. hoc titul.* & *Nou.* 73. §. 7. Idem de priuilegijs statuit Honorius in *cap. penult. infra de priuileg.* vt noua redactio in scriptis priuilegij naturam non mutet, sed vetus confirmet, & pro, *scripturam innouare* vtitur verbo, *Exemplare*, id est exemplum facere, ἀντίγραφον vocant Basilica, exemplum quod excerptum est sub fide instrumenti originis, quod Scæuola eleganter dicit *autoritatis*, in *l. vlt. ff. de edendo*, & Cœlius in *Epistola quadam ad Tullium, autoritatem perscriptam*, Anastasius in *l. vlt. C. de fabricensib.* & initio Codicis Theodosiani Exemplar autoritatis *commonitorium* Timotheo, Vlpianus vocat, *descriptum*, in *l. Prætor. §. fin. de edendo.*

TITVLVS XV.

De iureiurando.

Magistro Anselmo DD. & Gerardo Canonicis Antioch.

CAPVT I.



PEtitio vestra nobis exhibita continebat, quòd Ecclesiâ Antiochenâ vacante nobilis vir [a] R. Princeps Antiochenus timens conspirationes aliquas fieri contra eum, à vobis [b] iuramentum extorsit, quòd contra ipsum de cetero non essetis. Cùm autem idem Princeps aduersùs ipsam Ecclesiam frequentes habeat quæstiones, vos nec ipsi deesse Ecclesiæ sinè ipsius detrimento potestis, nec eidem audetis adesse, ne videamini contra dictum facere iuramentum. Quare nobis humiliter supplicastis

ſupplicaſtis, vt ſuper his paternâ prouidere ſolicitudine dignaremur. Nos igitur vtilitati eiuſdem Eccleſiæ & ſaluti, ac famæ veſtræ, & honori dicti principis pariter prouidentes, interpretatione congruâ declaramus, vos iuramento huiuſmodi non teneri, quin pro viribus & honoribus ipſius Eccleſiæ, ac etiam ſpecialibus veſtris legitimè defendendis contra ipſum Principem ſtare liberè valeatis, coërcendo vos à machinatione dumtaxat per quam idem Princeps deberet læſionem perſonæ, vel ſui amiſſionem incurrere principatus. Decernimus igitur vos pro defenſione iuris ſeu honoris Eccleſiæ ſæpè dictæ, vel veſtri, dicto Principi cùm opus fuerit reſiſtentes nulli per hoc notæ, ſeu calumniæ ſubiacere.


a PRINCEPS ANTIOCHENVS.] Dubium de quo loquatur, an de Raimundo Comite Tripolitano, an de Rupino nepote regis Armeniæ; vterque enim tempore Honorij noſtri Antiochiam tenuit; quod vt meliùs intelligatur paulo altiùs repetenda eſt hiſtoria. Boëmundus III. Princeps Antiochiæ captus à Lieuono, ſeu Leone I. Rege Armeniæ deſpondet Boëmundum primogenitum cum filia Rupini Principis Armeniæ fratris dicti Lieuoni, ſeu Leonis, ſub hac conditione, vt filius qui ex hoc matrimonio naſceretur eſſet Princeps Antiochiæ. Boëmundus gener Rupini Princeps Antiochiæ ante Patrem Boëmūdum III. moritur, relicto filio Rupino. Boëmundus III. pater reliquit heredem Boëmundum d'Iblim, Comitem Tripolitanum (ſic eum vocat Stephanus Luſinianus in *hiſtoria Cypri*; ſed Marinus Sanutus eum Raimundum nominat, dicitque fuiſſe filium ſecundogenitum Boëmundi III.) Lieuonus, ſeu Leo Rex Armeniæ patruus Rupini indignatus eum ab auo præteritum anno 1203. Antiochiam intrauit, & vſque ad templum omnia cepit, ibique tribus diebus immoratus eſt. Anno 1208. Principi Raimundo Antiochia rebellauit ad inductionem Patriarchæ, ſed Comes ciuitatem ſuperauit, & Patriarcham in carcerem incluſum affligendo peremit. Anno 1216. reddita eſt Antiochia Rupino proditione Seneſcalli Antiocheni. Anno 1219. Raimundus à Rupino Antiochiam recuperat proditione Guillelmi Farabel. Rupinus ad Legatum Apoſtolicum Damiatæ commorantem ſe contulit, & pro Antiochia & Armenia recuperanda auxilium petit & impetrat: In Tarſo receptus, à Conſtante genero Lieuoni Regis Armeniæ iam defuncti capitur, & incarceratur, ibique moritur. Sanutus poſteà enumerat inter Principes Antiochenos Philippum filium Raimundi, & Raimundum filium Philippi anno 1224. Boëmundum IV. quem obijſſe ait anno 1233. & Boëmundum V. filium illi ſucceſſiſſe in Principatu Antiocheno, & Comitatu Tripolitano; ſed Stephanus Luſinianus refert Rupinum nepotem Lieuoni, ſeu Leonis à Friderico II. Imperatore expulſum anno 7. principatus ſui, & Fridericum filium nothum dicti Friderici Imperatoris factum Principem Antiochenum.

b IVRAMENTVM EXTORSIT.] Iurauerant Canonici Antiocheni, quia in his de Principatu quæſtionibus à Legatis Apoſtolicæ ſedis, Patriarchæ, Archiepiſcopi Corſenſis, Capituli & Abbatum Antiochenſium conſilium requirebatur, vt patet ex *Epiſtola Legatorum ad Innocentium III.* & ex *Epiſtola Innocentij ad Epiſcopum Cremonenſem* 123. *lib.* 13. Nec abs re Canonici à iuramento abſolui petebant ab Honorio, quia Rex Armeniæ multa damna Eccleſiæ Antiochenæ intulerat, ſicut & Tarſenſi, in qua Latinis clericis eiectis, Græcos introduxerat, de quo conqueritur idem Innocentius *Epiſt.* 11. *lib.* 17.

[a] Ambian. & [b] Tornac. Episcopis & [c] Abbati Sancti Vedasti Attrebat.

CAPVT II.

Non ponitur.



D nostram noueritis audientiam peruenisse, quòd cùm Episcopi qui à longis retrò temporibus Attrebat. Ecclesiæ præfuerunt, siue seculares fuerint, siue etiam regulares, Canonici esse consueuerunt Ecclesiæ memoratæ, bonæ memoriæ R. Attrebat. Episcopo viam vniuersæ carnis ingresso, certâ die ad eligendum statutâ, eiusdem Ecclesiæ Canonici, & ven. f. n. Attrebat. Episcopus, tunc Archidiaconus, & Canonici ipsius Ecclesiæ statuerunt per iuramentum quo tenebantur Ecclesiæ, confirmantes, quòd quicumque de gremio ipsius Ecclesiæ si canonicè posset fieri assumeretur in Episcopum, de cetero [d] non esset Canonicus in eadem, quod vtrùm seruari debeat, præsertim cùm ex hoc dignitatem contigerit & Episcopales reditus minorari, præfatus Episcopus tanquam vir prouidus & discretus nos duxit humiliter consulendos. Nos igitur saluti eius paternâ volentes solicitudine prouidere, & nihilominùs attendentes, quòd iuramentum non vt esset iniquitatis vinculum fuerit institutum, & quod non iuramenta, sed periuria potiùs sunt dicenda quæ contra vtilitatem Ecclesiæ attentantur, disc. v. m. quatenùs ad Attrebaten. Ecclesiam personaliter accedentes à Canonicis antedictis requiratis super præmissis diligentiùs veritatem, & si ea quæ superiùs sunt expressa noueritis esse vera, pro huiusmodi iuratione incauta, impositâ præfato Episcopo penitentiâ congruente, quod in damnum Episcopalis iuris repereritis taliter attentatum autoritate nostrâ suffulti sub. app. ob. in statum debitum reducatis.

[a] AMBIANENSI EPISCOPO.] Geraldo, *seu* Euuardo 43. Episcopo, qui obijt anno 1223. vel Goffrido de Augo, *d'Eu* 44. qui successit Geraldo.

[b] TORNACENSI EPISCOPO.] Goselino, vel, Gosuino 50. Episcopo, qui vixit vsque ad annum 1218. aut successori suo Valtero de Maruis, qui sedit ab anno 1219. vsque ad annum 1251. laudato à V. C. Guillelmo de Catel in *Comitibus Tolosanis*.

[c] ABBATI S. VEDASTI.] Raimundo, Odoni, vel Ioanni V. qui vixerunt sub Honorio nostro, in nobilissimo Monasterio S. Vedasti ciuitatis Attrebatẽsis fundati anno 655. à S. Antberto Episcopo Cameracensi, autore Baldrico in *Chronico Cameracensi*.

In vulgatis editionibus loco *huius cap. Ad nostram*, ponitur *cap. ex literis*, quod in tribus meis MSS. deest. Hoc autem cap. proponitur iusiurandum pacto illicito adiectum, quod quidem iure ciuili nullius est momenti, sicut nec pactum; si enim pactum seruandum non est, ita nec iusiurandum: *Pactum à iure communi remotum seruari non oportet, nec legari: nec insiurandum ad hoc adactum*, vt ait Vlpianus in l. *Iuris gentium*. 5. *& generaliter ff. de pactis*; vbi ex sententia clarissimorum virorum legendum aliter monet Cuiacius, *seruari hoc non oportet*,


nec ligat; quam tamen non amplectitur *Obseruat. 24. lib. 1.* Ego quidem Cuiacij partes securè tueor, sicut est in omnibus exemplaribus Græcis & Latinis, in *Basilicis*, & apud Harmenopulum. hoc adhibito interpretamento *seruari non oportet, nec legari*: hoc est *non oportet seruari, nec iniungi, seu imperari*: *Legare* quippe, pro, *Decernere*, &, *Imperare* sumitur apud Iurisconsultos in lege 12. tabul. *Vti quisque legasset*, in *l. Verbis legis. de verb. signif. Legis modo, imperatiuè* apud Vlpianum *lib. regul. tit. 24.* Seruius in XI. Virgil. *Senatus legauit ne quis in vrbe sepeliretur.* Plautus in *Casina*: *Quin potius quod tibi legatum est negotium, id curas.* Inde vectigalia & tributa vocantur, *Legata*, in *l. Iulianus. §. idem Iulianus. de action. empti.* Licet autem omnino corruat pactum a iure communi recedens, ita & iusiurandum, hoc tamen iure Pontificio non ita est; iusiurandum quippe contra bonos mores, contra ius tenet; ideóque Honorius *in hoc cap.* licèt tale iuramentum esse potius periurium, nec seruandum decernat, hoc dicit, *Dispensatiuè*, vt loquuntur Theologi practici, & ideò penitentiam iniungendam esse statuit Attrebatensi Episcopo, quod similiter, & eadem mente de Tudertino Capitulo statuit Innocentius III. in *cap. sicut. 18. eod.*

[d] Non esset Canonicus.] Vt Episcopus sit Canonicus in Ecclesia Cathedrali, non est de iure communi, sed priuato; prout in statutis & fundationibus est expressum: ideóque nec ingredi potest Episcopus in Capitulum, vel stallum habere in choro, nisi sit Canonicus: vnde fit vt in plerisque Ecclesijs Cathedralibus, Episcopus, si sit Canonicus, vt lucretur fructus Canonicatus sui debet interesse diuino officio, sicut quilibet alius Canonicus, aliàs priuandus & expungendus. Quo fit vt in *hoc cap.* suppressio Canonicatus sui Attrebatensis Episcopi consensu facta nullius sit momenti, quia reditus Episcopales minorantur: imò & ius conferendi beneficia quod competit omnibus Canonicis, & consequenter Episcopo Canonico, sicut docet Innoc. III. in *cap. penult. Postulastis. infra, de concess. præbend.*

---

[a] *Colocen. Archiepiscopo, & eius suffr.*

Capvt III.



Ntellecto iamdudum quòd charissimus in Christo f. n. [b] Hungariæ Rex illustris [c] alienationes quasdam fecerit in præiudicium regni sui, & contra Regis honorem: Nos super hoc affectione paternâ consulere cupientes eidem Regi dirigimus scripta nostra, vt alienationes prædictas non obstante iuramento si quod fecit de non reuocandis eisdem studeat reuocare; quia cùm [d] teneatur, & in coronatione sua iurauerit etiam regni sui iura & honorem coronæ illibata seruare, illicitum profectò fuit si præstitit de non reuocandis alienationibus huiusmodi iuramentum & proptereà penitùs non seruandum.

[a] Colocensi Archiepiscopo.] Hungaricè, *Colots*. In Albensi Conuentu Coletia, vel, Kalochia est Metropolis, a Coletianis hoc nomen qui (autore Ptolemæo) inter Sauum & Drauum non procul à Pataulo habitarunt sub Noricis. Bonfinius *rerum Hungaric. Decad. 1. lib. 1.*

[b] Hungariae Rex.] Andreas II. filius Belæ III. & Margaretæ filiæ Ludouici VII. Regis Francorum, qui regnauit annos 32. & obijt anno 1238.

[c] Alienationes quasdam fecit.] Verisimile est Honorium nostrum intelligere alienationem factam ab Andrea omnis iuris Dalmatiæ, quæ olim fuerat Hungarorum, in fauorem Venetorum pro vectura exercitus sui in Palestinam. Idem Bonfinius *rer. Hungar. Decad. 2. lib. 7.*

[d] Teneatur regni iura seruare.] Imò & in Decretis eiusdem Regis datis anno 1222. forsan occasione huius negotij, datur facultas regnicolis resistendi regiæ Maiestati, si contraire voluerit dispositioni suæ factæ ad iura regni seruanda, & contradicendi.



TITVLVS XVI.

De exceptionibus.

Dilecto f. [a] *Abbati sancti Oberti Leodien. diœcesis,* [b] *& S. Ioannis &* [c] *S. Martini Decanis Leodien.*

CAPVT .I.



OLIM nostris fuit auribus intimatum, quòd cùm felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster mandasset ven. f. n. [d] Archiepiscopo Treueren. vt [e] compositionem [f] inter nobiles viros L. Comites Delos, & VV. de Hollandia [g] cruce signatos Traiecten. diœcesis, super raptu nobilis mulieris vxoris eiusdem Comitis, terris, & rebus alijs amicabiliter initam faceret obseruari: dicto VV. nitente contra compositionem venire prædictam, & se ad appellationis diffugium conuertente, idem Archiepiscopus eius appellationi non deferens, quam friuolam esse decreuit, in præfatum VV. qui aliàs erat vinculo excommunicationis adstrictus, specialiter propter cōpositionē prædictā excōmunicationis, & in terram eius interdicti sententias promulgauit. Cúmque postmodùm dil. f. G. dicti Comitis procurator nostras ad vos super executione sententiarū ipsarum litteras impetrasset, & H. procurator præfati VV. in audientia publicè contradixisset eisdem, ven. f. n. P. [h] Albanus Episcopus, & dil. fil. n. R. sanctæ Mariæ in Cosmed. diaconus Cardinalis, quos procuratoribus antedictis dedimus auditores, quia per ea quæ ab eisdem fuere proposita coram eis constitit manifestè dictum VV. excommunicationis vinculo esse innodatum, procuratorem eiusdem VV. ad impetrandum litteras, vel contradicendum admittendum non esse sententialiter decreuerunt, litteris quas ad vos dicti Comitis procurator impetrauerat absolutis. Nos quidem ad instantiā procuratoris Comitis sæpedicti, alterius partis astutiam metuentes vobis dedimus in mandatis, vt in commisso vobis negotio iuxta formam in prædictis litteris nostris expressam ratione præuiâ procedentes, litteras decerneretis carere viribus, si quas fortè à nobis super præmissis pro ipso VV. in præiudicium sæpedicti Comitis per subreptionem cōtingeret impetrari, quæ plenam de prædictis non faciant mentionem. Nuper autem ex parte memorati VV. fuit propositum coram nobis, quòd litteris prædicti prædecessoris nostri supradicto Archie-

piſcopo præſentatis, idem VV. excipiendo propoſuit coram eo, quòd autoritate litterarum ipſarum reſpondere minimè tenebatur; tum quia mortuo mandatore exſpirauerat iam mandatum; tum etiam quia vltra duas diætas extra ſuam diœceſim trahebatur in cauſam, contra conſtitutionem Concilij generalis: & quia dictus Archiepiſcopus has, & alias exceptiones eius legitimas admittere recuſabat, idē VV. vocē ad nos appellationis emiſit, ſed præfatus Archiepiſcopus ipſius appellatione contemptâ, mandauit ven. f. n. Epiſcopo Traiecten. vt compoſitionem præfatam faceret per cenſuras Eccleſiaſticas firmiter obſeruari. Adiectum etiam fuit ex parte prædicti VV. quòd dictus Comes appellationem friuolam mentiens antedictam, à nobis, excommunicatus exiſtens, veritate tacitâ litteras impetrauerat ſupradictas. Quare pro parte ipſius VV. fuit à nobis humiliter ſupplicatum, vt cùm idē, ac terra, & alia bona ſua ſub Apoſtolicæ ſedis protectione conſiſtant, ſuper hoc ſibi prouidere miſericorditer dignaremur, non obſtante k ſententiâ quam incurrerat cum Ludouico in Angliam trāſfretando, cùm ipſum abſoluerimus ab eadem. Nos igitur eidem ab excommunicationis vinculo abſoluto prouidere volentes,[l] Abbati ſancti Laurentij in Hoſtbroch, & coniudicibus ſuis per noſtras dedimus litteras in mandatis, vt ſi rem inuenirent taliter ſe habere, reuocato in irritum quidquid inuenirent poſt appellationem huiuſmodi attentatum, cauſam audirent, & fine debito terminarent; alioquin partes ad examen veſtrum remitterent, appellantem in expenſis legitimis condemnantes. Porrò ipſius Comitis procurator nouiſſimè propoſuit coram nobis litteras quas pro ipſo VV. ad eumdem Abbatem ſancti Laurentij & eius collegas direximus, ſubreptas eſſe per expreſſum mendacium & tacitam veritatem; nam nec iam dicti prædeceſſoris noſtri mandatum exſpirauerat cum mandante, prout nobis fuit ex parte VV. ſæpedicti ſuggeſtum, cùm ante mandatoris mortem Archiepiſcopus procedere incœpiſſet, nec idem VV. vltra duas diætas extra ſuam diœceſim trahebatur, cùm ipſe Archiepiſcopus terminum in tali loco ſtatuerit, qui remotus ab illo non erat vltra quàm prouiſum eſt per Conſtitutionem Concilij memorati. Adiecit etiam eiuſdem Comitis procurator, quòd ſæpedictus VV. autoritate iam dicti prædeceſſoris noſtri aliâ eſt excommunicatione ligatus, de qua in litteris ad iam dictum Abbatem ſancti Laurentij & coniudices eius directis nullam fecit penitus mentionem: quare petijt ſæpedicti Comitis procurator, vt eas, ob cauſas prædictas, decerneremus irritas & inanes. Quia verò in tanta iuris contrarietate proponētium nobis de veritate non conſtat

disc. v. m. quatenùs si procurator prædicti VV. infra tres menses post primum terminum sibi super hoc assignatum à nobis, probare potuerit exceptiones, quas coram Archiepiscopo proposuit sæpedicto; videlicet mandatum re integrâ exspirasse, vel se in causam trahi vltra duas diætas contra constitutionem Concilij generalis, seu etiam ipsum Comitem Delos excommunicatum fuisse tempore quo nostras ad vos litteras impetrauit, prout eiusdem VV. procurator exposuit coram nobis, vos, nisi dictus Comes probauerit sæpedictum VV. tempore quo litteræ ad Abbatem sancti Laurentij & eius coniudices pro eo directæ impetratæ fuerunt aliâ excommunicatione teneri ab ea quam incurrit cum Lodouico in Angliam transfretando, negotio supersedentes omnino iam dictum Abbatem sancti Laurentij & eius coniudices procedere permittatis iuxta traditam sibi formam. Procuratore verò sæpedicti VV. deficiente in exceptionum probatione dictarum, vel ipso Comite sufficienter probante dictum VV. tempore litterarū impetratarū pro eo, excommunicatione aliâ ab ea quam in Angliam transfretando incurrit fuisse ligatum, vos, litteris ad Abbatem sancti Laurentij & eius coniudices obtentis nequaquam obstantibus, in negotio ipso iuxta formam vobis traditam appel. postpositâ procedatis, nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint harum tenore tacito à sede Apostolica impetratis.

[a] ABBATI S. HVBERTI.] sic legendum. Abbatia S. Huberti ordinis S. Benedicti. Vide Miræum *Origin. Benedictin. cap.* 29. à Volcando Episcopo 35. Leodiensi, anno 825. fundata, vel Leodiū trāslata in honorem S. Huberti Principis Aquitani, vltimi Tungrensis, & primi Leodiensis Episcopi, eius denique vrbis conditoris, Arduennæ Apostoli, Thaumaturgi, Andainum aliàs vocatur hoc monasterium. Sigibertus *in Chronico anno* 824.

[b] S. IOANNIS.] Vide supra de hac Ecclesia ad *cap. Veniens* 1. *de renunciat.*

[c] S. MARTINI DECANO.] In Ecclesia dicata B. Martino VII. Episcopo Tungrensi in *Chronico SS. Belgij cap.* 1. Hasbanorum Apostolo, de quo Harigerus, 1. *tomo de gest. Leod. Episc.* & Molanus.

[d] ARCHIEPISCOPO TREVERENSI.] Ioanni 87. ex Imperatoris Cancellario, vel Theodorico II. Comiti de Vueda electo, anno 1213.

[e] COMPOSITIONEM.] Ioannes de Beka & Vuillelmus Heda, qui Chronicon Episcoporum Vltraiectensium, & Comitum Hollandiæ cōscripsêre, & fusè hanc historiam narrant, ne verbum quidem faciunt de hac compositione; imò Beka refert Ducem Limburgiæ trāsmissum ab vna parte ad aliam, vt tentaret de pace ac concordia, sed frustrà.

[f] INTER NOBILES VIROS.] Operæpretium est paulisper Historiam delibare, vt pleniorem huius cap. intelligentiam habeamus. Theoderico Comite Hollandiæ mortuo, relictâ vnicâ filiâ Adâ, & Vuillelmo fratre Comite Frisiæ Orientalis tutore designato, vidua eius Comitissa Adelheidis habens Vuillelmum exosum, & regni cupida, nondum adimpletis exsequijs mariti, quò summa rerum penès eam maneret, acciuit Ludouicum Comitem Lossensem ex arce Altenæ, cui properè aduenienti Dordracum, despondet Adam filiam, & nænijs miscentur nuptiæ. Vuillelmus Comes Frisiæ auditâ morte fratris, vt interesset exsequijs applicuit ad portum Zippe, sed repulsus est: cui multi proceres commiserati ob illatam iniuriam sese iungunt, & stimulos adijciunt, fidem dantes vt securus ad eos veniret. Conspirat ergo cum eis contra Adelheidem & Ludouicum, iuxta decretum Primorum Hollandię qui nec a muliere regi, nec extraneum Principem super eos dominari

volebant. Ludouicus & Adelheidis diffugiūt, Ada capta mittitur à Vuillermò in Texaliam: Vuillelmus fugato Ludouico Comitatum Hollandiæ obtinet, & cum Theoderico Episcopo Traiectensi, qui Ludouico fauerat pacem facit, & post obitum Adæ neptis dictum Comitatum à Federico Imperatore in feudum recipit, & XII. Comes Hollandiæ constituitur. Ad quem regnum Scotorum per obitum Magolini, vel Malgotini Regis auunculi sui iure hereditario deuoluebatur, & congregato exercitu cum Ludouico primogenito Philippi Augusti Franciæ Regis (postea Ludouico VIII.) transfretauit, multas vrbes regni illius sibi vindicans. Interim Ludouico Lossensi nouos motus concitante, reuocatus in Hollandiam Vuillelmus perpetuò eum ab Hollandia fugauit.

g Crvcesignatos.] Nauclerus in *Chronol. generat.* 41. inter principes Germanos Crucesignatos anno 1215. ponit Comitē Lossensem.

h P. Albanvs Episcopvs, *& R. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardin.*] Intelligit Pelagium, Hispanum, Episcopum Albanum, & Raynerium Capoccium Viterbiensem, maximâ, S. Dominico familiaritate cōiunctum, creatū Cardinalem tituli S. Mariæ in Cosmedin ab Innocentio III. anno 1212. vixit vsque ad annо 1250.

i Traiectensi.] Corruptè in vulgatis, Treuerensi. Traiectum, *Vtrecht*, ciuitas Episcopalis Frisiæ, Vltraiectum dicta ad differentiam Traiecti ad Mosam, *Maëstrich*. cuius tempore Honorij nostri Episcopus erat Otho de Lippia, qui sedit ab anno 1205. vsque ad annum 1225. & cuius infaustam mortem scribit Beka in *Chronico*.

k Sententia qvam incvrrerat.] Dum Scotiam peteret, vt sibi debitam post mortem auunculi recuperaret: & excommunicatus fuit cum Ludouico primogenito Philippi Augusti (qui Ioanni Regi Angliæ bellum intulerat) ab Innocentio III. qui receperat dictum Ioannem & regnum suum in clientelam Ecclesiæ Romanæ.

l Abbati S. Lavrentii.] Monasterij apud muros vrbis Leodiensis ordinis S. Benedicti, fundati anno 560. ab Heraclio, aucti à Notgero, exornati à Guolbodone, & perfecti à Raginardo Episcopis Leodiensibus. V. Miræum in *Chronico ordin. S. Benedicti, cap.* 58.

Episcopo [a] *Abbati sancti Sauini, &* [b] *Præposito Sanctæ Eufemiæ Plac.*

Capvt II.

Onquerente olim [c] Abbate sancti Sixti Plac. Monasterium suum esse à [d] communitate Cremonæ duabus partibus • castri & curtis Vuastallæ per violentiam exspoliatum, & eos curtem Lizariæ ad idem monasterium pertinentem contra iustitiam detinere; felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster bonæ memoriæ Episcopo Regino commisit huiusmodi quæstionem &c. & *infra*. Verùm ipsi procuratores quosdam non ad procedendum in causa prout acceperant in mandatis, sed potiùs ad Apostolicum iudicium declinandum ad nostram præsentiam destinarunt: qui licèt fori exceptionem opposuerint, sicut viri prudentes, ac in iure periti nobis multipliciter suadere studuerunt, quæstionem huiusmodi esse relinquendam iudicio seculari. Nos tamen habito super his f. n. consilio exceptionem ipsam non duximus admittendam. Non ponitur.

a Abbati S. Savini.] Nescio an S. Sauinus idem sit cum eo de quo loquitur, Hieron. Rubeus *lib. 6. Histor. Rauen.* dum ait S. Sauini Episcopi & martyris corpus eleuatum è pauimento templi D. Apollinaris, & positum in sacello S. Catharinæ eiusdem

templi anno 1266. à Philippo Archiepiſcopo Rauennate.

b PRAEPOSITO S. EVFEMIAE.] Dubium an B. Euſemia ſit eadem cum ea de qua idem Rubeus *lib.* 1. refert D. Apollinarem corpus B. Euſemiæ martyris Aquileienſis Rauennam detuliſſe, & ibi templum dedicaſſe.

c ABBATE S. SIXTI.] Monaſterium S. Sixti intrà vrbem Placentiam ordinis S. Benedicti, Congregationis Caſſinenſis.

d COMMVNITATE CREMONAE.] Hieron. Rubeus rectè notat hâc tempeſtate Italicas vrbes, ſpe libertatis quadam abuſas, & ciuium ſuorum inteſtinis bellis, & finitimarum oppugnationibus maximè agitatas fuiſſe.

e CASTRI ET CVRTIS VVASTALLAE.] Guaſtalla Principatus hodiè eſt domus Gonzagæ iuxta Padum, & propè Mantuam.

a *Epiſcopo Ebroicen.*

CAPVT III.



Non ponitur

INnotuit nobis P. de Samerijs laico intimante, quòd cùm G. de Haia quem bonæ memoriæ L. prædeceſſor tuus pro eo quòd poſt ſuſceptum ſubdiaconatus officium de facto cum quadam muliere contraxit, & ſicut laicus cohabitabat eidem, vinculo excommunicationis aſtrinxit, ipſum ſuper quadam hereditate coram ſeculari iudice conueniret; ipſe contra illum quòd excommunicatus eſſet & quòd ei non teneretur reſpondere excepit: & cùm dictus iudex paratus eſſet huiuſmodi exceptionem admittere, ſi ab ipſo laico probaretur, ſuper hoc ad te habuerit laicus ipſe recurſum: ſed tu efficere vt dictus excommunicatus vitari deberet, prout idem laicus aſſerit, noluiſti. Cùm autem, ſicut b in ſacris habetur canonibus, Epiſcopi excommunicatorum omnium nomina tam vicinis Epiſcopis, quàm ſuis parochianis indicare debeant, eáque in celebri loco poſita præ foribus Eccleſiæ cunctis conuenientibus inculcare, vt excommunicatis eccleſiaſticus aditus præcludatur vbique, ac excuſationis cauſa omnibus auferatur, f. t. mandamus, quatenus ſi præfatus prædeceſſor tuus ex huiuſmodi cauſa ſubdiaconum excommunicauit eumdem, petitioni ſuper hoc annuas laici memorati.

a EPISCOPO EBROICENSI.] *Eureux*, Rodulpho de Ciette, vel, Cierrey 27. Epiſcopo, aut Richardo 28. qui ſederunt ſub Honorio III. ſed verius eſt Rodulpho fuiſſe directum hoc reſcriptum, vtpotè cuius prædeceſſorem Lucam hic nominet Honorius, qui fuit 26. Epiſcopus Ebroicenſis.

b IN SACRIS CANONIBVS.] De excommunicatis clericis ab Eccleſia excludendis *can.* 9. ſynodi Neocæſar. *&* *can.* 1. ſynodi Antioch. ita vt externo etiam honore priuentur, τῆς ἔξωθεν τιμῆς, vt addit Balſamo, οὔτε γὰρ καθέδρας, οὔτε κλήσεως ἀξιωθήσονται, οὔτε μὴν ἑτέρου προνομίου ἱερατικοῦ. Id eſt, *neque enim Cathedræ, neque vocationis honore digni habebuntur, ſed nec alio ſacerdotali priuilegio*; ex quo nota vocem κλήσεως id eſt *vocationis*: ſolebant enim in Eccleſia nomina Clericorum publicè offerri, vt docui ex D. Cypriano *Epiſt. X.* & alijs locis, ad *titul. de cler. excommun. apud Gregor.* ſupprimebatur nomen excommunicatorum, vt eo ſilentio agnoſcerentur, ait D. Auguſtin. *Epiſt.* 128. & quod maximè facit ad hunc locum, vt ab omnibus excommunicati vitarentur, ſententia publicè promulgabatur in Eccleſia, atque etiam in triuijs & locis publicis, vt ex Euſebio, Nicephoro, & alijs probaui ad *titul. de ſent. excommun.* Ita fiebat apud Athenienſes, vt eorum qui ab Areopago arcebantur nomina in charta ſcriberentur, & hoc dicebatur, ἐκφυλλοφορῆσαι.

Archidiacono

Archidiacono, trans Ligerim, Officiali & I. Borelli Canonico Turon.

CAPVT IV.

Dilecti filij S. P. ac G. [a] Canonici Ecclesiæ sanctæ Mariæ Gratiac. transmissâ nobis petitione monstrarunt, quòd cùm M. Canonicus eiusdem Ecclesiæ, Bituricen. diœcesis, ipsos coram Decano, & Magistro Herueo Canonico Altissiodoren. delegatis à nobis traxisset in causam, super eo quòd se opponunt electioni à quibusdam Canonicis Gratiac. factæ de ipso in Priorem Ecclesiæ supradictæ, & ijdem proposuerunt coram præfatis iudicibus, quòd dictus M. non debebat audiri, eò quòd excommunicatus erat, & periurij crimine irretitus. Cúmque dictus M. præfatis G. ac P. periurium & S. excõmunicationem in modum replicationis obijciens, per hoc eorum exceptionem elidere niteretur, procurator eorum proposuit, quòd licèt iudices præfato M. ad probandam replicaionem suam terminum assignassent, eius tamen super hoc recipiprobatio non debebat; quia etiamsi obiectum præfatis Canonicis periurium probaretur, non essent tamen propter hoc à defensione suæ Ecclesiæ repellendi. Adiecit etiam quòd contra excommunicationem dicto M. in modum exceptionis obiectam, excommunicatio supradicti S. replicari non poterat cum effectu; tum quia suæ absolutionis litteras ostendebat, tum quia exceptio ipsi M. opposita eumdem probata repelleret ab agendo. Replicatio verò sæpedictum S. nequaquam à defendendo repelleret, si etiam probaretur. Quare petebat, vt omissis huiusmodi replicationis probationibus, in quibus etiam si probarentur, labor vt præostensum est consumeretur inanis, probationes reciperent quas ad probandum obiecta ipsi M. ducerent producendas: Ipsi verò iudices interlocuti fuerunt, quòd priùs probationes reciperent quas ad probandum sæpedictam replicationem produceret M. prædictus: propter quod idem procurator nostram audientiam appellauit. Quocirca disc. v. mandamus quòd si res ita se habet, reuocato in irritum si quid post huiusmodi appellationem inueneritis temerè attentatum, audiatis causam, & quod canonicum fuerit, appellatione postpositâ, statuatis.

a CANONICI S. MARIAE GRATIACENSIS.] Capitulum B. Mariæ de Graciaco, *Nostre Dame de Graçay*, diœcesis. Bituricensis, pendet à Capitulo Vastiniensi, *de Vatan*, sub Archipresbyteratu de Graciaco.



TITVLVS XVII.

De Præſcriptionibus.

[a] *Priori, & Conuentui Lateran.*

CAPVT I.



EDIS Apoſtolicæ circumſpectio, quæ circa omnes Eccleſias ſuæ prouidentiæ conſueuit habere conſilium, illarum indemnitatibus propenſiori debet ſtudio præcauere, quæ ipſi tamquam membra capiti cohærentes ſpecialis ſibi neceſſitudinis vinculo ſunt adſtrictæ. Inde eſt quòd cùm Lateran. Eccleſia ſpeciale membrum Apoſtolicæ ſedis & [b] Romani pontificis propria ſedes exiſtat, ſtatuimus & ſancimus, vt ſicut contra Romanam Eccleſiam non niſi centenaria currit pręſcriptio, ſecundùm conſtitutiones canonicas & legitimas ſanctiones, ita quoque ipſi Eccleſiæ minoris temporis præſcriptio non obſiſtat.

[a] PRIORI ET CONVENTVI LATERANENSI.] Canonicorum Regularium D. Auguſtini. Præſcriptionem centenariam in gratiam Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, vtpotè ſpeciale membrum ſedis Apoſtolicæ introduxit Honorius; eo argumento quòd illa tantùm locum habuerit contra Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum, vt ſcilicet vbicunque terrarum ſedes Romana poſſeſſiones habuerit, hâc præſcriptione fulciatur, & conſtitutio Iuſtiniani locum tantùm habeat, *can. 16. q. 3.* Quam quidem Nouellam ad Eccleſias Orientis tantùm pertinere docuit Cuiacius, quum tamen & Occidentales comprehenderit, vt ex Nouella IX. oſtenditur. Originem quidem centenariæ præſcriptionis in gratiam Emeſenæ Eccleſiæ introductam fuiſſe notatur ex Procopio in *Hiſtoria arcana*, & conſequenter ad Romanam Eccleſiam traductam, vt iam annotaui ad *titul. de præſcript. apud Gregor.* Quod autem in *cap. 13.* & 14. *eod. tit.* per Romanam Eccleſiam intelligere vult Cuiacius Eccleſiam S. Petri, non eſt exaudiendum; ſiquidem Eccleſia S. Petri non eſt præcipua ſedes: imò verò Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis, vt ipſe Honorius profitetur *hoc cap.* in qua quidem ſolent conſecrari ſummi Pontifices, & deinde in Eccleſia S. Petri coronari, vt teſtantur qui vitas Pontificum conſcripſerunt. Quinque etenim ſedes Patriarchales conſtitutæ fuerunt Romæ. Prima & præcipua, & vt caput reliquarum Laterani; ſecunda quæ eſt Conſtantinopolitani Patriarchæ ad S. Petrum: Tertia Alexandrini ad S. Paulum; Quarta Antiocheni ad S. Mariam Maiorem, & Quinta Hieroſolymitani ad S. Laurentium. Quæ quatuor vltimæ ſunt membra Baſilicæ Lateranenſis, quæ propriè dicitur Eccleſia Romana, vt annotauit Onuphrius *tractatu de Epiſcopat. & Titul.* Sed dicet aliquis, cur igitur in hoc cap. Honorius idem priuilegium Lateranenſi Eccleſiæ, quod Romanæ indulget, quum Lateranēſis eadem ſit cum Romana, & tamen videtur diſtinguere? An quia cùm dicit Romanam Eccleſiam intelligit vniuerſalem? at hìc agitur peculiariter de Baſilica, ſeu templo Lateranenſi, prout ſuo ambitu continetur. Vel potiùs exiſtimarim Honorium hoc priuilegium indulgere non tam Baſilicæ Lateranenſi, quàm perſonis & rebus ex ipſa dependentibus, pro quibus dubitatio fieri poterat, cùm non propriè ſub titulo Romanæ Eccleſiæ comprehenderentur. Et hoc confirmare videtur inſcriptio huius capitis, quæ eſt, *Priori, & Conuentui Lateranenſi*, ex quo colligere licet in

gratiam personarum hoc indulsisse Honorium. Ceterùm nescio an hoc Priuilegium intelligat Pennottus in *Historia Clericorum Canonicorum lib. 3. cap. 52.* dum ait Honorium III. anno 1. sui Pontificatus insigne priuilegium suo Monasterio Lateranensi (in quo Canonicus fuerat) grati animi significatione contulisse 4. Idus Nouembris, Indictione v. per manum Rayneri Prioris S. Frigdiani; quod etiam referunt Onuphrius *lib. de Roman. Pontific.* & *lib. 5. de Eccles. Lateran. cap. 2. & 3.* Raphaël Volaterranus *lib. 21.* & Laërtius Cherubinus in *Bullario*: nemo autem illorum dicit quale esset istud priuilegium.

b ROMANI PONTIFICIS PROPRIA SEDES.] Notat enim Onuphrius in *dicto Tractatu de Episcop. & Titul.* Pontifices Romanos in Patriarchio iuxta Lateranensem Basilicam, seu S. Saluatoris, vel Constantinianam fabricato per mille annos commoratos fuisse, videlicet vsque ad Clementis V. Pontificatum.



TITVLVS XVIII.

De Sententia, & re iudicata.

[a] *Petro Leonis* [b] *de Corneto.*

CAPVT I.




CVM causam quæ inter te ex parte vna, & Benedictum syndicum communitatis Cornetan. nomine ipsius communitatis ex altera vertebatur, dilecto f. n. O. Sanctorum Sergij & Bacchi Diacono Cardinali duxerimus committendam, tu syndico ipso præsente in eiusdem Cardinalis proposuisti præsentia, quòd Potestas, rectores, syndicus, & populus Cornetanus, pro eo quòd P. & Phi. laicos de Corneto super quadam vinea, horto, & territorio autoritate nostrâ conueneras, priusquàm super his fuisset in eorum curia quæstio agitata, domum tuam autoritate propriâ destruxerunt, in hoc & alijs damna tibi vsque ad centum librarum Pisan. valentiam irrogando, exceptis expensis occasione huiusmodi à te factis, quas summam mille solidorum monetæ ipsius excedere asserebas, de quibus omnibus tibi petebas iustitiam exhiberi. Prædictus verò syndicus proposuit ex aduerso, quòd cùm contineatur in [d] statuto Corneti ad cuius obseruantiam Cornetarij præstito iuramento tenentur, vt si qua quæstio inter aliquos eorum suboritur, priùs de ipsa cognosci debeat in curia Cornetana, quia tu Curiâ ipsâ omissâ prædictos P. & Phi. apud sedem Apostolicã conuenisti contra prædictũ statutum temerè veniẽdo, Consules Cornet. qui tunc erant domum tuam sicut modò apparet autoritate ipsius, pro eo quòd contra ipsum veneras licitè diruerunt. Quare memoratus syndicus asserebat, te non esse super præmissis aliquatenus audiendum. Præfatus autem Cardinalis his & Non ponitur.

alijs quæ coram eo fuere proposita pleniùs intellectis, & nobis fideliter recitatis, de mandato nostro & fratrum nostrorum consilio, supradictum syndicum nomine communitatis prædictæ, non obstante quòd postquàm fuit in causa conclusum procurator quem ipse reliquerat recessit contumaciter, propter destructionem domus, damna, & expensas, super damnis tamen & expensis taxatione ipsius Cardinalis & tuo iuramento præmissis, in centum libris Pisanorum tibi sententialiter condemnauit, iuramento quod de seruando prædicto statuto præstitum esse dicitur nullum præiudicium afferente, cum omninò sit contrarium iuramento quo iura Ecclesiæ Romanæ seruare tenentur. Nos itaque quod per eumdem Cardinalem super his prouidè actum est ratum habentes, autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scriptura paginæ communimus.

[a] PETRO LEONIS.] Forsan hic erat ex familia, vel gente Leonis illustri in Vrbe, tempore Innocentij III. de qua vide Gesta ipsius Innocentij.
[b] DE CORNETO.] Cornetum est vrbs Episcopalis in Tusciæ finibus, versùs Latium post Martam fluuium in colle, sic dicta à cornu huius vrbis insigni.
[c] O. SANCTORVM SERGII ET BACCHI.] Intelligit Octauianum ex illustri familia Comitum Signiensium Diaconũ. Card. tit. SS. Sergij & Bacchi creatum anno 1206. & Camerarium Ecclesiæ Romanæ ab Innocentio III. propinquo suo. Vixit vsque ad Pontificatum Gregorij IX. & mortuus est Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ.
[d] STATVTO CORNETI.] De statutis Ciuitatum Italiæ suprà diximus: omnes ferè ciuitates in præiudicium Romanæ Ecclesiæ leges, & statuta condiderant, iuri humano & diuino contraria, quæ ciues præstito iuramento seruare nitebantur; & quæ Fridericus sua Constitutione sustulit, vt ostendimus *supra, ad cap. 2. & 7. de Constitut. & ad Cap. 2. de restitut. in integr.*

CAPVT II.

Non ponitur.



DIlecti filij A. & O. & L. monachi [a] monasterij Aquæ nigræ transmissâ nobis petitione monstrarunt, quòd cùm S. quondam Abbas ipsius monasterij Brixien. diœcesis suis culpis exigentibus ab eius regimine per vos sententialiter sit amotus, idem S. sententiæ vestræ temerarius violator monasterium ipsum nihilominùs per violentiam detentare præsumit in propriæ salutis dispendium, graue scandalum plurimorum, & Apostolicæ sedis iniuriam & contemptum: his etiam non contentus vobis mendaciter suggerens se Abbatem, ad diuersos iudices diuersas contra eosdem monachos litteras impetrauit, quarum autoritate ipsos multiplici molestatione fatigans in eosdem de facto excommunicationis fecit sententiam promulgari. Ne igitur illius temeritas alijs transeat in exemplum, si non fuerit debitâ castigatione repressa f. v. p. a. s. m. quatenus si est ita, dictum S. vt vestræ sententiæ parens humiliter, non obstante

quòd post ipsam se asserit reelectum, monasterium ipsum omnino dimittat, & à qualibet dictorum monachorum molestatione desistat, monitione præmissa per censuras Ecclesiasticas appel. rem. contra litteras quoque quas sæpedictus S. vsurpato sibi Abbatis nomine dicitur impetrasse, ac quidquid est earum autoritate præsumptum denuntietis penitus non tenere.

EPigraphe deest in omnibus MSS.
a MONASTERII AQVAE NIGRAE.] Monasterium hoc est in diœcesi Brixiensi, *Brescia*, dominij Veneti ad Ollium Pado influens iuxta Macheriam oppidum.

TITVLVS XIX.

De appellationibus.

Decano, Cancellario, & Cantori Lincoln.

CAPVT I.



CVM causam quæ inter dilectos filios Abbatem & fratres de Valle sancti Ioannis de Croston. Præmonstratensis Ordinis ex parte vna; & Priorem & Canonicos a de Nouo loco Ebor. diœcesis ex altera, super Ecclesia de Hechemale vertitur, vtriusque partis procuratoribus apud sedē Apostolicam constitutis d. f. n. b R. sancti Angeli Diacono Cardinali commisimus audiendam. P. & B. Procuratores prædictorum Abbatis & fratrum in ipsius præsentia constituti petebant instanter, vt processum approbantes c de Hicheualle & d Bellandæ Abbatum & e Prioris de Molton; quibus à bonæ memoriæ I. Papa præd. nostro eadem causa fuerat delegata, causam ipsam quæ tanto tempore iam durauerat dignaremur sententialiter terminare. VV. verò procurator prædictorum Prioris & Canonicorum proposuit ex aduerso, quòd coram prædictis iudicibus lis non fuerat contestata, sed perperam processerant ex abrupto: nam cùm die statutâ idem coram subdelegatis iudicibus eorumdem comparens inducias ad proponendum exceptiones dilatorias petiuisset, quòd Aduocatus ipsius ductus errore respondit, quòd Ecclesia de Nouo loco, Ecclesiam ipsam de qua erat quæstio, per quadraginta annos & ampliùs pacificè possederat & quietè, licèt ipse eâdē die Aduocati errorem corrigens ipsius responsionem, quæ suæ petitioni contradicere videbatur, ne per eam aliquod sibi posset præiudicium generari, pro eo quòd ante litis contestationem sunt exceptio-

nes dilatoriæ proponendæ, coram eisdem iudicibus reuocarat. Iudices tamen per huiusmodi responsionem erroneam Aduocati, litem contestatam fore credentes, non solùm ad receptionem & examinationem testium partis alterius temerè processerunt; sed etiam grauamini grauamen addentes cùm examinationem quorũdam testiũ Priori de Vellebeo, & suo coniudici delegassent, qui vices suas subdelegarunt alijs contra canonicas sanctiones, receptionem & examinationem testium ab ipsis de facto, cùm de iure nequiuerint, factam minùs prouidè approbarunt: propter quæ grauamina ex parte præfatorum Prioris & Canonicorum ad sedem fuit Apostolicam appellatum: vnde idem procurator cum instantia postulabat, vt memoratum iudicum processum decerneremus irritum & inanem. Quia verò super præmissis nobis non potuit fieri plena fides. disc. v. de vtriusque partis procuratorum assensu mandamus, quòd si dicti Prior & Canonici de Nouo loco infra tres menses post susceptionem præsentium legitimè probauerint coram vobis, quòd per præfatum VV. procuratorem ipsorum eadem die Aduocati responsio extitit reuocata, quia sic per consequens lis contestata non fuit, cùm etiam procuratores alterius partis recognouerint litem non aliter, quàm per dicti Aduocati responsionẽ præscriptionem temporis allegantis contestatam fuisse; vel quòd primi delegati, videlicet [f] Abbas de Riuallis & eius collegæ testes receptos à subdelegatis subdelegatorum iudicum, sicut ab altera parte proponitur approbarint, cùm secundùm canonicas, & legitimas sanctiones non nisi delegatus à principe causam alijs valeat delegare, quidquid ab ipsis post appellationem prædictam est factum, dummodò hæc in appellatione ipsa expressa fuerint, denuntietis irritum & inane.

[a] DE NOVO LOCO.] Monasterium Neuarkæ, seu de Nouo loco S. Mariæ & S. Thomæ martyris est in Comitatu Surreyæ sub Vuintoniensi Episcopo.

[b] R. S. ANGELI DIACONO CARDINALI.] Romano de Bonauentura ciui Romano, creato Cardinali anno 1213. ab Innocentio III. qui post mortem Philippi Augusti missus fuit Legatus ab Honorio nostro in Franciam, contra hæreticos Albigenses, vbi prudentiâ suâ Ludouicum VIII. ad sumendam Crucem induxit, Comitem Tolosanum fautorem hæreticorum excommunicauit in synodo Bituricensi. Vide Guillelmum de Podio Laurentio *cap.* 34. & C. V. Guillelm. de Catel *in Histor. Tolos. lib.* 2. *Pag.* 325. & 328. Vixit vsque ad annum 1242.

[c] DE HICHEVILLE.] Vnus codex MS. habet de *Riuenalle*, legendum est *de Riesalle* de quo paulò pòst.

[d] BELLANDAE ABBATEM.] Legendum Bellelandæ. Monasterium Bellelandæ est in diœcesi Eboracensi, cuius originem describit Guillelm. Neubrigens. *de reb. Anglicis lib.* 1. *cap.* 15.

[e] PRIORIS DE MOLTON.] Legendum est de *Merton*. Monasterium est in Comitatu Surreyæ sub Archiepiscopo Vuintoniensi fundatum à Gisleberto Normanno, & celeberrimum Comitijs sub Henrico III. Guil. Camden. in *Britannia sua.*

[f] ABBAS DE RIVALLIS.] Legendum est Rieuallis. Monasterium Rieuallis est quoque in diœcesi Eboracensi ordinis Cisterciensis, cuius fundationem quoque refert prædictus Guillelm. Neubrig. *lib.* 1. *cap.* 14.

Sensum huius capitis elicere debemus ex Notatis *supra ad cap. dilectam. de Transact.*

Decano, Thesaurario, & P. Petri Canonico Zamor.

CAPVT II.

DIlecto F.G. Capellano nostro, D. presbytero, & I. Episcopi, & G. Capituli Salmant. procuratoribus à nobis auditore concesso, procurator Capituli pro se & procuratore ipsius Episcopi proposuit coram eo, quòd cùm dictus presbyter super receptione sua in Salmant. Ecclesia executorias à nobis ad [a] Archid. Ciuitaten. & collegas eius litteras impetrasset: partibus coram eisdem executoribus constitutis, fuit ex parte ipsorum Episcopi, & Capituli allegatum, quòd cùm in ipsa Ecclesia sit certus numerus Canonicorum iuramento firmatus, de quo in litteris ad eos directis mentio non fiebat, per eas contra ipsos procedere non debebant: & ne aliter facerent fuit ad audientiam nostram, assignatis quibusdam alijs causis legitimis appellatum Sed ipsi executores huiusmodi appellatione contemptâ, excommunicationis sententiam in Episcopum & Capitulum protulerunt. Quare petebat procurator prædictus sententiam ipsam irritam nuntiari, & dictum presbyterum super hoc ab eorumdem Episcopi & Capituli vexatione compesci. *& infra.* Quoniam igitur, & si per confessionem ipsius presbyteri factam coram Auditore prædicto constitit Salmant. Ecclesiam habere certum Canonicorum numerum iuramento firmatum, & huiusmodi exceptionem fuisse propositam coram executoribus supradictis, & etiam quòd appellatum extitit ab eisdem; quia tamen non constitit quòd propter exceptionem huiusmodi non admissam, aliāve legitimam causam fuerit appellatum, disc. v. m. quatenus si vobis constiterit præfatam exceptionem de certo Canonicorum numero iuramento firmato, vel alias exceptiones legitimas fuisse propositas coram ipsis executoribus, nec admissas, ideò partem Episcopi & Capituli appellasse, ipsorum executorum denuntietis processum irritum & inanem.

[a] ARCHIDIACONO CIVITATENSI.] Ciuitatensis, *Ciudad Rodrigo* de qua suprà.

Apertissimum est quod *hoc cap.* continetur, tum de non augendo numero Canonicorum in Ecclesijs vbi est certus numerus iuramento confirmatus, vt supra ad *cap. 5. de constitut.* annotauimus; tum excommunicationem post appellationem esse ipso iure nullā, vt nominatim exprimitur, quod omisit Raimundus, & probatur ex *cap. solicitudinem*, *hoc tit. apud Gregor.*

[a] *Sancti Andreæ, & Diuichesd. Archidiacono, & Magistro Ioanni, Canonico Diuichesd.*

CAPVT III.



NIcolao militi, ac fratri E. monacho monasterij[b] sanctæ Mariæ de Drundann. Cisterciensis Ordinis, diœcesis Candidæ Casæ apud sedem Apostolicam constitutis, dil. fratrem nostrum[c] S. sancti Adriani diaconum Cardinalem concessimus auditorem; in cuius præsentia, cùm dictus monachus nonnisi ad impetrandum & contradicendum procurator fuerit constitutus, sicut ex litteris dictorum Abbatis & conuentus constitit euidenter, supplicauit humiliter idem miles, vt contra ipsos tamquam contumaces procedere deberemus, ac dare aliquibus in mandatis, qui eosdem pro eo quòd ad prosequendam appellationem emissam procuratorem minùs idoneum destinarunt, ipso eamdem personaliter prosequente, in resarciendis sibi damnis, & expensis legitimè condemnantes, eo priùs sicut iustum fuerit restituto audiant, super his, quæ contra prædictos Abbatem & conuentum præfatus miles rationabiliter duxerit proponenda. Quia verò nobis super præmissis non potuit fieri plena fides de assensu militis & monachi prædictorum, disc. v. m. quatenus si vobis constiterit dictos Abbatem & conuentum appellationi suæ terminum præfixisse, cùm ad prosequendum eamdem sufficientem procuratorem non miserint, memorato milite ipsam personaliter prosequente, ipsos ad restituendas expensas à tempore appellationis factas, eidem militi condemnantes, eodémque sicut iustum fuerit primitus restituto, audiatis causam & appellatione remotâ fine debito terminetis.

[a] S. ANDREAE, ET DVNCKELDENSI ARCHID. *& M. Ioanni Canonico Dunckeldensi.*] sic corrigenda est epigraphe. Dunckeldensis est hodiè primus suffraganeus Archiepiscopi S. Andreę in Scotia, *sainct Androns*, aut, *S. Ander*, quæ sedes Primatus est Scotiæ, de qua videndus Hector Boëth. in *Histor Scotor. lib.* 11. & eius Appendix.

[b] S. MARIAE DE DRVNDANIAM, *vel, de Varundaniam diœcesis Candidæ Casæ.*] Ciuitas Candidæ Casæ, hodiè *Vuithorn.* Episcopalis in Scotia sub Glascoënsi Archiepiscopo, *Glasco.* Vide Guillelm. Camdenum. De ista Ecclesia sic loquitur Henricus Huntidoniensis *Histor. Anglic. lib.* 3. Anno 565. *Colomba de Hibernia Abbas venit ad Pictos septentrionales, quorum sedem Episcopatus S. Martini nomine instituit, vbi ipse Columba sepultus est. Qui locus vulgò vocatur ad Candidam Casam, eò quòd ibi Ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit.*

Hic quæstio est de Procuratore ab appellante constituto ad impetrandum & contradicendum, non verò ad litem integrè prosequendam. In quo distinctio Glossæ aduertenda est, verùm appellatio fuerit vel à Iudice, vel à parte appellata approbata, & tunc sinè dubio procurator constitutus ad impetrandum tantùm & contradicendum minùs idoneus

neus est: quòd si appellatio nec à Iudice, nec ab appellato fuerit approbata, procurator ille idoneus maximè est; & hic est sensus *cap. interposita.70. apud Gregor.* Et hæc erat dubitatio in *hoc cap.* an appellatio fuerat tam à Iudice quàm à milite approbata, quo casu iudex delegatus Abbatem & Conuentum in expensis condemnare debet, quod non idoneũ procuratorem miserit, sed tantùm ad impetrandum & contradicendum, quæ verba interpretatur Cuiacius ad litteras necessarias impetrandas, vel ad contradicendum ijs qui aliquid contrà impetrare tentassent; non verò ad agendum & prosequendum, sed potiùs ad gerendum. Sed quæro, an esset opus constituere procuratorem ad agendum? sinè dubio, quia appellans suam appellationem prosequi tenetur intrà annum, vel biennium vt dicitur in *cap. 8. eod.* alioquin deserta appellatio censebitur, & coram iudice à quo appellatum, litem prosequi poterit pars aduersa, *Clement. 3. hoc tit.*

c S. SANCTI ADRIANI DIACONVM CARDINALEM.] Stephanum, creatum anno 216. Diaconum Cardinalem titul. S. Adriani ab Honorio nostro, qui eum ad decidendas causas Ecclesiasticas continuò delegauit. Factus est à Gregorio IX. Archipresbyter S. Petri, & Vicarius generalis, vixit vsque ad annũ 1254.

a *Episcopo Martin. N. Presbytero Canonico Tuscan.*

CAPVT IV.

SVA nobis Reinerius tutor filiorum quondam B. ciuis Tuscan. petitione monstrauit, quòd cùm inter ipsum ex parte vna, & F. pro se, ac Petrum Campumallum tutorem V. conciues suos ex altera, super quadam pecuniæ summa & rebus alijs coram R. tunc iudice Comitatus Tuscan. non ex delegatione Apostolica quæstio verteretur, idem diffinitiuam pro eodem R. sententiam promulgauit, quæ bis fuit per iudices delegatos à sede Apostolica confirmata; & licèt Petrus Picheta Canonicus Tuscan. cui executionem ipsius sententiæ dicimur commisisse, ipsum in possessionem quarumdam domorum & aliarum rerum legitimè induxisset, quia pars altera, quæ ab aliorum delegatorum cognitione semel & iterum appellauerat, tertiò vocem ad nos appellationis emittens contra legitimas sanctiones, dilecto F. Petro Seuerini Canonico Tuscan. & eius collegæ cognitionem ipsius sententiæ à nobis obtinuit delegari; illi prout erant contra eum plus debito animosi à possessione prædicta contra iustitiam eiecerunt eumdem. Cúmque dilectus f. n. R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, super appellatione tertiò ad nos emissa vtrique parti à nobis datus auditor interlocutus fuerit illos non potuisse de iure tertiò appellare, nos prædicto P. Seuerini & eius collegæ nostris dedimus litteris in mandatis, vt in negotio ipso nequaquam procedere attentarent.

a INcerta est huius Cap. epigraphe, MSS. habent *Episcopo Martinensi, N. Presbytero Canonico Tuscanensi*, vulgati, *Episcopo Mantinensi, & P. Canonico Tuscan.* Neutri benè. Nullus est Episcopatus Martinensis, vel Mantinensis. Dicerem legendum Episcopo Marinensi. Visitur enim in via Latina Romà Neapolim versùs, locus Marinum dictus ab antiqua

Mariana villa propè Tusculum nobilitatum M. Tullij quæstionibus, hodiè *Frescati*; est vrbs Episcopalis duodecim milliaribus ab Vrbe distans, amœnus summorum Pontificum secessus. Sed in nullo Prouinciali antiquo vel nouo reperitur Marini Episcopatus. Propè Tuscanensem ciuitatem est quoque Martæ Castrum, Lartes oppidum Catoni, de quo hanc inscriptionem intelligendam esse videretur, si castrum hoc Cathedrâ Episcopali decoratum esset. His reiectis opinionibus censeo hanc epigraphen sic reponendam, *Episcopo, Martino, & P. Canonicis Tuscanensibus*. De Tuscanensi Episcopatu dictum supra.

Magistro G. [a] *Archid. & Officiali Lemouicen. &* [b] *Archipresbytero de Nontron Lemouic. diœcesis.*

Capvt V.



Dilecti f. Prior & conuentus de Lacu rubro transmissâ nobis petitione monstrarunt, quòd cùm inter ipsos ex parte vna, & F. de Hambaro militem Claromont. Diœcesis ex altera, super quodam nemore & rebus alijs coram magistro A. Canonico Claromont. [c] non ex delegatione Apostolica quæstio verteretur, idem miles ad ven. f. n. [d] Bituricen. Archiepiscopum frustratoriè vocem appellationis emittens, causam super his Officiali Bituricensi obtinuit delegari: coram quo ex parte prædictorum Prioris & conuentus fuit excipiendo propositum, quòd cùm omisso diœcesano Episcopo fuisset ad eumdem Archiepiscopum appellatum, ad quem gradatim fuerat appellandum, in causa ipsa de iure procedere non poterat, nec debebat: sed quia dictus Officialis huiusmodi eorum exceptionem admittere denegabat, ipsi ad nostram audientiam appellarunt: at ille ipsorum appellatione contemptâ suspensionis & interdicti tulit sententias in eosdem. Quocirca disc. v. m. quatenus si dictas sententias post huiusmodi appellationem inueneritis esse latas, denuntietis eas penitus non tenere.

[a] Archidiacono Lemovicensi.] Archidiacono de Malamorte, qui vnicus est in Ecclesia Lemouicensi.

[b] Archipresbytero de Nontron.] sic legendum est, tertius Archipresbyteratus in diœcesi Lemouicensi.

[c] Non ex delegatione Apostolica.] Hæc verba desunt in editione vulgari, quum tamen in tribus MSS. reperiantur, sicut & in *cap. sequ.*

[d] Bitvricensem Archiepiscopvm.] Simonem de Soliaco. Tota mens huius cap. eò tendit, vt ponatur differentia inter iudicem ordinarium, & datum. Si Episcopus iudices dederit, appellatio deuoluitur ad Episcopum non ad Metropolitanum: sicut iure ciuili si Magistratus dederit iudices ad ipsum fit appellatio *l. 3. qui, & à quo appelletur*. Aliud est si mandata fuerit iurisdictio, quia tunc mandatarius non vice suâ, sed mandantis agit, *l. sibi. de Iurisdict.* Quòd si iudex ordinarius Episcopi, vt est Officialis, seu Vicari⁹, tunc omisso Episcopo ad Metropolitanum reuertitur, quia vices agit Episcopi, & eandem personam sustinet: quæ quidem colligenda sunt ex Glossa, quam sequitur Cuiacius. Hic autem Canonicus Claromontensis non fuit Vicarius, seu Officialis Episcopi, sed Iudex delegatus à sũmo Pontifice, non datus ab Episcopo, vt existimauit Cuiacius, quod verba hæc de-

monstrant, *Coram A. Canonico Claromontensi rei ex delegatione apostolica quæstio verteretur* : à quo miles frustratoriè appellauit ad Archiepiscopum Bituricensem, ad quem *cap. Sane. de offic. & potest. iud. deleg. & cap. Pastoralis de offic. iud. ordin.* appellare non potuit quia maior erat hic iudex Archiepiscopo in ea causa. Sed erat frustratoria aut moratoria appellatio, *causâ subterfugij*, vt loquitur, *cap. Quæstioni* 21. *de appellat.* Quem appellationis defectum agnoscens, à summo Pontifice Officiali Bituricensi causam delegari obtinuit. Ex quibus constat frustrà hoc cap. adduci à Cuiacio in quæstione appellationis ad Archiepiscopum, omisso medio, in quo multùm laborat in ponenda distinctione iudicis dati ab Episcopo, & Officialis, de qua nihil omnino in *hoc cap.*

---

[a] *Abbati sancti Dionysii, Decano, & Magistro Coll.*

Caput VI.



SIgnificauerunt nobis ven. f. n. [b] Episcopus, & dil. f. Decanus, & Capitulum Beluacen. quòd magister I. Siluanecten. Rothomagen. Canonicus olim pro assequenda in Ecclesia Beluacensi præbenda nostras ad [c] bonæ memoriæ Episcopum Parisien. & eius collegas litteras executorias impetrauit; cúmque ijdem partes ad suam præsentiam conuocassent, pars prædictorum Episcopi & Capituli recusarunt ipsum Parisien. Episcopum, vt suspectum; pro eo quòd Aduocatum partis alterius clericum & commensalem suum contra eos in causa eadem eis reclamantibus admittebat, cùm dixisset publicè, sicut erant parati sufficienter probare, se scire firmiter tanquam qui in tractatu ipsius negotij fuerat corã ipso Episcopo, qualiter res esset huiusmodi processura, atque ad cognoscendum de causa suspitionis huiusmodi arbitros petierunt; quos quia ipsi iudices denegauerunt eisdem, pro parte ipsorum fuit ad nostram audientiam appellatum. Quocirca mandamus quatenus si est ita, reuocato in statum debitum quidquid post appellationem huiusmodi inueneritis temerè attentatum, in causa iuxta priorum continentiam litterarum app. remotâ, ratione præuiâ procedatis. Non ponitur.

[a] ABBATI S. DIONYSII.] Petro de Antolio, *d'Antueil* 42. Abbati huius regij Monasterij.

[b] EPISCOPVS BELVACENSIS.] Philippus filius Roberti Comitis Drocarum 57. Episcopus Beluacensis, vel, Milo de Nantolio 58.

[c] BONAE MEMORIAE PARISIENSEM EPISCOPVM.] Petrum 2. Camb. 72. Episcopum Parisiensem, vel Guillelmum 2. de Siligniaco *de Seligny* 73. Episcopum, vel Bartholomæum 74. qui vixerunt sub Honorio III. Hic recusatio proponitur aduersùs Episcopum Parisiensem ad quem litteræ executoriæ directæ fuerant, ex eo quòd Aduocatus partis aduersæ eius esset commensalis, & cum quo tractatum huius negotij habuerat. Idem statuitur hic de Iudice, quod de teste à Callistrato in *l. 3. de testib.* & Tullius, *orat. pro L. Flacco* dicit *Ne accusatoris confessoribus, conuiuis, contubernalibus ciuem ac supplicem vestrum dederitis.* Hoc loco Commensalis idem est qui Græcis συντράπεζος, quem σύγκλιτον, id est *contoralem* vocasse Menandrum scribit Pollux lib. 6. cap. 1. Hesychius χορτοῦ βερβάλιον.

TITVLVS XX.

De confirmatione vtili, vel inutili.

[a] *Illustri Regi, & dill. ff Nobilibus viris* [b] *H. Nato &* [c] *Balliuis eius, necnon* [d] *Comestabulo* [e] *Baronibus, Militibus, & alijs omnibus vniuersis Cypri.*

CAPVT I.



Enerabilis f. n. [f] Archiepiscopus Nicosien. & suffraganei eius transmissâ nobis petitione monstrarunt, quòd inter ipsos ex parte vna, & vos ex altera, super quibusdam decimis, possessionibus, & rebus alijs, mediante ven. f. nostro [g] Alban. Episcopo, tunc fungente legatione in partibus Orientis, amicabilis compositio interuenit, hoc expressè adiecto, quòd quantocyùs eam autoritate Apostolicâ confirmari contingeret, statim deberet executioni mandari. Verùm licèt ipsa sit per nos compositio confirmata, & ad maioris rei euidentiam litteris confirmationis tenor compositionis, insertus, compositionem ipsam renuitis obseruare, occasionem friuolam mendicantes, tum ex eo quòd in litteris nostris verbum confirmationis, tenorem compositionis iuxta stylum Ecclesiæ Romanæ præcedit; tum quia illa clausula consueta, scilicet, *sicut sinè prauitate prouidè facta est*, in eisdem litteris continetur. Cùm igitur nedum contra Deum & Ecclesias, sed nec etiam contra priuatas personas huiusmodi cauillosis diffugijs insistere debeatis, Vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur attentè, quatenus si præmissis veritas suffragatur, compositionem obseruantes eamdem, ipsam adimplere curetis.

[a] ILLVSTRI REGI CYPRI.] Hugoni I. Lusiniano tertio Cypri Regi.

[b] H. NATO.] Henrico I. filio Hugonis I.

[c] BALLIVIS EIVS.] Legendum Balliuo, id est Senescallo, primo regni Cypri officiario, qui tunc erat Ioannes de Iblim Dominus de Baruth.

[d] COMESTABVLO.] secundo officiario regni Cypri. Is quoque tunc erat dictus Ioannes de Iblim, & Gubernator dicti regni in absentia Hugonis. Is posteà tutor fuit Henrici I. Regis, & strenuè Fredericum Imperatorē Cyprum vsurpare volentem è regno eiecit.

[e] BARONIBVS.] Notatu dignum est quod refert Steph. Lusin. in *Hist. Cypri*, sub pontificatu Honorij nostri, & regno Hugonis I. trecentos Barones Gallos quum in terram sanctam transfretassent, nec ibi Deo militare possent ob treugam inter Christianos & infideles, Cyprum appulisse, & se per Insulæ vicos distribuisse, ibique vitam solitariam & heremiticam duxisse, sub Ioanne Monfortio Comite Edesseno, & Cypri Marescallo, & adeò sanctè vixisse, vt a Græcis pro sanctis ho-


norati sint, contra eorum morem, qui neminem Latinum medij vel postremi temporis pro sancto colunt.

f Archiepiscopvs Nicosiensis.] In Concilio Lateranensi sub Innoc. III. ad petitionem Legati Adelæ Reginæ Cypri, absente rege Hugone I. marito suo in expeditione Hierosolymitana, Archiepiscopatus Salaminiensis Cypri, qui ob destructionem eius vrbis translatus fuerat Famagostam, denuò Nicosiæ positus fuit, quia ibi sedes regia erat, & domicilium Latinorum, & creatus fuit Archiepiscopus Latinus, qui post mortem Archiepiscopi Græci præesset Latinis, & Græcis. Vide dictum Steph. Lusinian. in *dicta Historia*.

g Albanensi Episcopo.] Pelagio Hispano, de quo *suprà*.

Vniuersis [a] *Abbatibus, & Prælatis alijs, ac conuentibus, & clericis in Constantinopol. & Chalcedon. diœces. constitutis.*

Capvt II.



SVA nobis ven. f. n. Patriarcha Constantinopolitanus conquestione monstrauit, quòd cùm quidam vestrûm assumentes occasionem, ex eo, quòd dil. fr. n. I. titulo [b] sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis, tunc cum in partibus illis legationis officio fungeretur, quibusdam alijs Ecclesijs, & clericis in spiritualibus & temporalibus contulit monasteria eorumdẽ, ipsi Patriarchæ obedire recusant, & ei de iuribus Patriarchalibus respondere: in suæ præsumptionis adiutorium inducentes confirmationes collationum huiusmodi à sede Apostolica impetratas. Cùm ergo nec ipsius intentio fuerit Cardinalis, nec nos quoque velimus iura quæ diœcesano debentur, per collationes, seu confirmationes prædictas minui, vel aliquatenus lædi; Vniuersitati v. mandamus quatenus occasione huiusmodi non obstante, ipsi Patriarchæ reuerentiam & obedientiam debitam humiliter exhibere curetis, eíque de suis iustitijs integrè & de spiritualibus respõdere; nisi forsan aliqui per expressũ exceptionis priuilegium ostenderint se munitos: alioquin sententiam quam idem Patriarcha propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, volumus vsque ad satisfactionem condignam firmiter obseruari.

a Abbatibvs, et Praelatis, *& clericis in Constantinop. (MSS. addunt Chalcedonensi) diœcesib. constitutis.*] Chalcedon olim ciuitas nominatissima in littore Asiatico, opposita Constantinopoli, nunc exiguus pagus *Scutari* vocatus. Illius Ecclesia sub ditione Primatus erat Constantinopolitani, & nullum sub se thronum habebat seu Episcopatum, ex *Nouella* Leonis Philosophi. Ideóque Honorius quæ à Ioanne de Columna Cardinale, & Legato acta fuerant, & à se confirmata in præiudicium vtriusque non valere decernit. Patriarcha Constantinopolit. sub Innocentio III. Honorio III. & sequentibus quibusdam Constantinopoli fuit sub ditione Latinorum. Nicetas in *Balduino lib. vlt.* vt iam annotaui *suprà ad cap. vnic. de transact.* ita vt summus Pontifex, vicarium illic haberet, vt constat ex *cap. Quanto, extr. de consuetud.* & sub obedientia sedis fuerit, vt Innocentius addit, *diebus nostris, in cap. vltim. de baptism.*

b Sanctae Praxedis.] Ioannes Columna Legatus, de quo *suprà*.

a *Archiepiscopo Tarracon.*

CAPVT III.

Non ponitur.



EX parte tua nobis humiliter fuit supplicatum, quòd cùm nonnulli clerici tuæ diœcesis plures obtineant parochiales Ecclesias, datâ huiusmodi clericis optione retinendi vnam ipsarum Ecclesiarum, reliquas possis de licentia tua idoneis assignare personis, non obstante quòd quidam eorum in fraudem super singulis confirmationes singulas ab Apostolica sede, de ipsarum Ecclesiarum pluralitate mentione non habitâ, impetrarunt. Ideóque f. t. mandamus, quòd huiusmodi confirmationibus nequaquam obstantibus super his liberè facias appellatione remotâ quod ad pontificale officium videris pertinere, in his quæ rite, ac laudabiliter feceris Apostolicum habiturus auxilium, & fauorem si duxeris requirendum.

a ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI.] Ciuitas Archiepiscopalis Hispaniæ Tarraco, antiquitate & imperij Romani maiestate (cuius in Hispania sedes fuit) nobilissima, & valida, ab Eurico rege Gothorum post longã obsidionem solo æquata anno 467. denuò Bernardi ex Agennensi diœcesi in Francia orti Archiepiscopi Toletani cura & impensâ restituta, anno 1081. Porrò hic Archiepiscopus ad quem scribit Honorius est Sparagus, siue Asparagus cognomento *Barca*, Gallus, ex Pampilonensi Ecclesia Tarraconam translatus. Iacobus Rex Aragonum eum vocat auunculum suum. Huic primo in regnis Aragoniæ Honorius noster causas fidei commisit teste Paramo *de origine Offic. S. Inquisit. lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8. & Morillo in *lib. de fundat. Capellæ del Pilar, cap.* 21. sedit ab anno 1214. vsque ad annum 1233.

a *Episcopo Morin.*

CAPVT IV.

Non ponitur




TE didicimus intimãte quòd tu cùm quosdã diœcesis tuæ, clericos vxoratos, suis de mãdato nostro beneficijs, quæ in eadem obtinebant diœcesi spoliaris, quidã eorum per obtentas à nobis contra te super eisdem beneficijs commissionis litteras, in quibus de spoliationis causa mentio non habetur, te super his multipliciter aggrauant & molestant; alij verò confirmationis nostræ litteras in communi forma super eisdem beneficijs, in quibus causa eadem supprimitur exhibentes, tueri se contra te per easdem litteras moliuntur. Nolentes autem per tales littéras mandato nostro & canonicis statutis illudi, decernimus te non teneri ad respondendum per commissiones easdem, & tibi super hoc tales confirmationis litteras non obstare.

a EPiscopo Morinensi.] Adamo 35. Episcopo ex Archidiacono Parisiensi, qui sedit ab anno 1213. vsque ad annum 1229. quo factus est Monachus Claræ vallis.

Hinc nota temporibus Honorij non omnino cœlibatum fuisse obseruatum à clericis. Horum nomine qui intelligantur non apparet, an constituti fuerint in sacris ordinibus, an verò minores clerici, quos certum est ex veteri instituto Ecclesiæ vxores habuisse *can. 26. Apostol.* Quantùm ad reliquos quamdiu abusus durauerit satis luculenter tractaui *ad titul. de cler. coniug. apud Gregor.* Et ex hoc cap. apparet quàm arduum fuerit negotium statuendi cœlibatum in Ecclesia, quem Calixtum rigidiùs obseruari præcepisse vulgò traditur, & tamen longis postea temporibus vix hæc Constitutio locum habuit in omnibus locis. In Morinensi diœcesi hoc malum diutiùs serpsit, vt constat etiam ex *cap. ad aures, infra de cler. coniug.*

FINIS LIBRI SECVNDI.





QVINTÆ COMPILATIONIS DECRETALIVM LIBER TERTIVS.

TITVLVS I.

De vitâ, & honestate clericorum.

[a] EPISCOPO PICTAVEN.

CAPVT I.

Non ponitur.

NON decet Domini sacerdotes lucris temporalibus more secularium inhiare, vnde sacerdotale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. Ex tua sanè relatione didicimus, quòd nonnulli ciuitatis & diœcesis tuæ presbyteri passim quæstibus inhiantes, calcatâ sacerdotalis officij dignitate, sinè delectu aliquo in quibuslibet causis assumunt officium Aduocati, exercentes illud nimiùm imprudenter prò temporali quæstu in foro Ecclesiæ, & ciuili, ex quo nonnullis efficiuntur in scandalum, & alijs in contemptum sunt: & alij tam Canonici, quàm clerici diœcesis supradictæ qui clericalis honestatis obliti, diuersis & secularibus negotiationibus se immiscent, emptioni & venditioni mercimoniorum sic dediti, vt negotiatores veriùs quàm clerici videantur; quod vtique decus facit vilescere clericale. Quia verò vt asseris valdè metuis, ne si prædicti sacerdotes & clerici ab huiusmodi non quiescant, sicut populus sic sacerdos existat: f. t. plenam de te fiduciam obtinentes concedimus, vt autoritate nostrâ illos valeas à talibus cohibere, nisi proprias causas suas, vel Ecclesiarum suarum, aut personarũ miserabilium,

miserabilium, quæ prosequi causas suas nequeunt fuerint prosequuti, quum inconueniens sit presbyteris, ad mysterium corporis & sanguinis Domini deputatis, iudiciorum strepitum & lites amare, nec deceat Christi ministros secularibus negotijs implicari, quibus nemo debet Deo militans se immiscere.

a EPISCOPO PICTAVIENSI.] Guillelmo IV. ex Præposito facto Episcopo, qui sedit annis 10. & de hoc fit mentio vsque ad annos 1223. & 1224. vel Philippo qui sedebat annis 1226. 27. & 28.

Quod hîc constituit Honorius iam ab Innocentio III. in *cap. ex parte de postulando* dictum fuerat contra clericos, subdiaconos, & supra, id est Diaconos & Presbyteros, quos ab Aduocationis officio arcet lucri causâ: quod primùm ab Alexandro III. definitum fuit in *cap. 1. eod.* In eo autem *cap.* allegatum ab Innocentio capitulum, quod de monachis tantùm loquebatur, non aliud esse reor, quàm *can. monachi 16. q. 1.* qui desumptus est ex antiquo Concilio Tarracon. celebrato anno 517. tempore Agathonis: ex quo etiam notandum est hunc canonem desumptum fuisse ex Canonibus Gallicanis: *Canonum ante omnia Gallicanorum de his constitutione seruata*, ait Concilium Tarraconense: quos equidem pluries memoratos & commendatos reperio ab Hormisda Papa, quem Anselmus autorem facit Canonis si quis 29. dist. 50. & ab Agobardo, *tractatu de dispensat.* vbi etiam quosdâ increpat qui illos reijciebant, quòd Legati sedis Apostolicæ non interfuissent. Pluribus aliis locis recensentur hi Canones, sed qui fuerint nondum mihi compertum, nisi sint prima Concilia quæ quingentis annis ante dictum Concilium Tarraconense habita fuerunt, quorum tamen omnium ex his quæ in lucem data fuerunt nullum est quod quantulamcumque mentionem huius iuris faciat. Post dictum verò Concilium Tarraconense sæpiùs idem statutũ fuisse contra monachos constat. Eâdem autẽ ratione Canones Gallicani dici possunt, qui desumpti sunt ex Concilijs & Decretis Galliæ, quâ Sanctorum Apostolorum, Nicenæ synodi, Ancyranæ, Gangrensis, & aliarum dicuntur Canones, à Leone IV. *in Epist. 2. ad Episcopos Britanniæ, cap. 6. Sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canones prætitulantur.* Hincmarus in *Epist. ad Rodulphum Bituricensem, apud Sirmondum Tomo 3. Qui ostendit mihi librum quem vt spero Canones appellauit.* Hi autem Canones Gallicani nî fallor diu in in Gallia in pretio fuerunt, donec Adrianus I. Papa collectionem Orientalium & Africanorum Carolo Magno obtulit Romæ *Tomo 2.* Conciliorum Sirmondi.

a *Ambian. Episcopo.*

CAPVT II.

EX litteris nobilis viri [b] Pontiui & Monstrolien. Comitis intelleximus, quòd quidam solo nomine clerici terræ suæ [c], vxorati, vsurarij, & tabernarij, Ecclesiasticis quibus carere debent beneficijs non contenti, potiùs illicitis secularibus negotiationibus, & curis domesticis, quàm officijs & obsequijs Ecclesiarum intendunt; & gaudere volentes priuilegio clericali, nolunt statutis patriæ, quibus quotiens expedit sicut laici se tuentur, etiam in negotiationum suarum quæstibus subiacere. Vnde quia magnum ex hoc scandalum inter laicos generatur, nobis humiliter supplicauit, vt vel compelli huiusmodi clericos ad seruiendum Ecclesijs, illicitis secularibus negotiationibus postpositis, mandaremus; vel pateremur eos quoad facultates eorum, statutis & consuetudinibus patriæ subiacere. Cùm ergo

ſupradicta in clericalis ordinis vituperium redundare noſcantur, & clericorum vita generare non debeat ſcandalum laicis, ſed præſtare honeſtatis exemplum: f. t. mandamus: quatenus ſi eſt ita, quum loci diœceſanus exiſtas, clericos tales ſi tertiò moniti à te Eccleſijs ſeruire contempſerint, huiuſmodi negotiationibus prætermiſſis, cùm facto huiuſmodi priuilegium abijciant clericale, quominùs de ſuis facultatibus dum his ſe impliccant, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubiaceant, non defendas.

[a] Ambianensi Episcopo.] Claud. Robertus vult hoc cap. dirigi Geraldo, vel Gerardo, ſeu Eurardo inſtauratori maioris Eccleſiæ Ambianenſis, qui vixit vſque ad annum 1223. Hoc verum eſt ſi hoc reſcriptum datum fuit primis ſeptem annis Honorij, ſed ſi tribus poſtremis, dirigitur Goffrido de Ango, qui viuebat anno 1223. & interfuit exſequijs Philippi Augusti apud Guillelm. Britonem.

[b] Pontini et Monstroliensis Comitis.] ſic corrigendi MSS. *Ponthieu, & Monſtrœil.* Nobilis Comitatus pro quo toties decertatum inter Francos & Anglos, ſub ſe habens quatuor celebres vrbes, Abbatiſ-villam, Monſtrolium, *Pequigny, & Crecy*: ſic dictus à multitudine pontium ſuper lacus & paludes frequentes in dicto Comitatu.

[c] Vxorati.] Hanc vocem Raimundus ſuſtulit, quam tamen inuenio in tribus MSS. eâ potiſſimùm ratione quòd ſuo loco *infra, tit. ſequ.* de illis agatur.

---

[a] Decano, & Capitulo Compoſtellano.

Capvt III.

Non ponitur



SI diligenti. *& infra.* Illud autem quod de habitu clericorum in generali Concilio tam generaliter eſt ſtatutum fuit, fruſtra in conſultatione deductum, quum ſatis verba ſint liquida & nos ea nolumus ſuâ firmitate carere. Conſuluiſtis tandem de clericis, qui chori ſilentium fugientes intendunt externis collocutionibus laicorum, dúmque auditum ad indebitos ſermones effundunt aures intentas non porrigunt ad diuina, ſi quid de talibus in eodem Concilio noſcitur inſtitutum [b] canon fuit latæ ſententiæ, vel ferendæ: ad quod breuiter reſpondemus, quòd pœnam illa conſtitutio non infligit, ſed potiùs comminatur & exprimit infligendam, quæ meritò ad illos extenditur, qui quamuis in chorò inter celebrantes exiſtant, ſermonibus tamen illicitis & linguas & aures inuoluunt quum non ſolùm in ſe ipſis offendant, ſed etiam alijs impedimento tales exiſtant.

[a] Decano et Capitulo Compostellano.] Sedes Emeritæ Metropolis Luſitaniæ antiquiſſimæ tranſlata fuit à Calixto II. in Compoſtellanam Eccleſiam ſub Alfonſo VII. qui dictus fuit Imperator Hiſpaniæ: Vide multiplices cauſas huius tranſlationis in *Hiſtoria Hiſpanica*, Æra 1163. anno Chriſti 1125.

[b] Canon latae sententiae.] Concilium intelligit Lateranenſe *cap.* 17. ſub Innocentio III. ex quo Honorius eadem fere verba de-

ſumpſit, & refertur *infra, tit. de celebrat. miſſar.* quo ſilentium in diuinis officijs valdè commendatur a Nicolao I. ad conſulta Bulgarorum *c.* 74. ſæpiùs tamen maximo cultus diuini & animarum diſpendio contemnitur; quod tamen quam maximum eſſe debeat honoris & reuerentiæ argumentum colligitur ex eo, quod quæcumque de fide vel diuinis ceremonijs orationes, vel tractatus fiebant, dicebantur Silentivm. Landulphus Saxo in *Leone, ſilentium contra ſanctas, ac venerabiles celebrauit Iconas*, & apud Gregorium contra Herbannũ Iudæum, *ἐξάνεστη οὖν ὁ βασιλεὺς, καὶ διελύθη τὸ σιλέντιον*, id eſt, *ſurrexit igitur rex, & ſilentium ruptum eſt.* Idem & apud Zonaram in *Leone*, *Nicetas lib.* 7. cum de religioſis inſtitut. loquitur, *οὓς φάσι σιλέντια.* Inde etiam factum eſt vt Imperatores ſua Decreta & Conſtitutiones *ſilentia* vocarent, quòd ſinè contradictione, & cum ſilentio recipienda eſſent apud Cedrenum in *Alexandro Leonis fratre σιλεντίου γενομένου τὴν Εὐθυμίου καθαίρεσιν ἐποιήσατο*, id eſt, *ſilentio facto Euthymium depoſuit.* Qui loci à Meurſio animaduerſi, ſed non vero ſenſu. Hos omnes ritus reſpexiſſe locum Pſalmi 64. mihi facilè perſuadeo, vbi Dauid orationem in templo factam *ſilentium* vocat: nam vbi verſio vulgata ponit, *Te decet hymnus Deus in Sion*: Hebraicum exemplar habet, *Tibi ſilentium eſt Deus in Sion* (in quo monte templum erat exſtructum.)

TITVLVS II.

De Clericis coniugatis.

B. quondam Reginæ Anglorum illuſtri.

Capvt I.



X parte tua fuit propoſitum coram nobis, quòd nonnulli litterati terræ tuæ habitu & tonſurâ clericali relictis, publicè ducunt vxores, de his qui ſunt huiuſmodi ſoliciti quomodo vxoribus placeant exiſtentes, qui licèt negotiationibus, & alijs ſecularibus inſiſtant negotijs, vt tamen conſuetis iuſtitijs & debitis obſequijs te defraudent, tonſuram reſumunt abiectam, quâ ipſius prætextu ab huiuſmodi vt clerici excuſentur, quamquam non militent Domino, ſed potiùs mundo, vt ceteri vxorati. Quidam etiam acceptâ primâ tonſurâ ſimiliter contrahunt, & eamdem tonſuram deferunt, vt eodem prætextu excuſari valeant à prædictis, & Ven. f. n. Epiſcopus, & dilecti filij Decanus, Archid. & Capitulum Cœnomanen. ipſos tanquam clericos in ſubſtractionem ſeruitiorum tuorum fouere nituntur in tuũ præiudicium & grauamen. Quum igitur reddenda ſint quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, & publicè vxorati viri Eccleſiaſtici non exiſtant, dum ſe ſic ſecularibus negotijs implicant, æquanimiter ducimus tolerandum ſi iuſtitias debitas & ſeruitia conſueta velut ab alijs vxoratis exigas & recipias ab eiſdem, quum tonſura quam non obtentu religionis, ſed in fraudem ſubtrahendi ſeruitia reſumpſiſſe, vel accepiſſe videntur, in his non debeat patrocinium impertiri.

r 2

a B. QVONDAM REGINAE ANGLORVM.] Berengariæ viduæ Richardi regis Anglorum, non Ioannis, vt vult Bzouius, de qua multa *suprà lib.* 1. Ratio verò cur hoc caput rescribat Honorius Berengariæ hæc est, quia, vt autor est Roder. Toletanus, *de reb. Hispan. lib.* 5. *cap.* 24. in Cenomanensi ciuitate (de qua in *hoc cap.*) quam habebat ex donatione propter nuptias frequentiùs morabatur, & in eadem vitæ cursum felici exitu consummauit.

In *hoc cap.* & alio *cap. ex parte, infrà, de priuileg.* agitur de quibusdam litteratis qui se clericos profitebantur, ductis publicè vxoribus, vt à criminibus quibus impetebantur vt laici, se tuerentur. Litteratorum vox in bonam & malam partem sæpè assumitur, nam peritos demonstrat, quos ob scientiam & claras virtutes dignos amplioribus beneficijs censet Innocentius III. in *cap. de multa, de præbend.* & Imperator Iustinianus à rusticis distinguit in *l. vltim. C. de testam.* Hos doctores Iuris vulgus intelligit, vt Hispani Aduocatos, *Letrados* vocāt. Iidem sunt qui *scholastici* apud Synes. *Epist.* 105. Iudices quoque constituti per vrbes apud Sigebert. in *Chronico: Franco Scholasticus Leodiensium, & scientia litterarum, & morum probitate claret.* Aliquando apud Plin. Sueton. & alios sumuntur pro ijs qui in puluere litterario vitā agentes, ad forum non accedebant, neque vllam dignitatem ambibant, vt annotauit doctissimus Casaubonus ad Capitolin. in *Maxim.* Hîc verò quosdam intellige sciolos, seu leguleios qui mediocris fumo litteraturæ inflati lites serunt, nostratibus, *Lettre-ferits.* Hi clericalibus insignibus vtebantur, nempe tonsurâ & vestibus, vt hoc colore, clericali priuilegio se tuerentur. Exinde colligere est quamdiu durauit hic mos, vt omnes clerici à laicis distinguerentur, & vestibus proprijs vterentur, quas *Superindumentum* vocat *Cap. clerici. extr. de vita, & honest. cleric.* Et olim in collatione ordinis clericalis assumebantur ab Episcopo, vt ex Balsamone *ad can.* 14. Synodi 7. annotaui ad *dictum titul.*

Episcopo Morin.

CAPVT II.

Non ponitur



AD aures nostras te significante peruenit, quòd quidam clerici tuæ diœcesis qui matrimonia solenniter contraxerunt ecclesiastica retinere beneficia quæ priùs habuerant non verentur, prauè terræ consuetudinem prætendentes; ideóque præsentium tibi autoritate mandamus, quatenus contra dictos clericos si in sacris ordinibus constituti receperunt vxores, nisi eas post tuam commonitionem dimiserint iuxta canonica instituta procedas: si verò vxores in minoribus constituti ordinibus acceperunt, quum eos cogitare oporteat quomodo illis placere valeant & seruire, ipsos non differas huiusmodi beneficijs spoliare.

HOC cap. sicut & sequentib. reprobatur omnino ius vetus quo clerici minores poterant retinere beneficia etsi duxissent vxores, dummodò beneficia simplicia essent, excepto ministeriali officio de quo Innocentius III. in *Epist. ad Episcopum Padeburnensem lib.* 2. Alexander III. vt est in *cap.* 2. & 3. in *prima compilat.* hoc constituit, & post eum Gregorius VIII. & Clemens III. in *cap. penult.* & *vlt. ibid.* Quod tamen stomachum mouit Interpretibus antiquis ad dictum *cap.* 1. *in dicta* 1. *compilatio.* cùm in eo idem Alexander priuandos esse beneficijs contendat, vnde Alanus distinguit ius vetus à nouo, quam sententiam reijcit Tancredus, eò quòd idem Alexander ius contrarium statuat *in sequent. capit.* 2. & 3. In 1. clericos omni beneficio siue simplici, siue animarum curam habente spoliandos esse contendit ex *cap. diuersis.* in 3. *compilat. hoc tit.* & *dicto cap.* 1. standum censet, & quod indulgetur in contrarijs capitibus esse ex misericordia & dispensatione: ita Episcopum posse dispensare cum coniugato, vt ei beneficium concedat; & argumentum sumit ex

verbis dicti *cap. 2. sub dissimulatione dimittere poteris* : quem tamen concludit hinc non posse id facere, nisi ex iusta causa, & argumentum desumit ex *cap. diuersis*, quod id nullo modo probat. Sed neutrius opinioni est standum, imprimis quia dictum cap 1 loquitur de subdiaconis, quos iam à matrimonio exclusos omnino fuisse temporibus Alexandri III. compertum est; in alijs verò locis agitur de minoribus clericis, qui prædictorum Pontificum temporibus adhuc ducere poterant vxores, & cum eis retinere beneficia simplicia. Postmodùm Innocentius III. cœpit & clericos à beneficijs remouere si vxores ducerent propter prauum exemplum & graue scandalum in *cap. 7. extr. eod.* & recessit à sententia Gregorij VIII. *in dicto cap. penult in 1. compilat.* qui beneficia simplicia ab vxoratis clericis retineri concessit, eo casu, quo nullum generaretur scandalum; quam etiam distinctionem Glossa in *dicto cap.* 8. videtur amplecti, & Cuiacius eam sequitur contra Bernardum ex sententia Ostiensis, qui nunquam tamen hoc sensit, sed tantùm eo casu quo coniugati animum habeant redeundi ad clericatum, & ex dispensatione Episcopi, ita vtilitate Ecclesiæ suadente, ex *cap. Ioannes. hoc tit. eod.* ex quo vix potest hoc colligere; imò è contrario nulla beneficia retineri posse certum est, sed tantùm stipendia quæ non sapiunt naturam beneficiorum, nec dantur in titulum, cuius opinionis etiam fuit Alanus. Tandem post Clementem III. quem diximus *in cap. vlt. 1. compilat.* beneficia indulsisse clericis coniugatis, Celestinus III. contrarium omnino statuit, & Canonicos vxoratos recipi vetat in *cap. vlt. in 2. compilat.* quem sequitur Innocent. III. in *dicto cap. diuersis*, & *dicto cap.* 8. & post eum Honorius noster in *hoc cap.* Et hæc est certissima huius iuris historia.

---

a *Episcopo Clugien.*

Capvt III.

Dilectus fil. magister E. Canonicus Ecclesiæ de ᵇ Trilin. exposuit coram nobis, quòd cùm Viuianus quondam ipsius Ecclesiæ clericus, Paduanæ diœcesis, ordine clericali, & eâdem Ecclesiâ derelictis, sibi quamdam mulierem matrimonialiter copularit, & diutiùs incedendo in habitu seculari exercuit officia ciuitatis, nunc idem V. gestiens ad Ecclesiam redire prædictam, non habitâ de prædictis aliquâ mentione, quasdam à nobis ad te litteras reportauit, quarum autoritate in eadem Ecclesia ingressum nititur ᶜ rehabere. Quum igitur mendax precator carere debeat impetratis, mandamus, quatenus si præmissis veritas suffragatur, reuocato si forsan autoritate litterarum huiusmodi contra eamdem Ecclesiam processisti de cætero non procedas. Non ponitur.

a Episcopo Clvgiensi.] Sic legendum, nõ Dugiensi, vt est in MSS. Clugium, vel Clugia, *Chioggia*, ciuitas Ducatus Venetorum, in quam translatus fuit Episcopatus à Malamocco, sede Ducum Venetorum propter maris inundationes cum ijsdem priuilegijs & iurisdictione anno 1100. vltimo Vitalis Michaëlis Ducis 32. *Chronicon Venetum.* Francisc. Sansouinus in *Historia Veneta* hoc factum fuisse ait anno Christi 1009. & octauo Ducatus Ordelafi Falaeri Ducis 33. Mentionem huius insulæ Clugiæ positæ in mari Adriatico facit Carolus Crassus Imperator in quadam Epist. ad Venetos, vt refert Sansouinus, & eam Clugium nominat.

b Ecclesiae de Trilin.] Fortè Teolo, qui pagus est agri Patauini. Ad hoc facit *can. quicumque 6. 23. qu.* 8. & notanda est constitutio Bonifacij Archiepiscopi Cantuariensis, qui vere clericos haberi iubet, qui in possessione clericatus inuenti fuerint. *tit. de foro compet.* Quæ possessio probatur ex delatione habitus

clericalis, Tonſuræ, & Veſtis, vt eſt in *cap. ſi index. §. Idem. de ſent. excommunic. in 6.* & in *Clement 2. de vita & honeſt. cleric.* in qua prohibet Clemens inſulam, ſeu pileum lineum vulgò in Anglia *Cloyphos*, ſeu potiùs *Coifos* vocant, vt patet ex conſtitutione Ottoboni Legati in Anglia, aliàs *Tenas* vocant. Erant autem faſciæ ſacerdotales capitis, ſeu vittæ ταινίαι Græcis, quibus capilli religabantur, nec enim vulgo, capita detegebantur. Matthæus Paris in *Henrico III.* anno 1259. *Voluit ligamenta ſuæ Coifæ ſoluere, vt palàm monſtraret tonſuram ſe habere clericalem.* Codinus vocat σκουφίαν, Curopalates ἐπὶ τῆς κεφαλῆς σκουφίαν, οὐ μὴν δὲ καὶ τὰ καμπάσια. Veteres Gloſſæ & Papias *Cuphiam*, & nos vulgò *Scofion*: inde etiam in ſynodo Florentina κουφέτα, *Cucullio.*

[c] Rehabere.] Facit *dictum cap. ex parte de priuileg.* contra eos qui depoſito habitu clericali ſagum, vel ϛρατιωτικὴν aſſumunt, & ad negotia ſecularia diuertunt, vt eſt in *cap. 113. Capitulorum Heraldi, & can. 5. Concilij Matiſcon.* I. apud Sirmondum; & *Eccleſias dimittunt quas poſtea rehabere & reſumere contendunt, dicto cap. ex parte, infrà, de priuileg.*

Idem V.

CAPVT IV.



VT conſultationi tuæ breuiter ſatisfiat R. miles tuæ diœceſis qui ſicut tibi humiliter eſt confeſſus olim in minori conſtitutus ætate, cùm modicum ſciret legere vel cantare tonſuram tamen & coronam clericalem aſſumpſit, quam geſtare inter milites & laicos erubeſcit, non eſt cogendus deferre habitum clericalem.



TITVLVS III.

De clericis non reſidentibus in Eccleſia.

V. Præpoſito de Valerijs.

CAPVT I.



EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quòd tempore quo Præpoſituram de Valerijs recepiſti, præſtitiſti de facienda reſidentia, [a] quæ ligia nuncupatur in [b] Eccleſia ſancti Martini Turon. in qua Præpoſituram eamdem obtines iuramentum: præſtito inſuper iuramento promittens quòd homines & iura ipſius Præpoſituræ manuteneas & defendas. Cùm autem proſequendo præpoſituræ iura reſidere interdum in Eccleſia memorata non poſſis, de iuramento ſuper ipſa reſidentia præſtito metuens, prouideri tibi ſuper hoc à nobis humiliter poſtulaſti. Nos verò dicimus quòd ſi te non abſentando in fraudem præpoſituræ tuæ iura fideliter proſequaris, quum ex hoc cenſeri debeas reſidens periurium non incurris.

a QVAE LIGIA NVNCVPATVR.] Hæc verba omissa sunt à Raimundo apud Gregor. quæ tamen magnifacienda sunt, & quæ vix alibi reperiantur. Ligiam residentiam vocauit Honorius, quæ valdè ligat & adstringit, & integram deditionem notat, & totalem subiectionem, vt dè Guiscardo narrat Albertus Krantzius *lib. 4. cap. 7. & 9. Noruegiæ*, qui se Romano Pontifici ligium spopondit; & de Roberto rege Siciliæ, *Clementina Pastoralis. de sent. & re iudic.* Quidā ligium cū adscriptitio, assisio, vassallo, & alijs eiusdē generis confundunt, quod tamen optimè Glossa reprehēdit in *dicto cap. Pastoralis*; quòd hi tales plurimi esse possint, ligius tantùm vnus, & dicitur vnicâ voce Homoligius, seu Homoleugius quā Cuiacius semilatinam, & Græcam facit in *libris feudor.* alij a Græcis deductam volunt, ὁμόλογος enim addictum, obligatum, seu professum significat: vt apud Iurisconsultos Professi dicuntur, qui nomina sua, vxorum, liberorum, & seruorum professi erant *in l. 2. §. post deinde, de orig. Iur.* Vnde seruus Improfessus, & Incensus qui non est in censum redactus, vt nos in Obseruation. tractauimus. Et de his Homoligis est *lex vltima. C. Theodos. de Patrocin. vicorum lib. xi.* ὁμολογους vocant Basilica, & Nouella 128. Pro domesticis & familiaribus sæpiùs Ligij accepti fuerunt, quos λιζίους, siue οἰκείους vocant Glossæ, & Nicetas in *Ioanne Comneno, &, Manuele lib. 7.* Ex quibus non mirum est si Honorius à clerico valdè adstricto & mancipato Ecclesiæ ligiam residentiam nullo alio negotio interposito exigat, vt de vassallo dicitur *cap. 8. hoc tit. apud Gregor.* & apud nostros Incardinati clerici dicuntur, vnde & Cardinales, de quibus alias, *qui assiduitatem debent*, vt loquitur Alexander III. *in cap. ad hoc, de Præbend.* Alijs *Collocati* dicuntur κατατάττεσθαι, *can. 15. synodi 7.*

b ECCLESIA S. MARTINI TVRON.] Hæc anno 64. post D. Martini transitum a B. Perpetuo 6. Turonicæ sedis Præsule ædificata, & corpus D. Martini eò translatum, referente Seuero Sulpitio multoties combusta est: eādem anno 1175. nobiles Burgenses igne crematam & nimiâ vetustate confectam ædificarunt, & nobili fastigio renouare cœperunt in *Tractatu de gest. Episc. Turon. & Abbat. Maior. Monast.*

Capitulo Metensi.

CAPVT II.



CVM dil. f. magister Otto a Scriptor noster, Canonicus Ecclesiæ vestræ grata nobis iugiter impendat obsequia, & non minùs si sit absens quàm præsens eidem Ecclesiæ vtilis habeatur, vniuersitatem vestram rogandam duximus & monendam per ap. vob. scripta mand. quatenus eidem in nostro seruitio commoranti ob reuerentiam Apostolicæ sedis & nostram, annuatim fructus præbendæ suæ integraliter assignetis, satisfacientes sibi congruè de subtractis: non obstante consuetudine, quæ super hoc contra absentes Canonicos inter vos dicitur emanasse; cum familiares nostri qui circa nos se obsequiales exhibent vniuersis, minori non debeant prærogatiuâ gaudere, quàm vestrûm singuli quorum negotia per ipsos sæpiùs promouentur.

a SCRIPTOR.] Idem fortasse quod Notarius, vel scriniarius qui adhibebatur ad describēda acta Ecclesiæ, de quo *suprà ad cap. 1. de fide instrum.* Idem qui apud Romanos. Scriba Tullius in *orat. pro domo sua. Scribæ qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur*: vnde & acta illa Honorius *scripta nostra* vocat in *cap. 1. titul. sequ.*

[a] *Meldensi Episcopo.*

CAPVT III.

AD audientiam nostram te significante peruenit, quòd cùm in Meldensi Ecclesia quædam sit constitutio inita, iuramento vallata, & autoritate sedis Apostolicæ confirmata; vt videlicet eius Canonici, qui per sex menses non resederint in eadem, suarum priuentur fructibus præbendarum, illis dumtaxat exceptis, quos infirmitas proprij corporis excusaret, siue ad Apostolicam sedem accedere, vel in eius seruitio contingeret detineri, quósque peregrinationis labor, aut studia traherent litterarum: Decanus & quidam alij Canonici Melden. occasione constitutionis huiusmodi Canonicos in tuo seruitio commorantes præbendarum suarum priuare fructibus moliuntur: vnde cùm tibi plurimùm expediat aliquos Canonicorum ipsorum in tuo seruitio retinere, nobis humiliter supplicasti, vt super hoc necessitati tuæ, Apostolicæ dignaremur prouisionis moderamine prouidere. Volentes igitur sic constitutionem moderari prædictam, vt dicta Ecclesia fructum sentiat ex eadem, & tu per eius abusum dispendium non incurras; præsentium autoritate decernimus, vt duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ in tuo seruitio existentes suarum fructus integrè percipiant præbendarum, cùm absentes dici non debeant sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ seruitio commorantur.

[a] MELDENSI EPISCOPO.] *de Meaux.* Guillelmo 59. Episcopo ex Cantore Parisiensi anno 1214. consecrato, qui vixit vsque ad annum 1222. vel Amalrico 60. Episcopo qui parum vixit, aut Petro 61. qui sedit ab anno 1223. vsque ad annum 1252. vel ampliùs.

TITVLVS IV.

TITVLVS IV.

De Præbendis.

Abbati, & Priori sanctæ Genouefæ.

CAPVT I.

LIcèt vobis direxerimus scripta nostra, vt dil. f. Magistro Ricco Ebroïcensi Archid. in sacra pagina cupienti studere prouentus suos Ecclesiasticos faceretis integrè ministrari; non tamen volumus, nec nostræ intentionis extitit, vt quotidianas illas retributiones, quæ tantùm residentibus in Ecclesijs, & his qui horis intersunt canonicis exhibentur, ei tribui faciatis.

[a] ABBATI S. GENOVEFAE.] Ioanni, vel Gualoni, vel Herberto, siue Huberto, aut Roberto de Firmitate Milonis. Hi enim omnes vixerunt sub Honorio nostro. Vide Petrum le Iuge in *Historia S. Genouefæ*.

Priori [a] Norvuicen. electo, Camerario nostro Ap. S. L.

CAPVT II.

QVæsiuisti à nobis, vtrùm clericus obtinens beneficium quod curam habet animarum annexam, recipiendi Archidiaconatus officium, & vtrumque retinendi liberam obtineat absque dispensatione sedis Apostolicæ facultatem. Tu autem cùm ignorare non debeas quòd beneficium ad quod cura pertinet animarum personam exigat, quæ personaliter in ipso resideat; & ad Archidiaconum spectet, de his quæ inquirenda sunt, tamquam Episcopi oculum indagare; propter hoc neutrum bene peraget cogitans de vtroque: quid sit super hoc eligendum satis potes cognoscere per teipsum. Non ponitur.

[a] NORVVICENSI ELECTO.] Norvvicēsis, vel Nordouicensis Episcopus in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo, *Norvvich.*

Sicut duas dignitates obtinere in diuersis Ecclesijs nemo potest *cap. præterea, apud Gregor. hoc tit.* ita nec dignitatem Archidiaconatus simul cum Ecclesia Parochiali, *hoc cap.* Quod tamen non vtique verum quidam existimarunt; nisi tunc demum cùm Archidiaconus habet curam animarum, de quo intelligi debet, *cap. vnic. infrà de cler. ægrot.* cui coadiutor dandus est propter morbum; ad quod videtur facere Concilium Tridentinū, & Congregatio, *ad cap. 12. Seß. 24.* vel cum dispensatione sedis Apostolicæ vt hîc dicitur. Quæ tamen differentia dignitatum curam animarum habentium cum alijs non fuit admissa priscis Canonibus in *Can. 15.* Concilij Constantinop. 7. ad quem Balsamo notat abusum, quo in regina vrbium Constantinopoli non solùm duabus, sed pluribus Ecclesijs quidam præficiebantur.

[a] *Episcopo Vesprinen.*

CAPVT III.

EXposuisti nobis in nostra præsentia constitutus, quòd Ecclesiæ tuæ Canonici diminutâ ipsorum prouisione à tempore Concilij generalis, cùm eis ex tunc non fuerint ad eorum sustentationem concessæ Capellæ, sicut anteà fieri consueuit, de redditibus præbendarum suarum cùm nimiùm sint exiles nequeunt sustentari; propter quod plures ipsorum eâdem relictâ Ecclesiâ in eiusdem & clericatus coguntur opprobrium aliorum se obsequijs mancipare. Vnde humiliter supplicasti, vt de Capellis eisdem prouisionem eorumdem de nostra permissione tibi ampliare liceret. Quia verò per hoc statutis derogaretur eiusdem Concilij quæ seruari volumus inconcussè, te in hac parte nequiuimus exaudire. Verùm illorum paupertati paterno compatientes affectu, & tibi etiam prout exposcit deuotionis tuæ meritum gratiam facere cupientes, f. t. de qua plenam fiduciam obtinemus præsentium autoritate mandamus, vt si euidéns necessitas, vel vtilitas exigat, præbendas possis eiusdem Ecclesiæ de Capellis in perpetuum annectendis eisdem, sicut discretione præuiâ expedire videris augmentare, reseruatâ congruâ singularum Capellarum presbyteris portione.

[a] EPiscopo Vesprinensi.] Vesprinienſis Epiſcopus, *Vueſprin*, in Hungaria, ſub Archiepiſcopo Strigonienſi. Reginæ eſt Cancellarius, & eam coronare ſolet.

Bituricensi Archiepiscopo Ap. S. Leg.

CAPVT IV.

AD audientiam nostram te significante peruenit, quòd quidam laici clerici obtentis à sede Apostolica litteris super prouisione sua in aliquibus Ecclesijs tibi lege diœcesanâ subiectis, ab Ecclesijs recipiunt annuas pensiones, seu alia beneficia, & sic ab earum impetitione desistunt, renuntiantes nostrarum beneficio litterarum: deinde ad sedem Apostolicam accedentes super prouisione sua obtinent alias litteras ab eadem, de litteris anteà impetratis non habitâ mentione, & sic gratiâ benignitatis Apostolicæ abutentes, Ecclesias multipliciter inquietant. Ne ergo tales de suæ circumuentionis astutia glorientur, f. t. mandamus, quatenus eos qui post litteras nostras taliter venditas,

aliàs de illis mentione non habitâ impetrabunt de cetero, vel hactenùs impetrarunt carere decernens commodo earumdem, Ecclesias contra quas fuerint impetratæ non permittas earum occasione vexari, reuocando in irritum si quid earum prætextu inueneris esse factum.

[a] ARCHIEPISCOPO BITVRICENSI, AP. SED. LEG.] Simoni de Soliaco, creato Cardinali S. Ceciliæ à Gregorio IX. anno 1232. Onuphrius & Ciacconius cū omittunt: Chenu, Robertus, Vghellus, & alij admittunt, Auberius dubitat, & putat eum confundi à Chenu cum alio Simone creato ab Vrbano IV. sub titulo S. Ceciliæ, & misso Legato in Galliam a Clemente IV. Claud. Robertus ait Honorium III. anno 1223. illi confirmasse ius Primatiæ in Prouinciam Burdegalensem (eique Ap. sed. Leg. scripsisse hoc cap. quod est 31. *de rescr. apud Gregor.*) secutum sententiam Innocentij III. *Epist.* 31. *lib.* 15. sicut & antea Nicolaus I. illum Primatem prouinciæ Narbonensis vocauerat, vt meritò Boërius *Tract. de autor. magni consil.* Archiepiscopum Bituricensem sôlum Primatem Galliarum asserat, & Ecclesia Metropolitana S. Stephani Bituricēsis, Patriarchalis dicatur in inscriptione posita in fronte ipsius Ecclesiæ vncialibus literis incisa: quin & ipse Archiepiscopus titulum assumit Patriarchæ Bituricensis, & Aquitaniæ Primatis, vt vidimus in litteris datis anno 1527. sedente D. Fr. de Tournon.

Sensus huius cap. hic est, quidam laici clerici Præbendas, seu pensiones in quibusdam Ecclesijs, & litteras à sede Apostolica obtinebant, quas deinde vendebant, & rursus earum mentione nullâ habitâ alias obtinebant, & ita maximè grauabant Ecclesias, quod prohibet Honorius; hæc enim vim non habere decernit. Variæ causæ alienandarum talium litterarum fuerunt, quibus laici in Monasterijs vt plurimum recipiebantur, & Pensiones habebant vtpotè egestate compulsi: ideò *Beneficiarij* à Græcis χαρισικάριοι dicebantur, vt ex Balsamone constat ad *can.* 19. Synodi 7. Constantinop. Vel erant Nobiles quibus ideò dabatur beneficium, vt Ecclesiæ deseruirent, de quibus Iuo *Epist.* 153. in qua Mellentinum Comitem arguit, *qui enim beneficium illud occupauerunt ita inter vtrumque natant, vt neque nobis seruiant propter vos, neque vobis propter nos. Epist.* 208. dicitur etiam quòd *Milites illos qui beneficia Monasterij habent hominium facere Abbati non permittis.* Vide quoque *Epist.* 168. Alij erant qui bello, aut ætate confecti in Monasterijs victum sumebant, de quibus Clariss. Bosquetus *ad Epist.* 138. *lib.* 13. Innocentij III. In veteribus monumentis Ecclesiæ Tolosanæ reperio Duci Andegauensi Præpositum & Capitulum recusasse Præbendam dare cuidā, licet sufficiens pro portione victus pecuniæ summa offerretur idque ob constitutionem Benedicti XII. *Cap. II. Prohibemus* inquit, *ne in Ecclesia Cathedrali, vel Monasterio quiuis clericus secularis, vel Laicus recipiatur ad Præbendam, seu portionem, nisi eidem, siue Monasterio dederit primitus se & sua.*

[b] QVIDAM LAICI CLERICI.] Qui sint illi clerici Laici meritò quæri potest, cùm laicorum status valdè sit remotus à clericali. Reperio tamen in veteribus inscriptionibus claustrorum nostræ Tolosanæ Ecclesiæ, & S. Saturnini, quæ ambæ primitus fuerunt regulares Ordinis S. Augustini, HIC IACET V. .... PRESBYTER LAICVS, alias: HIC IACET CANONICVS LAICVS. ita vt Laici nomen videatur sumi pro seculari ad differentiam regularium. In edicto Pistensi Capitularium Caroli Calui *cap.* 30. agitur de Clericis Canonicis, quos existimem distingui à laicis, prout seculares sunt. Laici Sacerdotes, hoc est seculares *in Interrogat.* 19. Balsamonis. Vnde etiam reperio apud Anselmum in *Vulcando Episcopo Leodiensi*, plures clericos factos monachos, & mutasse clericalem ordinem cum monachali *cap.* 34. *Commutato ordine clericali, ibi monachorum religionem instituit.* Clerici Canonici erāt qui regulariter viuebant, & ab alijs Clericis distinguebantur *Can.* 9. Concilij Moguntini; ἐν τῷ κάνονι ἐξεταζομένους, φησὶν ἤγουν κληρικοὺς μόναχους, id est, *qui in Canone siue matricula enumerantur, scilicet clericos monachos*, ait Balsamo *ad can. B. Basilij ad Amphiloch.* & dicebantur *Obseruantes. can.* 26. Concil. Aurelian. IV. Ijdem qui regulares qui collecti erant ab Episcopo, & in conclaui remanebant *can.* 22. Concilij Toletani IV. Forsan, quod verò similius est, laici clerici dicuntur, qui reuerà laici, clericorum numero adscribebantur, cùm se & sua Ecclesiæ deuouissent, qui victum sumebant sicut reliqui clerici vel monachi, & coronam deferebant vt

S 2

docui *Obseruat.*20. *lib.* 1. Legitur enim in Necrologio Ecclesiæ Tolosanæ plures viros & mulieres matrimonio iunctas Canonicorum titulum habuisse. *In mense Februario obijt Petrus de Castronouo, Miles & Canonicus. Aprili, obijt Magister Ioannes de Riuals, Notarius & Canonicus. Maio, Dominus Ferrandus Royes Miles Canonicus istius loci. In mense Februario, obijt Stephana Canonica istius loci*, & *Nantholora Canonica, Alphamos vxor Bastardi Desqualquens Canonica. Maio, Bertranda vxor Domini Curui de Turribus Militis Canonica*, & alibi sæpissimè. Et hi Clerici vel Canonici laici distinguebantur ab Oblatis, & Donatis, vt ex eodem Necrologio patet manifestissimè, quos quidem Canonicorum titulum non habuisse constat.

[a] *Episcopo, Priori, & Archidiacono Maclouien.*

CAPVT V.



Ilectus f. G. pauper clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd cùm Decano, & Capitulo [b] Ecclesiæ beati Martini Andegauen. preces direxerimus & præcepta, vt ipsum quàm citò se facultas offerret in Canonicum reciperent & in fratrem, vobis super hoc executoribus sibi datis, vacantibus interim duabus in Ecclesia præfata præbendis, dictus clericus vt mandatum nostrum exsequeremini circa ipsum à vobis cum instantia postulauit: sed quia ipsorum Decani & Capituli procurator excipiendo proposuit nostras super hoc litteras non valere, eò quòd in eis mentio non fiebat, quòd præfatus Decanus ex donatione Regis præbendarum eiusdem Ecclesiæ collationem haberet, vos mandati nostri executores non esse interloquendo dixistis, & sic illæ duæ præbendæ quæ medio tempore vacauerunt alijs sunt collatæ, & dictus clericus occasione huiusmodi, quam vos malitiosè recepisse videmini, remansit hactenùs suâ prouisione frustratus: propter quod idem nostram audientiam appellauit, appellationi cuius dicimini detulisse. Nolentes igitur vt sæpedictus clericus frustratus à vobis, litterarũ nostrarum commodo vlteriùs suspendatur, vobis firmiter mandamus, quatenus ratione huiusmodi quam reputamus friuolam non obstante, mandatum nostrum ad vos pro ipso directum taliter sinè difficultate qualibet exsequamini, quòd ipse propter hoc ad nos vlteriùs non recurrat, nec vos possitis de inobedientia reprehendi, quæ idololatriæ comparatur.

[a] EPISCOPO MALCONIENSI.] Vulgatus Codex Herforden. neutri rectè. Legendum Maclouiensi, *Sainct Malo* in Britannia minori, sub Turonensi. Herfordia in Anglia: Maclouiensis Episcopus vicinus Ecclesiæ Andegau. de qua in *hoc cap.* Olim hic Episcopatus Aletensis vocabatur, autore Roberto de Monte in supplem. Sigeberti anno 1182. sedes translata inde fuit in locum vbi nunc est, sub S. Maclouij nomine (corruptè Madomi apud dictum Robertum) à B. Ioanne de Craticula 37. Episcopo Aletensi: cùm anteà locus iste Insula Aaron diceretur. Rescribit autem Honorius noster hoc caput Petro Giraldo crucesignato contra Albigenses anno 1216. qui vixit vsque ad annum 1218. vel Radulpho II.

qui obijt anno 1219. vel Goffrido eius successori.

b ECCLESIAE B. MARTINI ANDEGAVENSI.] In Nomenclatura vocatur hoc Capitulum & Ecclesia, S. Martini Regij.

TITVLVS V.

De clerico ægrotante, vel debilitato.

a *Episcopo Auersan.*

CAPVT I.

Consultationibus. *& infra.* Archidiacono autem quem morbo paralytico laborantem officium linguæ asseris amisisse, coadiutorem poteris adhibere, maximè si de ipsius processeris voluntate.

a EPISCOPO AVERSANO.] Auersa ciuitas Episcopalis regni Neapolitani, olim sub Archiepiscopo Neapolitano, nunc exempta. Hic non est immorandum. Dandus coadiutor cuicumque Episcopo, Archidiacono, Parocho, vel aliam dignitatem habenti: quod tamen Concilium Tridentinum non probat, nisi quantùm ad eos qui curam animarum habent, quibus dandus Coadiutor, vel Vicarius, dum tamen non sit perpetuus, *cap. ad exstirpandæ. de fil. presbyter.* sed pro tempore deputetur, *cap. 6. sess. 21.* Et omnino Coadiutorias cum futura successione damnat *in cap. 7. sess. 25.* Illis quidem Vicarijs pars fructuum ab Episcopo assignari debet, *cap. 3. & 4. eod.* sed quærit Tancredus in 2. *compilat.* si reditus non sufficiant, tunc illi qui altario seruit reditus erunt assignandi, & Episcopus curam habebit ægrotantis, *can. 1. 82. dist.*

TITVLVS VI.

De concessione præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

a *Episcopo, Præposito, & Cantori Cameracen.*

CAPVT I.


CVM dilecta in Christo filia, nobilis mulier Ioanna Comitissa Flandren. deuicta quorumdam precibus importunis fecerit promissiones illicitas de non vacantibus beneficijs Ecclesiarum, in quibus ius obtinet patronatus, & donationes eorum in manibus posuerit alienis, sicut est nostris auribus intimatum; disc. v. m. quatenus irritum decernentes quidquid super hoc ab eadem inueneritis esse factũ cõtra instituta canonica, autoritate nostrâ inhibeatis eidẽ, ne similia de cetero attẽtare præsumat.

a EPiscopo Cameracensi.] Ioanni de Bethuna, vel Godefrido Condatensi, 48. & 49. Episcopis. Historiam huius cap. refert Cuiacius.

Archiepiscopo Bituricen.

Capvt II.

Non ponitur.



X parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, vt cùm collatio præbendarum Bituricensis Ecclesiæ ad te simul, & Ecclesiæ ipsius Capitulum pertinere noscatur, ne si fortè aliquando præbendas vltra sex menses votis vestris dissidentibus vacare contingit, ibidem tibi obijciatur, quòd eas conferre non possis, eo quòd in earum collatione fuisse, sicut & alij negligens videaris, & sic impediatur potestas conferendi easdem ad te secundùm sanctiones canonicas per lapsum semestris temporis deuoluta, super hoc debitâ prouidere solicitudine dignaremur. Volentes igitur honorem tuum & iura illibata seruare, autoritate tibi præsentium indulgemus, vt præbendas ipsas quas in Ecclesia ipsa vltra sex menses vacare contigerit liberè conferre valeas personis idoneis, exceptione huiusmodi non obstante; nisi forsan causam præstiteritis vt vltra præfatum tempus ipsarum collatio differatur.


Singulare est quod *hoc cap.* decernit Honorius in fauorem Archiepiscopi Bituricensis, vt Præbendas quæ vltrà sex menses vacauerint liberè conferre possit, contra decreta Concilij generalis sub Innocentio III. *cap. de multa. de præbend.* & *cap. nulla. hoc tit.* non tantùm eo casu quo votis dissidentibus vltrà id tempus vacauerint Præbendæ, sed etiam etsi nullus de collatione tractatus inter ipsum Archiepiscopum & Capitulum habitus fuerit: idque ex priuilegio concessum ostendunt hæc verba, *autoritate tibi præsentium indulgemus.* Quomodo illi sex menses debeant computari probè Glossa: sed illud addendum quod colligitur ex hoc capitulo, inter impedimenta quæ sex mensium cursum remorantur, dissidentium eligentium contentio non consideratur. Præter impedimenta quæ Glossa enumerat, addit Bernardus Papiensis ad *cap. 2. hoc tit.* in 1. *Compilat.* tempus peregrinationis, iuxta *cap. quia diuersitatem. eod.* quod loquitur de suspensione, quasi peregrinatio æquè ac suspensio consideretur, vt de deportato, & peregrino alio sensu dicitur in *l. 10. ff. de in ius voc.* & *l. 1. C. de hered. instit.* Peregrini enim iura & res sub protectione Ecclesiæ sunt, *Cap. vnico. de cleric. peregrinant. cap. vlt. de treuga & pace.*

TITVLVS VII.

Vt ſede vacante nihil innouetur.

[a] *Epiſcopo Caluen.* & [b] *Magiſtris I. & V. Canonicis Sueſſen.*

CAPVT I.



LLA deuotionis ſinceritas & ſincera deuotio quam dil. fil. magiſter [c] R. Decanus Teanen. ad perſonam noſtrã & ſedem Apoſtolicam hactenùs habuiſſe dignoſcitur, nos inducunt, vt eum pro ſuæ ſcientiæ ac probitatis intuitu geramus in viſceribus charitatis, & ei denegare nolimus, quæ ſecundùm Deum fuerint concedenda: vnde nos Eccleſiam ſancti Leutij de Capua cum omnibus pertinentijs ſuis de qua donationis noſtræ gratiâ præcedente ipſum præbendæ nomine de mandato noſtro ven. f. n. [d] R. Capuanus Archiepiſcopus inueſtiuit, ſibi duximus autoritate Apoſtolicâ confirmandam, non obſtante conceſſione Capituli factâ de ipſa Eccleſia Roberto de Franco, Canonico Capuano, ſeu confirmatione noſtrâ, ſi qua fortè in forma communi appareret obtenta, quum nuſquam inueniatur cautum in iure, quòd Capitulum vacante ſede fungatur Epiſcopi vice in collationibus præbendarum, nec in eodem caſu poteſt dici poteſtas conferendi præbendas ad Capitulum per ſuperioris negligentiam deuoluta, cùm non fuerit ibi ſuperior, qui eas poſſit de facto, vel iure conferre. Quocirca diſc. v. m. quatenus eumdem magiſtrum in corporalem ipſius Eccleſiæ poſſeſſionem, ſublato appellationis obſtaculo inducatis, & defendatis inductũ.

[a] EPISCOPO CALVENSI.] In veteri Cod. Prouin. Romano ſub Archiepiſcopo Capuano ponitur Caluenſis Epiſcopus, *Calui.*

[b] MAGISTRIS I. ET V. CANONICIS SVESSENSIBVS.] ſic legendum. malè in vno MS. Sueſſionenſib. Sueſſa, *Seſſa*, ciuitas Epiſcopalis ſuffraganea Capuani Archiepiſcopi, antiquitate, veterúmque ſcriptorum commendatione celebris.

[c] R. DECANVS TEANENSIS.] Ita in MSS. malè in vulgatis *Traian.* *Teano* ciuitas Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo quoque Capuano in vet. Cod. Prouinc. Romano.

[d] R. CAPVANVS ARCHIEPISCOPVS.] Capuâ veteri ſæpe dirutâ a Romanis, à Vandalis, ab Oſtrogothis denuò a Longobardis Capua noua ex illius ruinis excitata a pulſis, diſperſiſque ciuibus, vi metúque Barbarorum ad Volturni ripam, Archiepiſcopalis facta à Ioanne XIIII. cùm Othonem II. Imperatorem coronaret.

[a] *Maurino Episcopo. Burg.*

CAPVT II.


Onstitutis olim coram bonæ memoriæ I. Papa prædecessore nostro procuratore Ecclesiæ sanctæ Mariæ de [b] Castro Sororum, & bonæ memoriæ [c] G. Burgen. Episcopo prædecessore tuo, dictus procurator petebat ab eodem Episcopo restitutionem tam super libertate liberè sibi eligendi Prælatum, quàm etiam super terris ipsius Ecclesiæ, & rebus alijs, quibus omnibus pars sua spoliata fuerat, vt dicebat. *& infra.* Lite igitur coram eodem prædecessore nostro super præmissis legitimè contestatâ, & postmodùm coram iudicibus delegatis factis confessionibus & receptis testibus ab eisdem causa fuit ad nos instructa remissa. Procuratoribus igitur partium in nostra præsentia constitutis cùm super præmissis coram nobis diutiùs litigassent, nos diligenter hinc inde propositis & rationibus partium pleniùs intellectis, reprobatis quibusdam depositionibus testium, qui vacante Burgen. Ecclesiâ, & carente legitimo defensore fuerunt minùs iustè recepti, procuratorem tuum nomine tuo de fratrum nostrorum consilio ab impetitione alterius partis sententialiter duximus absoluendū, quæstione proprietatis parti vtrilibet reseruatâ.

[a] EPISCOPO BVRGENSI MAVRICIO.] Sic legendum, non Maturino, nec Maurino, vt in MSS. Hic Mauricius natione Anglus, egregius Præsul fuit Burgensis, & Burgis templum quod hodiè visitur excitauit anno 1222. In hāc ciuitatem, quæ caput est Castellæ veteris (Semeni Episcopi tempore intrà 1000. & 1100) Aucâ vbi eatenus fuerat ab antiquissimo tempore Pontificia sedes translata fuit. V. Marian. *lib.* 8. *cap.* 2. *lib.* 10. *cap.* 2. & *lib.* 12. *cap.* 10.

[b] DE CASTRO SORORVM.] sic MSS. Impressi de Castro forti, Cuiacius legendum vult de Castro Zorits, neutri rectè: reponendum est de Castro Soria diœcesis Burgensis iuxta antiquam Numantiam.

[c] G. BVRGENSI EPISCOPO PRAEDECESS. TVO.] Garciæ de Contreras, qui sedit annis sex, & decessit anno 1210. nam Ioannes I. immediatus prædecessor Mauricij, qui obijt anno 1212. electus tantùm fuit, & non consecrarus.

TIT. VIII.

TITVLVS VIII.

De his quæ fiunt, vel conceduntur à Prælatis sinè consensu Capituli.

Archiepiscopo Senon. & eius Suffraganeis.

CAPVT[a] I.

ET si membra corporis Christi. & *infra.* Prouinciæ Senon. Capitula Cathedralia suam ad nos querimoniam transmiserunt, quòd Archiepiscop. Senon. & suffraganei eius, procuratores ipsorum nuper ad prouinciale Concilium conuocatos ad tractatum eorum admittere noluerunt; licèt nonnulla soleant in huiusmodi tractari Concilijs quæ ad ipsa noscuntur Capitula pertinere, quare nostram audientiam appellarunt. Sanè nos auditis quæ ipsorum nuntij super his proponere voluerunt, & intellectis nihilominùs litteris, quas nobis super eodem curastis negotio destinare, tractatu exinde cum fratribus nostris habito diligenter, & vtrique nobis, & eisdem fratribus nostris concorditer visum fuit, vt ipsa Capitula ad huiusmodi Concilia inuitari debeant, & eorum nuntij ad tractatus admitti, maximè super illis quæ ipsa contingere Capitula dignoscuntur.

a ARCHIEPISCOPO SENONENSI.] Petro de Corbolio, quem se Magistrum habuisse Parisijs gloriatur Innocentius III. in Epist.lib.1.inscripta Decano,& Capitulo Lingonensi, vel Senon. qui obijt anno 1222. vel Gualtero Cornuto qui coronauit Remis S. Ludouicum, & eius vxorem Margaretam anno 1226.

Hoc Capitulum non est Innocentij III vt vult editio vulgaris, sed Honorij nostri, vt omnes MSS. Codices fidem faciunt, & ipse Cuiacius aduertit. Tota quæstio erat an Capitulorum Cathedralium Procuratores,quos vulgò syndicos vocant, interesse debeant Synodis Prouincialibus,licèt de rebus & negotijs priuatis Capitulorum non agatur, quod negabant Senonensis Archiepiscopus,& eius suffraganei. Honorius tamen respondet capitula esse inuitanda ad huiusmodi Concilia, & eorum procuratores ad tractatus admittendi, maximè super illis quæ ipsa contingere Capitula dignoscuntur. Constitutio hæc est singularis, ita vt vix expressè reperiatur an euocanda sint Capitula in Concilijs Prouincialibus, vt in eis Procuratores suffragia habeant,cùm nusquam,vel raro eos subscripsisse reperiamus, nisi in plerisque Hispaniæ Concilijs, & præsertim Tarraconensibus, in quibus Procuratores Ecclesiarum Cathedralium ante Abbates subscribunt: euocatos quidem fuisse ad respondendum de rebus & negotijs Ecclesiasticis cõstat ex Concilio generali sub Innocentio III. *in cap. graue.de Præbend.* & ex *can.* 13. Concilij Tarraconensis primi: *Epistolæ non solùm è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de diœcesanis ad Concilium trahant.* Ratio videtur hæc esse quæ subijcitur à Ioanne Patriarch. Alexandr. anno 1331. in Concilio Tarracon. nempe *quia aliter honos Ecclesiæ Metropolitanæ* & *Concilij minuitur,* & *salubritas con-*

t


ſiliquæ in multis conſiſtit potiùs, quàm in paucis ſubtrahitur circa ea quæ in ipſis Cōcilijs tractanda ſunt: idcircò vetat Epiſcopis ne Procuratores eoſdem mittant qui conſtituti ſunt à Capitulis. Ratio alia ſumenda eſt ex Actione prima Concilij Chalcedonenſis, in Epiſtola Imperatoris ad Dioſcorum Alexandrinum, *ἄυτοι πρῶτον ὑπέγραψαν κληρικοὶ νῦν διὰ τί κράζουσιν; ἡ συνόδος ἐπισκόπων ἐστὶν οὐχὶ κληρικῶν.* id eſt: *Ipſi primi ſubſcripſerunt clerici, nunc quare clamant? ſynodus Epiſcoporum eſt, non clericorum.* Si enim in Concilijs generalibus euocata fuere Capitula, & eorū Procuratores in his ſubſcripſere, multò magis in Concilijs Prouincialibus. Si ius vetus & ordinem antiquum ſpectemus, ſinè dubio conſtabit nullos cœtus, ſynodos, aut negotia tractari debuiſſe abſque aſſenſu cleri, quem hodie Capitula repræſentant. Manus quoque in ordinationibus non ſolùm ab Epiſcopis, ſed etiam Presbyteris & Diaconibus imponebatur, vt conſtat ex *Epiſt.* 33. S. Cypriani: *In ordinationibus clericorum ſolemus vos conſulere, & mores, & merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Idem *in can. Eccleſia.* 16. *q.* 1. In iudicijs idem fiebat *can.* 23. *Concilij Carthag.* 4. & in Epiſt. Leonis Papæ ad Epiſcopos Siciliç iniungitur Epiſcopis omnia agere cum totius cleri tractatu. Idem in *can. ecce ego.* 95. *diſtinct.* Idque tam clarum eſt, vt nemini ſubſit ambigendi locus. Sed paulatim hoc ius imminutum eſt, & ferè omnino ademptum, de quo ſilere non potuit D. Hieronymus *in Epiſt. ad Nepotian.* & ita ſenſim Capitula Cathedralia repulſam paſſa ſunt: Abbatibus tamen non potiori iure ſepius datum ius adſidendi in ſynodis, & Concilijs, maximè his qui dignitate prædití eſſent quos *Baculoſos* vocant Concilia Angliæ, & vulgò ſubſcripſiſſe reperimus. Quæ ratio mouit Innocent. III. *ad d. cap. graue,* vt dicat Capitula tantùm de honeſtate eſſe euocanda, contra quem Panormitanus de neceſſitate vocanda contendit; imò quod fortius eſt, Capitula mulctata pecuniariâ mulctâ fuiſſe conſtat ab Enneco Archiepiſcopo Tarraconenſi in Concilio Tarraconēſi anni 1391. ſi venire neglexiſſent; vnde patet quantùm valuerit hic vſus in dicta Metropoli. In hoc tamen fallitur Panormitanus cùm Capitulis ius tantùm adſidendi non iudicandi tribuit, & ipſos Epiſcopos ſuffraganeos aſſeſſores ad tractandum tantùm non decidendum admitti debere vult, ita vt ſolus Archiepiſcopus ſit iudex: quod tamen verum non eſt; nam & Epiſcopi vocē habent deciſiuam, cùm & eorum Procuratores habeant, vt cenſet Declaratio Cardinalium ad *cap.* 2. *ſeſſionis* 24. *Concil. Trident. de reformat.* Vbi & Abbates Commendatarios, & Capitula vocem tantùm conſultiuam habere reſpondetur; attamen, *tractatus* vox non ſolum diſquiſitionem, ſed etiam deciſionem ſignificare docet Iuriſconſult. *in l.* 9. *&* 11. *§. vlt. ff. ad l. Iul. de adulter.* Aliud eſt de ſynodis Epiſcopalibus vniuſcuiuſque diœceſeos, *can.* 4. *Concilij Arelat. Iuo parte* 4. *can.* 246.

---

a Marturan. & b Croton. Epiſcopis, & c Abbati de Frigido Geneo Caſtren. diœceſis.

CAPVT II.

Non ponitur.



DIlecto filio Rufo Abbate ſanctæ Mariæ de Carra accepimus referente, quòd quum ipſe citatus à nobis pro cauſa quæ vertebatur inter ſe & Monaſterium eiuſdem Carra, quòd ad ſedem Apoſtolicam nullo pertineat mediante ex parte vna, & ven. f. n. [d] Epiſcopum, & Capitulum Neocaſtrenſe ex altera, ſuper eo quòd idem Epiſcopus, & Capitulum, monaſteriū ipſum ad ſe pertinere dicebant, cum quibuſdam monachis ſuis ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, reliqui eiuſdem monaſterij monachi cōpoſitionem quamdam ipſius Abbatis irrequiſito aſſenſu in eiuſdem præiudicium, & grauamen monaſterij ſui temerè cum prædictis Epiſ-

copo & Capitulo inierunt. Cùm igitur temerarium fuerit prædictos monachos irrequisito Abbate eorum compositionem inire, quantumcumque videatur vtilis super eadem causa in qua de subiectione ipsius Abbatis, & sui monasterij agebatur: dis. v. mandamus quatenus huiusmodi compositionem autoritate nostrâ decernentes irritam & inanem, per eam non permittatis sæpedictum monasterium molestari, contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuras Ecclesiasticas appellatione postpositâ compescendo.

a MARTVRANO EPISCOPO.] Martiranus Episcopatus, olim Mamertum, de quo plura histor. Roman. scriptores. Vnicus est suffraganeus Archiepiscopi Cosentini in veteri codice Prouinciali Romano, & vocatur Marturanensis, *Martorano*.
b CROTONIENSI EPISCOPO.] *Crotone* ciuitas Episcopalis in Calabria sub Rhegino Archiepiscopo. Eundem habet cum Parisinis Apostolum, nempe Dionysium Areopagitam, teste Gabriele Barrio, *de antiquit. Calabriæ*.
c ABBATI DE FRIGIDO GENEO.] Cisterciensis ordinis: vnus codex MS. habet, de frigido Geneo, Castrensis diœcesis, & forsan melius. Castrum, *Castro*, vrbs est Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.
d EPISCOPVM, ET CAPITVLVM NEOCASTRENSE.] Neocastrensis Episcopatus in Calabria sub Archiepiscopo Rhegino erat, *Nicastro*, in veteri codice Prouinciali Romano.

[a] *Episcopo, Archidiacono, & Cantori Trecen.*

CAPVT III.



Ilecti fil. [b] Abbas, & conuentus Pultraien. nobis humiliter supplicarunt, vt cùm idem monasterium per dilapidationem R. quondam Abbatis ipsius, qui tamquam dissipator multa & diuersa contraxit debita, tanto grauetur onere debitorum, quòd ipsi ad solutionem non sufficiant eorumdem, prouidere super hoc eis misericorditer dignaremur. Volentes igitur ipsius monasterij, quod ad nos specialiter pertinet, indebitis grauaminibus obuiare; disc. v. m. quatenus autoritate nostrâ, sublato appellationis impedimento, prouidere curetis, ne super debitis quæ nec de conuentus, aut maioris, & sanioris partis eius assensu, nec pro vtilitate monasterij ab ipso R. contracta fuerunt, Abbas & conuentus iam dicti prætextu litterarum ipsius R. cùm plæraque ipse fecisse dicatur etiam post amotionem suam super debitis per litteras molestentur. Non ponitur.

a EPISCOPO TRECENSI.] Herueo, qui vixit vsque ad annum 1223. & ei direxit Innocentius III: *cap. dilectis*. 55. *de appellat.* in cuius capitis epigraphe in veteri Codice iungitur Cantor, & Archidiaconus maior, sicut & in *hoc cap.* vel Roberto, qui sedit vsque ad annũ 1233. Vide Nicol. Camusatum in doctissimo *Promptuario antiquitatum Tricassin.*
b ABBAS ET CONVENTVS PVLTINENSIS.] Legendum *Pultheriensis*, vel, *Pultracensis*, *Pothieres*, ordinis S. Benedicti Lingonensis diœcesis, de quo monasterio, vide Epistolas Ioannis VIII. 210. & 211.



TITVLVS IX.

De his quæ fiunt à maiori parte Capituli.

a *Archiepiſcopo Vienn.*

CAPVT I.

Non ponitur.



Ilecti filij [b] Canonici Maurianen. Eccleſiæ ſuis nobis litteris intimarunt, quòd Eccleſia ipſa paſtoris ſolatio deſtituta, ipſi poteſtatem eligendi ſibi Epiſcopum in tres ipſius loci Canonicos contulerunt; ita videlicet, vt is pro electo ab omnibus haberetur, qui eſſet electus ab illis, vel à duobus eorum, ſi tertius diſcordaret. Cúmque duo ipſorum, tertio diſcordante, dilectum filium I. Decanum ipſius Eccleſiæ, virum, vt aſſerunt moribus, & ætate maturum, & in ſpiritualibus & temporalibus prouidum elegiſſent, tu & Capitulum Vienn. Eccleſiæ ipſam electionē vobis [c] de conſuetudine præſentatam, vt confirmaretis eamdem, irritam decreuiſtis; pro eo quòd duo Canonici Eccleſiæ ſæpedictæ in electores præfatos non contulerunt vota ſua, & quia quidam alius in eóſdem votum ſuum contulit, ſi omnes ipſi electores pariter concordarent: alius verò appellationis interiecisse obſtaculum dicebatur. Quare præfatum Capitulum multâ nobis inſtantiâ ſupplicauit, vt prædictum Decanum quem Eccleſiæ ſuæ affirmant eſſe perutilem, eis de plenitudine poteſtatis in Epiſcopum concedere dignaremur. Licèt igitur de prouiſione ipſius Eccleſiæ, cui ex defectu paſtoris gráue diſpendium imminere aſſeritur, debitam ſolicitudinem habeamus; quia tamen perſona prædicti Decani eſt nobis incognita, petitionem ipſius Capituli abſolutè nequiuimus exaudire: gerentes autem de tua charitate fiduciam ſpecialem, f. t. m. quatenus ſi Decanum ipſum inueneris [d] ad onus idoneum pontificalis officij, & maior & ſanior pars ipſius Capituli conſenſerit in eumdem, tu, proceſſu electionis, ſeu caſſationis prædictæ, ac contradictione paucorum, niſi aliud rationabile obiecerint & probauerint nequaquam obſtantibus, illum præficias in Epiſcopum Eccleſiæ ſupradictæ.

a ARCHIEPISCOPO VIENNENSI.] Brunoni, 75. Archiepiſcopo.

b CANONICI NAVARIENSIS ECCLESIAE.] Lege *Maurianenſis*, vt eſt in vno MS. Nouarienſis Eccleſia, *Nouare*, eſt vltra Alpes, & ſuffraganea Archiepiſcopi Mediolanenſis. Fanū verò S. Ioannis Maurianenſis in Sabaudia, *S. Iean de Mauriene*, ſubeſt Archiepiſcopo Viennenſi.

c De consvetvdine.] Cur ait Pontifex, de consuetudine, quod esse videtur de iure communi, vt ad Metropolitanum, pertineat confirmatio: *Can. 4. Concil. Nicen*; τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ, quod non intelligitur tantùm de ordinatione, sed etiam de confirmatione, vt rectè Balsamo exponit; & Zonaras ad eundem, non solùm χειροθεσίαν, καὶ καθιέρωσιν id est *manuum impositionem, & ius consecrationis*, sed etiam τὴν τελειουργίαν, id est *confirmationem*, seu *operis absolutionem* Metropolitano cõpetere docet, vt videre est in Epistolis Hincmari Rhemensis, quod ius ab omnibus generaliter receptum est. Cui tamen aliquando derogatum fuisse existimandum est ex *hoc cap.* in quo Honorius id Senonensi Archiepiscopo ex consuetudine competere dicit, & ex *cap. nihil. 44. de elect.* De Metropolitanorum verò confirmatione, hodiè reseruata summo Pontifici, vide quæ dixi ad *Titul. de elect.*

d Minvs idonevm.] sic in impressis, & in duobus MSS. Codicibus, malè: rectè in vno MS. *ad onus idoneum.*

TITVLVS X.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

[a] *Conuentui Sancti Thomæ de sancto Amato, Pistorien. diœcesis.*

CAPVT I.



PRoponentibus olim Abbate, & conuentu sancti Antonini Ecclesiam suam debitorum onere aggrauatam, & humiliter postulantibus, vt concederemus, quòd aliquæ de possessionibus suis minùs vtiles venderentur, vt ex earum precio debita soluerentur. Nos eorum postulationibus annuimus in hac parte: ipsi autem non eiusdem Ecclesiæ, sed vestri monasterij, licèt illi subiecti, & res alias idem monasterium contingentes, ven. f. n. Pistorien. Episcopo vendiderunt: quare Archidiaconus & Archipresbyter Senen. propter hoc partes de mandato nostro ad sedem Apostolicam citauerunt, quibus coram nobis postmodùm constitutis, nos huiusmodi contractu rescisso, vos & fideiussores vestros, ac eiusdem monasterij homines à iuramenti & cuiuslibet obligationis alterius, ac excommunicationis vinculo, quo tenebamini eiusdem occasione contractus, duximus absoluendos, in eum statum præfatum monasterium reducentes, in quo ante contractum prædictum noscitur extitisse.

Non ponitur.

a COnventvi S. Thomae, et de S. Amato Pistoriensis dioec.] *Pistoia* vrbs suffraganea Archiepiscopi Florentini, exigua, sed opulenta, & nobilis, vbi multi summâ religione coluntur loci.

[a] *Pragen. Episcopo,*

CAPVT II.

Non ponitur.

POstulasti per sedem Apostolicam edoceri, vtrùm tibi quasdam decimas, quas quidam antecessores tui pro quibusdam villis, religiosis concessere quibusdam, autoritate tibi liceat propriâ reuocare: ad quod tibi duximus breuiter respondendum, quòd si concessionem talem contra canones in Ecclesiæ tuæ præiudicium videris attẽtatã ipsam debes [b] autoritate superioris legitimè reuocare.

EPISCOPO PRAGENENSI.] Videtur legendum, *Pragensi*. Praga, *Prag.* primaria ciuitas Bohemiæ. Iste Episcopus fuit Bisetislaus, qui & Henricus dictus, & quindecim annis Pontificatum simul & Principatum Bohemiæ tenuit. Vide Æneam Syluium. in alio MS. habetur Pingonensi, forsan *Pinnensi* Episcopo *ciuità di Penna*, de quo supra in *cap. 4. nuper. de Testibus.*

[b] AVTORITATE SVPERIORIS.] Archiepiscopi Moguntini cui tunc Pragensis subditus erat; erecta est enim posteà Ecclesia Pragensis in Archiepiscopalem à Clemente VI. in fauorẽ Caroli IV. Imperatoris, & Bohemiæ Regis.

TITVLVS XI.

De locato, & conducto.

[a] *Abbati, & Conuentui sancti Petri de Pratellis, Lexou. diœcesis.*

CAPVT I.



VEstra nobis relatio declarauit, quòd cùm [b] ad firmam dare consueueritis vestrarum fructus decimarum, diœcesani locorum statutum quoddam de huiusmodi decimis non locandis parochialibus presbyteris ediderunt, per quod vtilitas vestra non modicum impeditur: quare super hoc Apostolicę prouisionis remediũ imploratis. Nos igitur vtilitates vestras nolentes indebitè impediri, autoritate vobis præsentium indulgemus, vt statuto huiusmodi non obstante, vestrarum decimarum prouentus liberè locare possitis, quibus vobis expedire videritis, & cum quibus Ecclesiæ conditionem poteritis facere meliorẽ, ita tamen quòd huiusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non valeat extendi.

[a] ABBATI S. PETRI LEXOV. DIOEC.] Malè apud Gregor. Innocent. III. autor dicitur huius *cap.* & peiùs diœcesis huius Monasterij Londonẽsis ponitur, quod & annotauit Cuiacius. Rectè tamẽ Abbatia ibi vocatur de Pratellis, *de Preaux*, vt & *infra, cap. nostro. de remission.* Est ordinis S. Benedicti.

b AD FIRMAM.] Non est diutiùs immorandum in huius vocis significatione, quæ variè sumitur; aliquando pro conuiuio vel edulio, aliàs pro villa, fundo, vel manso sæpe apud Guillelm. Malmesbur. sed meliùs pro mercede quauis, siue consistat in frumento & alijs reditibus, siue in pecunia numerata: quo casu dicitur, *Firma alba*, quæ non in specie præstari debet, sed in nummis, vt videre est in legibus Scotorum *lib.* 2. *cap.* 41. & de his fusè per Henric. Spelmannum in *Glossar.* Vocem esse Saxonicam plures existimant.

a *Archiepiscopo Narbon.*

CAPVT II.

EX parte tua nobis fuit humiliter supplicatũ, vt quasdam possessiones Ecclesiæ tuæ in emphyteusim perpetuã concedendi ad vineas plantandas in eis, tibi licentiam concedere dignaremur; quum speres exinde prouentus ipsius Ecclesiæ augmentandos. Nos itaque de tua discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes f. t. licentiam concedimus postulatam, dummodo ad id Capituli tui consensus accedat. Non ponitur.

a ARCHIEPISCOPO NARBONENSI.] Arnaldo Amalrico primo Inquisitori in Gallia creato, qui sedit ab anno 1212. vsque ad annum 1225. vel, Petro Amelio eius successori, de quibus vide Clar. V. Guill. Catel in *Historia Occitaniæ*.

TITVLVS XII.

De Pignoribus.

Archiepiscopo Colonien. & suffraganeis eius, & alijs Ecclesiarum Prælatis per Colonien. prouinciam constitutis.

CAPVT I.

CVM sæpè contingat Aduocatos a Aduocatias quas in Ecclesia obtinent alijs titulo pignoris obligare, in Ecclesiarum ipsarum non modicam læsionem; nos indemnitati Ecclesiarum vestrarum paternâ volentes solicitudine prouidere, vobis præsentium autoritate concedimus, vt si Aduocati Ecclesiarum vestrarum Aduocatias suas vobis obligare voluerint pignori, vos eas recipere valeatis, nec fructus prouenientes ex eis in sortem teneamini computare; hi autem qui eas obligauerint à seruitio in quo vobis pro Aduocatijs tenebantur interim sint immunes. Non ponitur.

a ADVOCATIAS.] De Aduocatijs satis superque ad *Titul. de iure patronat.* & suprà ad *cap.1.de postul.* in quo hæc discimus, Aduocatos Ecclesiarum stipendiarios, seu beneficiarios fuisse, vt satis colligitur ex *hoc cap.* quo Aduocatias alijs personis, quam ipsis Ecclesijs pignori obligari non posse dicitur; ipsis quidem rectè pignori dantur, nec interim fructus in sortem imputantur contra iuris vtriusque ordinem in *cap. cùm contra, hoc tit.* & *l. 1.* & *vlt. C. de pignerat. act.* nisi tunc demũ cùm pactio quæ dicitur ἀντίχρησις initur: quia tunc iure ciuili fructus non imputantur in sortem. *l. si pecunia, ff. de pignerat. act.* at nostro semper vsuræ vltra sortem reprobantur, *cap. ad nostram.* & *seq. de iureiur.* Casus huius cap. excipitur, cùm Aduocatia pignori datur propriæ Ecclesiæ, quia ad suam naturam redire videtur; & tunc fructus vice vsurarum non funguntur, sed obsequij quod Aduocatus præstare debuit, vt de vassallo dicitur in *cap. 1. de feud.* qui si domino feudi fundum obligauerit eâ lege, vt fructus in sortem non imputaret, nulla est ἀντίχρησις, nec pactio hæc reprobatur hoc iure, quia dominus fructus loco seruitij percipit; & hoc nominatim Alexander III. profitetur in *cap. 1. de vsur. nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit,* & *cap. 8. nisi terra ipsa de feudo sit monasterij vestri.* Ad quod Glossa refert ex opinione Laurentij, hoc introductum esse fauore Ecclesiæ, quod non probo: fauor enim Ecclesiæ nunquam admittitur contra ius generaliter receptum: nec est alia ratio quærenda, quàm quod fructus redeunt in pristinum statum, & Ecclesiæ à qua processerant redduntur; & tunc redimitur ius Ecclesiæ ex Bernardi sententia in *glossa dicti cap. 1.* Imò & si Aduocatus vellet seruire Ecclesiæ eâ lege vt fructus in sortem imputarentur, non esset audiendus, eodem modo quo nec vassallus, vt scribit Tancredus ad *dictum cap. 1. de feud. in 1. compilat.* quia feudum est odiosum cùm in præiudicium Ecclesiæ vergat, & sit alienatio, *cap. nulli. de reb. Eccles. alien.*



TITVLVS XIII.

De Testamentis.

Fredericus Imperator.

CAPVT I.



HAC edictali. *& infra.* Omnes verò peregrini & aduenæ liberè hospitentur & hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa seruetur. Si verò intestati decesserint ad hospitem nihil perueniat, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci tradantur, si fieri potest, heredibus, vel in pias causas erogentur: hospites verò, si aliquid de bonis talium contra hanc nostram constitutionem habuerint, triplum Episcopo restituant, quibus visum fuerit assignandum; non obstante statuto aliquo, aut consuetudine, seu etiam priuilegio, quæ hactenùs contrarium inducebant. Si qui autem contrà præsumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem, vt in eo puniantur in quo deliquerunt, aliàs prout culpæ qualitas exegerit puniendi.

Hæc pars

HÆC pars Constitutionis Friderici de qua *suprà* refertur in *l.* 8. *Commun. de succeß.* Quæstio est de quibus peregrinis loquatur, quibus testamenti factionem concedat. Erant apud Romanos peregrini, seu proculi similes deportatis, & ijs quibus aqua & igni interdictum erat, cùm quibus nulla testamenti factio erat apud Vlpian. *lib. regul. tit.* 22. De his non intelligenda est hæc Constitutio. Exteri qui erant, ius togæ non habentes, testari prohibebantur, *Plin. lib.* 4. *histor.* sed erant alij peregrini qui ius togæ & ciuiũ Romanorum conseruabant, vt erant peregrinantes in exteras gentes studio litterarum, de quibus Tullius 5. *Tuscan. quæst. Philosophi nobilissimi in peregrinatione ætates suas consumpserunt,* (qualis fuit etiam D. Hieronymus) qui similes habebantur absentibus reipublicæ causâ: & tanti erat peregrinatio, vt etiam Senatores Romani eam ambirent, donec lapsa republicâ in seruitutem, hæc libertas primùm adempta fuit à Iulio Cæsare: vt videre est apud Tacitum *lib.* 12. *annal.* Idem de peregrinis religionis causâ; nam hæc peregrinatio προσεγγισμὸν θεοῦ, id est *appropinquationem ad Deum* vocat Gregorius Nyssenus, vt optimè annotauit Cuiacius *obseruat.* 26. *lib.* 23. & veteres finxerũt Mercurium ducem peregrinorum fuisse, & ideò eum ἐνόδιον vocat Theocritus, quia in triuijs statuas eius ponebant, quasi indices viarum, quas Hermas vocabant. Voluit igitur Fridericus hac constitutione contra iuris veteris ordinem peregrinis testamenti factionem præbere. Quin si intestati decederent etiam iuris ordinem sustulit, quo fiscus bona eorũ sibi vindicabat, vtpotè caduca, ἀδέσποτα, eo casu quo omnes intestati gradus deficiebant, *l. vacantia. C. de bon. vacant. lib.* 10. & *l. vlt. C. Theod. eod.* Ita etiam vocat caduca Innoc. III. *Epist.* 173. *lib.* 1.

TITVLVS XIV.

De successionibus ab intestato.

a *Archiepiscopo Lund. & suffraganeis eius.*

CAPVT I.



Etsi multis à sanctis patribus argumentis fuerit laboratum, vt qui ferunt vasa Domini mundi fiant; quia tamen vsque adeò princeps mundi quosdam clericos & presbyteros illecebris mundanis inuoluit, vt munda respuant, & immundam sobolem de immundo procreare contubernio non formident; eos sanè vt ampliùs erubescant in hoc volumus & debemus punire, quòd eorum progenies sic exorta in paternis hereditatibus non succedat. Quocirca f. v. mandamus, quatenus in diœcesibus vestris districtiùs inhibere curetis, vt filij presbyterorum & clericorum, quos ijdem post sacri nuper generalis statuta Concilij in sacris ordinibus constituti turpiter genuerunt, ipsis in hereditate paterna non succedant, & propinquiores sui sanguinis præter illos ad eorum hereditatem facientes admitti, contradictores per censuras Ecclesiasticas appel. postpositâ compescatis. Non ponitur.

a ARCHIEPISCOPO LVNDENSI.] Vide *suprà cap.1. ad nostram audientiam. de probation.* Hoc caput est de filijs Presbyterorum, qui quũ in beneficijs paternis succedere non valeant, ex decreto Concilij generalis; ita nec succedant ab intestato in bonis paternis, quod addit Honorius *hoc cap.* Nec id nouum videri debet, cùm etiam iure ciuili cautum sit, eò quòd patrem non habere dicantur, *Nouellâ* Iustiniani 18. & 89. vnde spurius ab Homero vocatur σκότιος, *obscurus*, siue *tenebrosus*, ἀφανῆς σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ, *mater peperit tenebrosum.* Aliunde tamen bona & honores Ecclesiæ adipisci possunt, *can. Apostolica.56. dist. cap. ex tua. de filijs presbyter.* sicut iure ciuili fieri poterant Decuriones, cùm non sit impedienda dignitas eius qui nihil peccauit, *l. 2. & l. spurij. de decurion.* quod tamen prohibent leges Longobardorum, *lib. 3. cap. vltim.*



TITVLVS XV.

De Sepulturis.

a *Magalonensi Episcopo.*

CAPVT I.



Bolendæ consuetudinis, necnon abominabilis corruptelæ apud Montempessulanum vitium, sicut dicitur, inoleuit, vt videlicet decedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terra in qua sepeliendi sunt certum pretium Ecclesiæ persoluatur: quia igitur id longè est à regula pietatis & ab Ecclesiæ honestate; præsentium tibi autoritate mandamus, quatenus cùm loci diœcesanus existas, inhibeas clericis ne quicquam omnino præsumant exigere hac de causa, iniungens laicis, vt laudabilem consuetudinem erga Dei Ecclesiam piâ deuotione fidelium introductam obseruent, ne fermento hæreticæ prauitatis illam corrumpere videantur, sub prætextu Ecclesiasticæ puritatis.

HOC caput in vulgatis Codicibus adscribitur Innocentio III. sed hæc collectio Honorij integrum [illegible]ibet iuxta tres Codices MSS. nec inter Epistolas Innocẽtij editas ita reperitur.

a MAGALONSI.] Corrige *Magalonensi*, Gualtero qui florebat circa hoc tempus, de quo Trithemius in *Scriptor. Eccles.*

TITVLVS XVI.

De decimis, & oblationibus.

[a] *Abbati, & Conuentui sancti Pontij.*

Caput I.

CVM, sicut ex vestra insinuatione didicimus, quasdam habeatis Ecclesias in quarum parochijs decimæ à laicis per violentiam detinentur, quæ quidem ad Ecclesias ipsas pertinere noscuntur. Nos vestris supplicationibus inclinati autoritate præsentium inhibemus, ne decimæ ipsæ cùm eas ijdem laici dimiserint ad alios, quàm ad easdem Ecclesias deuoluantur. Non ponitur.

a ABBATI S. PONTII.] Tomeriarum, Conuentus iste erat tunc Abbatia Ordinis S. Benedicti fundata à Pontio Comite Tolosano anno 936. nunc sedes Episcopalis erecta à Ioanne XXII. sub Archiepiscopo Narbonensi. *S. Pons de Tomieres.* Nobilissimum fuit Monasterium ex quo Ramirus ad regnum Aragoniæ vocatus fuit. Vide C. V. Guillelm. Catel in *Comitib. Tolosan.*

Decano, & Capitulo Compostellano.

Caput II.

SI diligenti voluissetis meditatione pensare cuius intuitu, & quo tempore sit soluenda vigesima, non tot consultationes in ipsa nimis solicito exquireretis ingenio, quoniam dubium mentis liberalitas manuum excluderet & anticiparet solutio quæstionem. Sanè cùm generalis Concilij fuerit approbatione statutum, vt omnes omninò clerici tam subditi, quàm prælati vigesimam Ecclesiasticorum prouentuum vsque ad triennium conferãt in subsidiũ terræ sanctæ, non oportuit vos de quotidianis dubitare stipendijs quæ in pane, vino, ac pecuniâ numeratâ consistunt, quin vigesima debet inde deduci, de quibus vt minùs difficultatis ac periculi receptoribus ingeratur, si ad eos vigesima transierit, ante diuisionem vigesima deducatur, & sic dubitatio tollitur de vigesimandis illis [a] denarijs, quos superpositum appellatis: nec multùm dubij remanet [b] de panibus illis, quos dicitis in vestro vulgari reguaffas; cùm sicut accepimus tamquã certi redditus, & certis temporibus exsoluantur, vnde cur vigesimam non debeant, non videmus: & quamuis non de singulis congruè, Non ponitur.

competenter tamen de pluribus vno, vel diuersis temporibus prout occurrerit numerus, poterit vigesima statuta de panibus ipsis, vel ipsorum æstimatione deduci. De illa verò pecunia quæ ante inchoationem huius præsentis anni à natiuitate Beati Ioannis incæpti vobis obuenerat, cuius possessionem apprehendistis ante anni inchoationem eiusdem, licèt pòst inter vos fuerit distributa, nolumus ad vigesimam vos teneri; quoniam regulariter constitutio non ad præterita trahitur, sed futura, & distributio illa non plus portionis in singulos contulit, quàm singulis proportionaliter anteà debebatur, ex summa quæ tunc ex nulla sui parte obnoxia erat vigesimæ postmodùm institutæ, nec illam pecuniam vigesimare tenemini quam recipistis mutuò vt ceteris temporibus suppleantur quotidiana stipendia, dummodò ipsa pecunia de vigesimatis prouentibus exsoluatur. Ad hæc cùm sit in serie prædictæ constitutionis expressum, vt omnes omnino clerici tam subditi, quàm prælati Ecclesiasticorum prouentuum vigesimam vsque ad terminum conferant, superfluè dubitastis de Archidiaconis, & quibusdã alijs clericis, quin teneantur vigesimam soluere de prouentibus illis qui ex gratia, intuitu tamen officij, vel loci Ecclesiastici prouenire noscuntur, [c] nisi forsan aliqua exennia sint, quæ ad esculentum vel poculentum pertineant; sic tamen quòd non producantur ad munerum qualitatem, quod meliùs poterit ipsâ rei ostensione, quàm statutâ expressione discerni. Per hæc ergo de procurationibus dubitatio tollitur, nisi fortè secundùm quorumdam reprobatum abusum pecunia redimatur; sed cur talis pecunia vigesimari non debeat ignoramus Ceterùm ad illarum oblationum vigesimam, quæ non in pecunia, sed in quibusdam minutis & in talibus quæ seruando seruari non possunt, videlicet frustulis, vt vestris verbis vtamur, & lacte consistunt, quorum de facili non inueniuntur emptores, nolumus vires prædictæ constitutionis extendi. Quod si forsan vendi contigerit, de precio vigesima deducatur, sed caueant ne dolo à venditione desistãt, quoniam qui fraudem scienter committunt vinculum excommunicationis incurrunt.

[a] DENARIIS.] In Concilio generali sub Innocentio III. indicta fuerat celebris expeditio pro terræ sanctæ recuperatione, & vigesima omnium Ecclesiæ redituum assignata, cuius executio post Innocentij III. obitum ad Honorium deuenit. Dubitatum fuit quomodo hæc vigesima exigeretur, ideóque Honorius Compostellano Capitulo respondet eam ex omnibus quotidianis & menstruis reditibus exigendam, siue in pecunia numerata, siue frumento, vel pane; ità vt sola minuta quæ seruari non possunt exciperẽtur, vt sunt frustula, & quæ fiunt ex lacte, vel caseo, vel etiam Exenia de quibus precium vix potest exigi. Hos denarios *superpositam* vocat Honorius qui erogantur supra commune stipendium. & per *superpositam* intellige quotidianas distributiones, quæ non sunt de cor-


pore Præbendæ, nec de ijs fructibus quos nos vocamus *les gros fruits*: sed sunt denarij qui distribuuntur ijs qui intersunt horis statutis, vt rectè Glossa interpretatur ad *cap. licèt. de Præbend.* quod est ipsius Honorij, & vocantur *Manualia* in *cap. 1. de cler. non resident. in 6.* & *Victualia* in *Cap. de cetero. de cler. non resident.*

b De Panibvs illis.] Panes illi dicuntur Præbendarij, & sportulæ, quòd singulis diebus, & certis horis καθ' ἑκάστον id est viritim præbeantur. *Diuisiones, mensurnas* vocat D. Cyprianus, *Epist.* 34. vt de Panibus ciuilibus, quos scholis dabat Constantinus dicitur in *l. 1. C. de annon. ciuilib. lib. 11.* vel de alijs qui Militares, vel Populares dicebantur, *l. 7. C. Theodos. eod.* Et erant panes cocti *l. 1. C. de frument. vrb. Constantinop. annona in pane cocto domibus exhibenda.* Hi panes distribui solebant illis qui in matricula, seu pittacio descripti erant: ideóque & per panem solebant in possessionem induci, vt ex veteri Formula Gelasij ad *Titul. de Prabend.* retuli. Et hoc seruatur in nostra Ecclesia Tolosana per tactum nempe ianuæ pistrini. hos Panes nos vocamus *Mouflets*, & Hispani in *hoc cap. Requesas.*

c Nisi alia exenia sint.] Exenium, idem quod Xenium, siue munus, aut oblatio vsurpatur ab Innocentio III. *Epist. 3. lib. 1. In Exeniorum Ecclesiarum, & aliorum inuasione*, & in legibus *Longobardorum*, *Ex amicis accepto exenio mulieri aliquid dederat.* Honorius ad esculenta & poculenta refert, minutas scilicet quæ consistunt in frustulis & lacticinijs, & propriè vocantur *Xeniola. Frustula* vox est etiam Hispanica ψώμους vocant Græci, cuius generis erant placentæ illæ quas in secundinis offerebant, Balsamon in *can. 80. synodi 6.* in Trullo, inde ψωμοπώλας, crustularum venditores idem vocat ad *can. 76.* eiusd. Synodi. Distinguit autem Honorius ab alijs Xenijs maioris pretij, quæ vsum eduliorum excedunt *apud Vlpian. l. 6. de offic. Proconf.* quæ ideò prohibentur prouinciarum rectoribus in *l. vnic. C. Theodos. ne damna prouinc. infiig.* de quibus Honorius hîc vigesimam exhiberi vult, vt & mandauit Templariorum & Hospitaliorum Magistris, atque Simeoni Archiepiscopo Rauennati, vt scribit Hieron. Rubeus *lib. 6. Histor. Rauennat.*

Rectori Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Rubiol.

Capvt III.



X parte tua fuit propositum coram nobis, quòd in parochia Ecclesiæ tuæ veteres percipis decimas [a] integraliter, per hoc credens quòd ad te debeant in eadem parochia noualium etiam decimæ pertinere: Sed venerabilis f. n. Episcopus Nouar. huiusmodi noualium decimas R. Canonico Nouar. quasi hoc potuerit de consuetudine, quæ dicenda esset veriùs corruptela, concessit; pro quo quidem ad quosdam ipse iudices nostras litteras impetrauit, qui contra te iniquam diffinitiuam sententiam protulerunt, à qua tu ad nos vocem appellationis emittens, alijs obtinuisti negotium delegari. A nobis ergo humiliter postulasti, vt de indulgentia nostra in parochia Ecclesiæ tuæ in qua veteres decimas percipis, haberes etiam percipiendi decimas de noualibus facultatem. Cùm ergo perceptio décimarum ad parochiales Ecclesias de iure communi pertineat, per quod decimæ noualium quæ fuerint in parochijs earumdem ad ipsas spectare noscuntur, tibi & Ecclesiæ tuæ prædictorum noualium decimas indulgemus, ità quòd ex hoc eidem Canonico quoad vixerit, si eum contra te obtinere contige-

Non ponitur.

rit præiudicium nullum fiat, post eius tamen decessum supradictæ decimæ ad tuam Ecclesiam deuoluantur.

a INTEGRALITER.] Quid sit integraliter percipere decimas, non tantùm respicit noualia, vt hic dicitur, *& cap. cùm contingat. de decim.* nisi aliud priuilegio cautum sit, *cap. ex parte. eod.* & *cap. circa. de priuileg.* sed etiam significat nullas impensas deduci *cap. tua nobis. 26. eod.* exceptá negotiatione, molendinis, & piscarijs, *cap. pastoralis* 28. *eod.* Integraliter etiam sumitur de omnibus reditibus vt in *Legibus* S. Eduardi Regis Angliæ *cap.* 8. & 9. *de omni annona, decima, garba, de equis, pullis, vitulis, apibus,* & alijs minutis decimis, & primitijs. Atque etiam de frugibus feudalibus, vt respondet Innocentius III. in *Epist.* 547. *lib.* I.

a *Nobilibus viris Palentinæ diœcesis.*

CAPVT IV.



Non ponitur. CVM decimæ sint debitæ Domino, quas in signum vniuersalis dominij sibi Dominus reseruauit, de his, non vt de proprio, sed tamquam de re alij debita facere deberetis; cùm si eas quibus non debentur soluatis, non contingat vos à debito liberari: vnde mirati sumus, quòd, sicut referente ven. f. n. Episcopo Palentino didicimus, decimas prædiorum vestrorum non soluitis Ecclesijs in quarum territorio excoluntur, cùm debeantur eisdem, sed pro vestro arbitrio, per quemdam abusum distribuitis quibus vultis; quia verò laici nedum disponere de decimis sed eas cum diuini iuris exsistant nequeunt etiam possidere, eos Ozæ terrere debet exemplum, qui pro eo quòd ad arcam cùm inclinaretur, licèt animo erigēdi eam, manus extendit, à Domino, cùm ei hoc non licuerit, est percussus; vniuersitatem vestram monemus quatenus, abusu non obstante huiusmodi, decimas Ecclesijs quibus debentur integrè persoluatis, cùm iuxta prædicta vobis dispensatio non competat earumdem.

a NOBILIBVS VIRIS PALENTINAE DIOECESIS.] Legendum, *Palentinæ*, vt in alio MS. Palentia in Hispania celebris vrbs à Sanctio Maiore Rege Nauarræ circa annum 1033. in antiquum dignitatis splendorisque locum restituta, instauratæ vrbis nouo Episcopo designato.

TITVLVS XVII.

De regularibus, & transeuntibus ad religionem.

[a] *Magistris R. & VV. de sancto Laudo Doctoribus Decretorum, & VV. de Castaneto* [b] *Canonico Aquen. Bononiæ commorantibus.*

CAPVT I.



Itteras quas super negotio Ioannis scholaris Bonon. quod vestro duxeramus examini committendum, vestra nobis deuotio destinauit benignè recepimus, & earum tenore pleno concepimus intellectu, dil. filio Magistro Petro procuratore scholaris ipsius, eum infra probationis tempus ab Ordine Prædicatorum exisse firmiter asserente. Ideóque disc. vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit memoratum I. nullâ factâ professione ab Ordine iam dicto infra tempus probationis exisse, denuntietis ipsum ad obseruationem eiusdem, vel alterius Ordinis non teneri. Non ponitur.

a MAgistris R. & VV. de sancto Laudo, Doctoribus Decretorum, & VV. de Castaneto Canonico Aquensi Bononiæ commorantibus.] Sic legenda est inscriptio huius cap. Fama Academiæ Bononiensis studiosos à diuersis partibus Italiæ euocabat, & tanta quotidiè in vrbem litterarum gratiâ multitudo confluebat, vt anno 1190. Clemens III. decretum edere coactus sit de ædibus scholaribus Bononiæ locandis, ad sedandas controuersias quæ quotidiè hac de re emergebant, quod exstat in *cap. 1. de locat. & cond.* & *cap. vn. eod. tit.* in *2. compilat.* sed præcipuè ibi vigebant studia iuris canonici sub Honorio nostro ob famosissimum Professorem Tancredum, de quo supra.

b CANONICO AQVENSI.] Vrbs est homonyma, plures enim fuit huius nominis Episcopatus, sed verisimile est hîc intelligi de Aquensi in Liguria, *Acqui*, sub Archiepiscopo Mediolanensi in veteri codice Prouinciali Romano.

Quæstio huius capitis sæpè decisa est, præcipuè ab Innocentio III. in *cap. consulti. hoc tit. apud Gregor.* propter opinionem veterum quorundam qui suscepto habitu professionem factam existimabant. Hîc quidem agitur de habitu Professionis distincto ab habitu Probationis *cap. ex parte. hoc tit.* & tunc triduum requirebatur *cap. ad nostram. eod.* Olim non induebantur vestibus qui ad probationem admittebantur, quam Pulsationem vocabant, & hi remanebant in Pulsatorio, quod erat locus examinis, *cap. 73. lib. 1. Capitular. Caroli M.* imò nec tondebantur, ideò transfugas Professos, quos ξυροκουρίτας vocat Balsamo ad Monasterium in quo tonsi erant, vel titulati reducendos statuit, *Canon. 4.* synodi 1. & 2. Constantinopol. & Gregor. in *cap. vlt. hoc tit.*

Abbati Cisterc. & vniuersis Coabbatibus, & fratribus sub eodem Ordine Deo seruientibus.

Capvt II.

Non ponitur.

COnstituti, & *infra*. Significastis siquidem nobis quòd in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inoleuit; videlicet, quòd cùm aliqui æmulantes charismata meliora, monasteria vestri Ordinis volunt causa religionis intrare, vt ibi Domino famulentur, Capellani eorum donec ab eis priùs quæ mortuaria nuncupantur extorqueant, prout à parochianis suis decedentibus consueuerunt accipere, illis temerè se opponunt. Quare super hoc nostræ prouidentiæ remedium flagitastis. Volentes ergo abusum corruptelæ huiusmodi aboleri, autoritate vobis præsentium indulgemus, vt Capellanorum contradictione huiusmodi non obstante, liberas personas ad vos è seculo fugientes liberè recipere valeatis.

SIngulare est quod hìc tractat Honorius Capellani, id est Rectores, seu Plebani (ità vocabatur Vicarius perpetuus, seu Rector nostræ Ecclesiæ Tolosanæ Capellanus maior) ad Cisterciensem Ordinem conuolantes impediebant, nisi priùs ius mortuarij seu sepulturæ, quod solebant exigere à parochianis, exsoluissent: eâ potissimum ratione, quòd seculum relinquentes mortui mundo sunt, & monachismus morti comparetur. Elegans dialogus est apud Palladium in *Lausiaca sect.*85. de quadam inclusa, ζῇς, ἢ, ἀπέθανες; πιστεύω εἰς τὸν Θεὸν μου ὅτι ἀπέθανον τῷ κόσμῳ. id est; *Viuisne, an es mortua? Credo in Deum me esse mortuam seculo.* Ideò & hodiè etiam in quibusdam monasterijs is qui professionem facit super pallium mortuarij pronus in faciē suam, & humi prostratus extenditur, interea dum psalmus *De profundis*, & orationes dicuntur, & campanæ pulsantur. Nec absque ratione Honorius pretium mortuarij à viuentibus exigi vetat, quod & condemnat Innocentius III. in *cap. audiuimus. de Simon.* in quo Episcopi quidam idem ius exercebant si miles aut clericus domum religionis ingrederetur. Nec abs re id vetitum sub Simoniæ pœna, quòd olim hic mos inualuisset, vt non liceret religionem ingredi, nisi ex consensu Plebani, eò quòd *iure Parochiali eidem obligati tenentur,* ait Innocentius III. in *Epist. ad Decanum, Archidiaconum, & Canonicos Cabillonenses, lib.* 13. *reg.* quæ nominatim est in facto huius Capitis, nempe de Cisterciensibus. Hunc morem dānat Honorius, quia redolet gentilium auaritiam, qui ex mortuis vectigal capiebant, apud Xiphilinum *in Nerone*. Aristoteles 2. *Rhetoric.* *καὶ ἀπὸ νεκροῦ φέρει*, & in *l. vltim. de religios. Cod.* quam ex Basilicis edidit Cuiacius *obseruat. lib.* 11. *cap.* 21. quá abrogatur *l. funeris.* 37. *ff. eod.*

Sancti

Sancti Mauritij, & de Martiniaco Prioribus, Sedunen. Diœc. & Sacristæ Sedunen.

CAPVT III.

DIlectus fil. I. Canonicus Sedun. in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd idem in monasterio de Senterio Cisterciensis Ordinis simpliciter, & sinè qualibet protestatione intrauit; sed idem non valens asperitatem Ordinis sustinere, exinde infra tempus probationi præfixum exiuit: vnde postulauit à nobis, vt cùm ibi professionem non fecerit, super hoc ab eius conscientia dignaremur totius dubitationis scrupulum remouere. Ideóque mandamus quatenus si vobis constiterit de præmissis, ipsum I. denuntietis ad prædicti Ordinis, vel alterius obseruantiam occasione huiusmodi non teneri. Non ponitur.

a S. MAVRITII SEDVNENSIS DIOECESIS.] Celebre est Monasterium S.Mauricij ordinis S. Augustini fundatum a Sigismundo Burgundiæ rege. Sedunum ciuitas Vallesiorum ad Rhodanum, *Sion* Gallicè. *Sitten* Germanicè.

Episcopo Venetensi.

CAPVT IV.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli sunt in diœcesi Venetensi, qui licèt pluribus annis gestauerint habitum monachalem, professionem tamen monasticam non fecerunt, vnde cùm super eo quòd habent proprium, & alias irregulariter viuunt, à te, vel ab alijs arguuntur, non erubescunt dicere, se ad carentiam proprij & continentiam, ac alias regulares obseruantias non teneri, cùm habitus nequaquam monachum faciat, sed professio potiùs regularis: Quare super his Apostolicum postulasti remedium exhiberi, cùm inordinata vita præuaricatorum huiusmodi non solùm eis periculum, sed etiam scandalum inferat mentibus aliorum. Ideóque fraternitati t. mandamus, quatenus quoslibet tibi lege diœcesanâ subiectos, qui prædicto modo terras vijs ingrediendo duabus iuxta Prophetam væ sibi & perditionem acquirunt, vt postquàm per annum gestauerint habitum monachalem, regulam quoque secundùm formam Ordinis profiteantur & seruent, monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ compellas.

X

a EPiscopo Venetensi.] Guillelmo qui vixit vſque ad annum 1223. vel Roberto qui ſedit ab anno 1223. vſque ad annum 1236.



TITVLVS XVIII.

De conuerſione coniugatorum.

a *Epiſcopo, Decano, & Theſaurario Lingonenſi.*

Capvt I.

SIgnificauit nobis A. mulier, quòd cùm ipſa R. militi viro ſuo coram Decano ſancti Quiriaci b Pruinenſis c vice bonæ memoriæ P. Archiepiſcopi Senonenſis in hac parte fungente, licentiam conceſſerit religionem intrandi, continentiæ tamen voto eidem iniuncto, & receptâ fide ab ipſa, quòd perpetuò contineret, idem Decanus poſt factam profeſſionem à milite antedicto, in monaſterio in quo habitum aſſumpſerat monachalem, aſſeruit ipſam debere religionem intrare, quamquam id primò non expreſſiſſet eidem, & hoc expreſſo ipſa illi licētiam non dediſſet, ac eam ad hoc per Venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Senonenſem fecit pluries commoneri: propter quod eadem, de conſenſu dicti Archiepiſcopi, noſtrum ſuper hoc conſilium implorauit. Quocirca m. quatenus ſi eſt ita, & eſt talis ætatis de qua ſuſpicio non poſſit haberi, ipſam votum continentiæ obſeruantem intrare monaſterium compelli non permittatis.

a EPiscopo Lingonensi.] Malè apud Gregor. hoc caput tribuitur Innocentio III. & dirigitur Lincolnienſi Epiſcopo. Rectè omnes MSS. Lingonenſi; nam in eo agitur de muliere Galla, non Anglica. Porrò hic Epiſcopus eſt Guillelmus de Ianuilla 62. vel Hugo 2. de Monteregali, qui ſederunt ſub Honorio III.

b Prvinensis.] Lege Pruuinenſis, *de Prouins.* Eccleſia Collegiata S. Quiriaci, ſub Decanatu Pruuinenſi eſt ad Regis collationem in diœceſi Senonenſi.

c Vices P. Archiepiscopi Senonensis.] Petri de Corbolio magni viri, de quo *ſuprà cap. 1. de his quæ fiunt. &c.* 72. Archiepiſcopi. Quæſitum fuit *hoc cap.* an vxor quæ conſenſit, vt vir religionem profiteretur, ad religionem eſſet cogenda; quod videtur cōcludere Honorius, niſi tam prouectæ eſſet ætatis vt incontinentiæ ſuſpicione carere poſſet, aliàs ſit cogenda ad ingreſſum Monaſterij. Dubitatio emergit ex eo, vt reor, quòd olim quædam eſſent religioſæ quæ proprias domos habitabant, non monaſteria, Eugenius Papa *Epiſt.* 26. & hæ laicalem habitum geſtabant, *μετὰ λαϊκοῦ σχήματος καὶ ὁμολόγων παρθενεύειν*, id eſt, *cum laicali habitu virginitatem profitebantur* ait Balſamo ad *Can.* 19. ſynodi Nicenæ, & *Can.* 16. ſynodi Chalcedon. Zonaras tamen quemdā habitum eas accepiſſe ab Epiſcopis dicit. Ita & pluries fieri ſolebat vt coniugati poſt habitum ſuſceptum degerent *εἰς κόσμικα καταγώγια*, id eſt *in mundanis diuerſorijs*, quos ad monaſterium reducendos eſſe Balſamo reſpondet *ad interrogat.* 27. *Marci Patriarchæ.* Talis fuit Marcellina ſoror S. Ambroſij, vt apud eun-


dem legitur *lib. de virginit.* quæ virginitatem ſub Liberio Papa vouerat. Tales erant Euſtochium, Principia, Demetria Romæ, quæ quidem locum tabulis diſtinctum in Eccleſia habebant, vt ex ipſo D. Ambroſio conſtat *lib. ad virg. lapſ. Nonne*, inquit, *& locum illum tabulis ſeparatum in quo in Eccleſia ſtabas recordari debuiſti?* De his *can. 19. Concilij Aurel. V. Moniales*, ait, *quæ nubebant puniuntur, & illæ quæ in domibus proprijs tam puellæ, quàm viduæ commutatis veſtibus conuertuntur.* Concilium Moguntin. *can. 21.* & Sozomenus agens de quatuor ſororibus Theodoſij iunioris Pulcheria, Placilla, Arcadia, & Marina quæ in domo propria caſtitatem vouerant, *lib. 9. cap. 1. τὴν αὑτῆς παρθενίαν τῷ θεῷ ἀνέθηκε, καὶ τὰς ἀδελφὰς ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἐπαιδαγώγησε βίον*, id eſt, *ac primùm virginitatem ſuam deuouit, deinde & ſorores ſuas ad idem vitæ inſtitutum educauit*, loquitur de Pulcheria. Quod tandem correctum fuit & ſtatutum, vt virgines, aut viduæ ad votum nonniſi in monaſterijs admitterentur, *can. 44.* Concilij Pariſienſ. ſub Ludouico Pio, *Aut nubāt, aut ſi potiùs Deo ſe ſacrari expoſtulauerint, admoneantur, & inſtruātur vt non in domibus proprijs, ſed in monaſterijs ſub ſpiritalis Matris regimine ſe ſeruituras ſubdant.* Et ita ex hac regula excipit hîc Honorius eas quas a pudicitiæ periculo ætas ingraueſcens exemit, vt etiam Innocentius III. declarat in *cap. ad Apoſtolicam. hoc tit.*

TITVLVS XIX.

De Voto & Voti redemptione.

[a] *Electo MedioIanenſi.*

Capvt I.



A Eccleſiæ Mediolanēſis Canonicus [b] nobis humiliter ſupplicauit, vt cùm teneatur ex voto beati Iacobi limina viſitare, ac propter quamdam occultam infirmitatem corporis quâ laborat ſinè vitæ periculo, nequeat, ſicut credit, tanti labores itineris ſuſtinere, votum ipſum commutare in aliud dignaremur. Ideóque diſc. t. m. quatenùs prouidè indagatâ veritate votum ipſum, ſi neceſſitas videbitur id expoſcere, autoritate noſtrâ commutes in ſatisfactionem aliam competentem; prouiſo vt ſumptus quos eſſet facturus in via, conuertat in opera pietatis, & laborem corporis redimat ieiunijs & orationibus ſolicitiùs inſiſtendo. Non ponitur.

[a] Electo Mediolanensi.] Henrico II. Setara ex Cimeliarcha Archiepiſcopo 55.
[b] Ecclesiae Mediolanensis Canonicvs.] In vno MS. Codice ſcriptum eſt Modecienſis Canonicus. Modoëtia, *Monza*, celebre Ducatus Mediolani oppidum vbi ſeruatur corona ferrea quâ reges Italiæ & Imperatores coronari ſoliti.

Voti redemptionem per commutationem fieri iam plenè docui ad *hunc titul. apud Gregor. Redimere*, hic eſt compenſare votum peregrinationis cum pretio aliquo. Locus eſt inſignis Metelli apud Caniſium *Tomo 5.* ſolebant vouentes ſumere de terra vbi iacebant martyres, & æquâ lance libratam cum corpore tantùm auri vel argenti penſabant.

Quòd puerilia corpora morbida
Si fuerint, ibi cum prece ſedula
Penſa ſubſequitur reprecatio.

Hic agitur de peregrinatione ad vrbem S. Iacobi Compoſtellæ, quam Metropolis iure decorauit Calixtus II. in honorem B. Iacobi, cuius corpus illic requieſcere ait Innocentius III. *Epiſt. 121. lib. 2.* quam & ideò magnis priuilegijs exornauit, ſicut reges Hiſpaniæ eam magnis bonis ditarunt, præſertim cenſu, quē

Vota nuncupant, ex omnibus boum paribus qui nutriuntur in Gallecia, Lusitania, & Toleto, vt constat ex dicta *Epist.* 121. & 127. *lib.* 2. *Registri* dicti Innocentij. Votum tamen primum hac de re quod tribuitur Ramiro primo, impugnat Prudent. de Sandoual in *Vita dicti Ramiri*: & partes quædam non exiguæ sanctarum reliquiarum D. Iacobi asseruantur in Ecclesia S. Saturnini, & in Capella S. Iacobi in hac nostra ciuitate Tolosana, vt antiquissimum monumentum à Carolo magno acceptũ, qui & dictã Capellam fundauit, & magnis priuilegijs ornauit, vt ex veteribus Ecclesiæ Tolosanæ Chartularijs constat.



TITVLVS XX.

De statu monachorum.

Salisberiensi, & [a] Bregadensi Præpositis.

Capvt I.



Ostulastis per nostras litteras edoceri, an vobis professis Ordinem regularem, quorum alter cruce signatus est, & reliquus [b] crucis charactere desiderat insigniri, liceat vicesimam prouentuum Ecclesiarum vestrarum deputatã succursui terræ sanctæ deferre vobiscum, vt per vos proficiat illius terræ succursui, qui parati estis personas vestras exponere seruitio Iesu Christi; præsertim cùm multi exemplo æmulationis laudabilis prouocati ad currendum post vos viriliter accingantur, præliaturi prælium Domini contra gentes. Quia verò liberationi terræ illius totis viribus aspiramus, disc. v. p. a. s. m. quatenus si Ecclesiæ vestræ aliàs per absentiam vestram enormiter non lædantur, & vos vtiles fueritis terræ Domini verbo pariter, & exemplo, quod conscientiæ vestræ duximus relinquendum, dimissis procuratoribus idoneis in Ecclesijs vestris, potestis & tenemini votum peregrinationis adimplere, ac sic potest in vsus vestros transire vicesima Ecclesiarum vestrarum deputata subsidijs terræ sanctæ.

HOC caput legitur *supra, tit. proximo, apud Gregor.*

a Bregadensi Praeposito.] In impressis, & in vno MS. Bengadiensi, in alio Begadiensi. Nullam huius nominis Ecclesiam in Anglia reperi. Vide an legendum sit Bangorensi: Sarisburiensis & Bangorensis, seu Bancorensis, *Bangor*, in Anglia suffraganei Archiepiscopatus Cantuariensis. Mihi tamen magis arridet Honorium rescribere Readingẽsi Præposito: *Rheadyge*, vel *Reading*, vrbs est in Comitatu Bercheriæ diœcesis Saris buriensis, iuxta quã templum magnificentissimum construxit Henricus primus, in quo sepultus ipse fuit & Mathildis filia eius: Begadiensis enim paucis litteris distat à Readygensi.

b Crvcis Charactere.] Crucis signationem pro recuperatione terræ sanctæ primũ cœptã sub Vrbano III. asserunt Vuillelmus Tyrius *lib.* 1. *cap.* 14. & Bertoldus ad annum 1095. *Omnes qui se*, inquit, *ad iter deuouerunt signo crucis seipsos in vestibus notare fecit, in Concilio apud Claromontem. Et tunc crucis signum super humerum dextrum impressum fuit*, *cap.* 11. *lib.* 4. *Chronici*

Cassin. Exemplo tesseræ militaris, quam olim dextro brachio alligabant, insculptis suis & patrũ nominibus, apud Iustinum *lib.* 3. vt & Fabricensibus in dextro brachio stigmata infligebãtur, & tyronibus etiã *l.* 3. *C. de fabricens. lib.* 11. Nec solùm vestib⁹ Crucis character imprimebatur, sed etiam fronti, vt idem Bertoldus refert, & Robertus monachus *lib.* 2. *Aut in fronte, aut in scapulis dextris, signum ferebant sanctæ Crucis.* Et hoc erat symbolum professionis, & character Dominicus, a Græca voce χαράζω, id est *obsigno*, imprimo, inde *charaxatura*, idem quod character, & *Charaxator* apud Flodoardum & Gregor. Turon. Ideò hi characteres dicebantur *Cruciatæ*, nos *Croisade.*

[a] *Abbati, & Priori sancti Victoris Parisien. Andegauen. & Rhotomag. diœcesis.*

CAPVT II.


Abentes lumbos præcinctos. *& infra.* Sanè nostris est auribus intimatum, quòd cùm ante generale Concilium apud monasterium vestrum Fili Abbas, & Prior sancti Victoris, Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium vestro monasterio subiectorum ordinis vestri commune consueuerit Capitulum celebrari, & per illud de suis claustris exstirpari spinas & tribulos vitiorum, & plantari virtutum genimina in eisdem, constitutione in eodem Concilio editâ pro reformandis monasterijs monachorum, vt in singulis regnis, siue prouincijs fieret de triennio in triennium, saluo iure diœcesanorum pontificum commune Capitulum Abbatum & Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale concilium celebrare, & extensâ constitutione huiusmodi ad Canonicos regulares iuxta sui Ordinis instituta seruanda; quidam Abbates & Priores monasteriorum, qui vestro monasterio sunt subiecti ordinis vestri contempserunt ad huiusmodi Capitulum conuenire, qui ex hoc non immeritò præsumuntur habere opera tenebrarum, ac sic ritus celebrandi commune Capitulum, qui ex constitutione prædicta debuit fortiùs obseruari, in desuetudinem abijt, & in eneruationem obseruantiæ regularis. Cùm igitur huiusmodi Capituli celebratio sit canonicæ institutionis custodia, eò quòd in ipso praua in rectitudinem, & aspera in vias planas, euellendo nociua & plantando salubria dirigantur; discretioni vestræ m. quatenus conuocatis Abbatibus & Prioribus, Abbates proprios non habẽtibus, ordinis vestri monasterio vestro subiectis, & eos qui venire comtempserint ad id, dummodò non sint impedimento canonico præpediti, monitione præmissâ per cens. Ecclesiast. appellatione postpositâ compellentes, celebretis apud sanctũ Victorem commune Capitulum more solito, & procedatis in eo Deũ habentes præ oculis, iuxta constitutionem Concilij memorati, eadem

Non ponitur.

censurâ facturi, quæ in eo deliberatione prouidâ fuerint ordinata, firmiter obseruari: vt autem quæ statuta fuerint magis teneantur memoriter & seruentur, volumus & mandamus huiusmodi Capitulum annis singulis celebrari.

a *Abbatibus, & Priori S. Victoris Parisiensis, Andegauensis, & Rothomagensis.*] Ita in vno MS. rectè. Tres istas prouincias subiectas esse huic celeberrimo Monasterio ordinis S. Augustini fundato à Ludouico Crasso Galliæ Rege anno 1113. (cuius Abbas erat tempore Honorij nostri Ioannes 9.) colligitur ex hoc cap. & modus celebrandi Capituli, de quo etiam Benedictus XII. in *Constitution. suis cap. 7.* In quo præcipit Ecclesijs Cathedralibus, Monasterijs, & locis Collegiatis, Ordinis S. Augustini, die statuto celebrari Capitulum singulis annis, *in loco scilicet principali*, & non alibi, nisi euidens necessitas suaderet. Ad hoc autē Capitulum Abbates, Præpositi, Priores, Administratores, eidem loco principaliter immediatè subiecti, conuenire debent. Porrò præter commune Capitulum, debet celebrari Prouinciale, in singulis prouincijs designatis de quadriennio in quadriennium (Honorius hîc ait de triennio in triennium) vt eædem constitutiones præferunt *cap. 7. iam dicto*, vbi distinguntur prouinciæ totius orbis, & nominatim nostræ Galliæ, Ebredunensis, Viennensis, Aquensis, & Arelatensis pro vna: Lugdunensis, Tarentasiensis & Bisuntinensis pro vna: Burdegalensis & Bituricensis cum Episcopatu Aniciensi pro vna: Narbonensis, Tolosana, & Auxitana pro vna. De Senonensi sub qua Abbatiæ S. Victoris, & S. Genouefæ nulla mentio.

a *Præposito, & Canonicis Viterbi. Cenadien. Diœcesis.*

CAPVT III.

Non ponitur. SIcut ven. f. n. Cenadien. Episcopus olim nobis exposuit idē in suæ reperit promotionis initio Ecclesiam vestram, quæ [b] nigrorum fuerat monachorum in spiritualibus & temporalibus destitutam, & consistentes ibi personas regulari abiectâ obseruantiâ inter alia quæ committebant enormia, inter septa loci eiusdem falsam [c] fabricare monetam; ita quòd distractis propter hoc mobilibus & immobilibus, in eam cruces Ecclesiæ, necnon calices, & alia vasa sacra conflarent. Cúmque ipsius loci monachi ex tantorum criminum conscientia indignationem regiā, & eiusdē Episcopi metuentes ab eadem Ecclesia migrauissent, & de regularibus ei non possit personis commodè prouideri, Episcopus ipse cum beato Augustino *claudos habere maluit, quàm mortuos deplorare.* Vnde prædictam Ecclesiam personis vacuam, & facultatibus spoliatam [d] de secularibus duxit Canonicis ordinandam, te fili C. cuius expertam habebat industriam in ipsius Præpositum instituto. Nos igitur Regis ipsius, & eorumdem Episcopi, & Capituli, ac vestris precibus inclinati, quod ab eodem Episcopo factum est super hoc ratum habentes, ordinationem eamdem autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

a Variant MSS. Codices in epigraphe huius cap. vnus habet, *Præposito, & Canonicis, Bituricensis diœcesis*: alius, *Præposito & Canonicis Vuiterbi, Cenadiensis diœcesis*. Tertius. *Præposito, & Canonicis Vuitebc.* Neutri benè: vltimus tamen magis redolet veram lectionem. Legendum *Canonicis de Petouio.* Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico ait: Petouio, Tacito colonia est & oppidum in Carnis, ad Drauum fluuium, hodie *Petta*ʋ. apud Ptolem. *lib.* 8. Βαιτουΐων. *Vatabium* vocatur: Ammianus habet *Betobio*, per B. vt in 3. MSS. Inscriptiones antiquæ, *Patobio*, per diphthongum. Ecclesia est sub Cenadiensi Episcopo Hungariæ, *Chonad*, de quo supra.

b Nigrorvm Monachorvm.] S. Benedicti scilicet, ad differentiam alborum, qui erant Ordinis S. Augustini, vt ex Iacobo de Vitriaco *cap.* 13. *histor. Occident.* constat; & vulgò notum est omnes monachos in albos & nigros fuisse diuisos, *cap. ex parte. de decim.* Nigri coloris nomine, burellum comprehendit D. Bernardus in regula Militum templi, vt iam C. V. Bosquetus annotauit ad *Epist.* 122. & 123. Innocentij III. *lib.* 13.

c Fabricare Monetam.] Ex hoc cap. colligitur Regem in eo læsum fuisse; nam ius cudendæ monetæ regium est, 5. *feudor. tit. de iure fisci.* Qui monetam sine licentia Principis fuerit, etsi titulum Principis præferat, iustique sit ponderis, falsi tenetur, & legis Corneliæ numerariæ pœnis subiacet, quâ puniuntur qui in priuatis ædibus id agunt *l.* 3. *C. de falsa monet.* Cassianus *Collat.* 1. *cap.* 22. tanquam adulterina nomismata & parachâraxima reprobemus, vtpotè quæ falsam imaginem regis non legitimè signatam contineat. Inde falsi monetarij dicuntur παραχάρακται, apud Suidã. Quibusdã Ecclesijs fuit cõcessa monetę cusio, vt de Lugdunẽsi ecclesia scribit Seuertius, ad ann. 1363. in Guillelmo 2. & nos suprà diximꝰ de Abbate S. Augustini Cãtuariensis.

d De secvlaribvs.] Propter mores corruptos, aut diuini cultus dispendium regulares Ecclesiæ in secularem statum conuertuntur autoritate Apostolicâ, & quod hîc Cenadiensis Episcopus fecerat nullius erat momenti, nisi ab Honorio fuisset confirmatum, nullâ etiam falsâ suggestione interueniente, alioquin facilè reuocaretur, vt ab Innocentio III. in causa Conuentrensis Ecclesiæ, quæ in pristinum statum restituitur, etsi Cestrensis Episcopus à Clemente III. id impetrasset *Epist.* 143. *lib.* 1.

[a] *Abbatibus, & monachis in Lombardia, & [b] Marchia Teruisina constitutis.*

Capvt IV.

Ea quæ pro religionis honestate ac religiosorum salute prouidè ordinantur Apostolico sunt munimine roboranda, vt suscipiantur deuotiùs, & diligentiùs obseruentur. Quum ergo per dil. f. [c] Abbatem Montisbelli quædã Capitula nobis fuerint præsentata, quæ ad castigandum transgressiones multiplices & excessus, quos in quibusdam cœnobijs inuenerat videbantur pro salute & honestate vestra laudabiliter statuenda, nos ea examinari & corrigi fecimus, & præcipimus vt inuiolabiliter obseruetis, quæ sigillis ven. f. n. H. Ostiensis, & [d] N. Tusculanensis Episcoporum muniri fecimus ad cautelam. Ad hæc volumus, & præsentium autoritate præcipimus, vt Visitatores ad generale Capitulum conuocent Abbates, & Priores non habentes Abbates proprios, tam exemptos, quàm non exemptos Lombardiæ & Marchiæ, qui non cõsueuerunt huiusmodi Capitulum celebrare: prouidentes vt in ipso Capitulo generali, canonico impedimento sublato, eos qui contẽpserint vel neglexerint cõuenire, sublato cuiuslibet contradictionis

& appellationis obstaculo Ecclesiasticâ censurâ compellant, & vsque ad satisfactionem condignam sententiam, quam in eos ritè tulerint non relaxent, eâdem censurâ facturi, quæ in eodem Capitulo deliberatione prouidâ fuerint ordinata firmiter obseruari, reddituri tam ipsi quàm Visitatores, & alij iuxta cuiuslibet ministerium Domino, in cuius conspectu nuda sunt omnia & aperta, in extremo examine rationem, si omnem solicitudinem & diligentiam, quæ circa correctionem & reformationem Ordinis, ac visitationem cœnobiorum impendendæ fuerint neglexerint adhibere. Porrò, cùm Visitatores secundùm statutum generalis Concilij ordinati à generali Abbatum Capitulo processerint ad visitationis officium exsequendum, de statu monasteriorum & obseruantijs regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant & reforment, quæ viderint corrigenda: ita tamen quòd monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eísque iniungi penitentiam salutarem iuxta B. Benedicti regulam, & Apostolica instituta, non secundùm normam prauæ consuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam Ecclesijs inoleuit. Ipsi etiam Visitatores monachos, quos contumaces inuenerint & rebelles, iuxta modum culpæ vice nostrâ regulari censurâ percellãt, absque personarum delectu, non parcendo rebellibus, ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin ouem morbidam eijciant ab ouili, ne inficiat sanas oues. Si verò Abbates in corrigendis iuxta Visitatorum mandatum & regularia instituta seipsis, suísve monachis inuenti fuerint negligentes, proclamentur, corripiantur, & ita puniantur publicè in Capitulo generali, quòd pœna ipsorum sit alijs in exemplum.

Porrò si Abbas aliquis non exemptus, fuerit à Visitatoribus nimis negligens inuentus, & remissus, id loci Diœcesano denuntient, sinè mora, & per illum detur ei fidelis & prouidus coadiutor vsque ad Capitulum generale. Quòd si dilapidator inuentus fuerit, vel aliàs merito amouendus per diœcesanum, postquàm hoc sibi à Visitatoribus denuntiatum fuerit, amoueatur absque iudiciorum strepitu à regimine Abbatiæ, ac monasterio prouideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de Abbate prouisum. Quod si forsan Episcopus hæc adimplere noluerit, vel neglexerit, Visitatores, vel præsidentes in Capitulo generali defectum Episcopi Apostolicæ sedi non differant intimare: hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus per Visitatores, vel præsidentes in Capitulo generali, depositione tantùm ipsorum sedi Apostolicæ reseruatâ,

reseruata, ita tamen vt Abbate qui amouendus videbitur interim per Visitatores, vel in Capitulo præsidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus monasterio deputetur. Illorum autem excessus, & alia quæ visa fuerint intimanda Capitulo, præsidentes nobis denuntient per fideles nuntios & prudentes, quibus de communi contributione Abbatum, iuxta cuiuslibet facultatem sufficienter ministrentur expensæ. Sequentes autem Visitatores perquirant Priorum Visitatorum vestigia diligenter, & eorum negligentias & excessus referant sequenti Capitulo generali, vt iuxta culpam publicè debitam pœnam portent. Idem etiam de Abbatibus præsidentibus generali Capitulo præcipimus obseruari. Præcipimus etiam vt in nullo monasterio ad præbendas de cetero recipiant Abbates, & monachos, & clericos seculares, nec hi qui iam recepti sunt locum, vel vocem in Capitulo, dormitorio, vel refectorio, seu claustro sibi vendicare contendant, seu monachorum cœtibus importunè se immiscere præsumant: sed beneficijs sibi concessis contenti conuersentur honestè, oportuna obsequia in monasterijs fideliter impendentes, nihílque vltra in spiritualibus aut temporalibus exigant in ipsis monasterijs, vel vsurpent. Si qui verò talium à Visitatoribus inuenti fuerint criminosi, per diœcesanum in non exemptis, & per Visitatores, vel præsidentes in Generali Capitulo in exemptis monasterijs, beneficijs priuentur eisdem. Hæc autem omnia in monasterijs quæ non habent Abbates proprios, sed Priores, nec non in monasterijs monialium, quoad articulos Abbatissis & monialibus congruentes, præcipimus obseruari.

a ABBATIBVS, ET MONACHIS IN LOMBARDIA.] Duæ Lombardiæ sunt, vna cis Padum, *Lombardia di quà dal Pò*, olim Æmilia Paulo Diacono *lib.* 2. in ea Placentia, Parma, Regiū, Bononia, & Forum Cornelij. Alia transPadum, olim Insubria, *Lombardia di là dal Pò*, quæ hodiè propriè Lombardia vocatur à Longobardis qui ibi sceptrum tenuerunt annis duobus suprà ducentos, sub 22. regibus, & regiam fixere sedem Papiæ, seu Ticini.

b ET MARCHIA TARVISINA.] Taruisium, *Treuigi*, in qua vt omnium Italiæ vrbium antiquissima & nobilissima Longobardi sedem Marchionatus, quod eorum lingua perpetuum Magistratum significat, posuerunt. Hinc tota regio Marchia appellata, in qua olim sex, nunc quatuor insignes vrbes, municipia nobilia multa, & castella non exigua.

c ABB. MONTISBELLI.] Monsbellus celebre & diues Castrū in Marchia Taruisina propè *Este*.

d N. TVSCVLANVM.] Nicolaum, à Ciacconio *de Roman's* cognominatum ciuem Romanum, Cardinalem creatum ab Innocentio III. anno 1205. legatum ab eodem in Angliam ad regnum reconciliandum, & deputatum ab Honorio nostro cum S. Dominico, vt in vnum locum congregaret Religiosas Romanas, quæ in diuersis Vrbis partibus dispersæ erāt vt faciliùs instruerentur, & consilia spiritualia reciperent, autore Seraphino Bazzi in *lib. de SS. Ordinis S. Dominici.* Vixit tantùm vsque ad annum 4. Pontificatus Honorij nostri.

Honorius in *hoc cap.* tollit abusum quo clerici seculares ad Præbendas monachorum admittebantur, & sicut monachi vocem in Capitulo, & reliquis officijs habebant, quod Benedictus XII. etiam restrinxit, nisi se & sua monasterio deuouerint, vt iam exposui ad *cap. ad audientiam. suprà, de Præbend.*

TITVLVS XXI.

De capellis monachorum.

[a] *Abbati, & Conuentui Aquinatensi.*

CAPVT I.

Non ponitur.




Vantò ſinceriùs diligimus monaſterium veſtrum, & veſtræ cupimus religionis augmentum, tantò ſolicitiùs veſtris volumus prouidere profectibus & grauaminibus obuiare: eapropter dilecti in Domino filij veſtris poſtulationibus annuentes, autoritate præſentium diſtrictè inhibemus, ne quis pro eo, quòd quandoque in grangijs veſtris ponitis aliquos veſtros monachos ſacerdotes, qui celebrent in Capellis ibidem conſiſtentibus curam non habentibus animarum, audeat à vobis procurationes pro ipſis grangijs extorquere.

[a] ABBATI AQVINATENSI.] Forſan Monaſteriũ iſtud erat in vrbe Aquini, *Aquino* regni Neapolitani Comitatus, titulo inſigni, S. Thomæ familiæ gentilitio, olim celebris *Silius lib.* 8.

Atque viris ingens excurrit Aquinum.

[a] *Epiſcopo Veneten.*

CAPVT II.



X parte tua fuit propoſitum coram nobis, quòd conquerentibus olim [b] Abbate, ac conuentu Riuenſi Venet. Diœceſis, quòd tu compellere moliebaris eoſdem, vt inſtituerent [c] plures monachos in quibuſdam ſuis Prioratibus tuæ diœceſis, in quorum ſingulis ſinguli monachi hactenus ſteterant, cùm pluribus facultates non ſuppetant eorumdem. Nos [d] Abbati ſancti Albini Andegauen. & collegis eius per litteras noſtras dedimus in mandatis, vt de ipſorum locorum facultatibus inquirentes, in eorum ſingulis facerent plures inſtitui monachos, ſi pluribus illorum ſufficiunt facultates; alioquin tibi autoritate præſentium inhiberent, ne Abbatem & conuentum prædictos moleſtares ſuper inſtituendis pluribus in eiſdem: vnde ijdem Abbas & conuentus occaſione huiuſmodi litterarum aſſerunt ſibi eſſe conceſſum, vt in ſingulis locorum ipſorum ſinguli monachi commorentur, ſi pluribus

facultates non suppetant eorumdem. Cùm autem id obuiet Lateran. Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis, postulâsti nostro edoceri responso, vtrùm nostræ intentionis fuerit per huiusmodi litteras, cum Abbate, & conuentu prædictis contra ipsum Concilium dispensare. Nos ergo f. t. breuiter respondemus, quòd tenoris huiusmodi litteras non credimus à sede Apostolica emanasse; quòd si per occupationem forsitan emanauerint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.

a EPISCOPO VENETENSI.] Malè in quibusdam MSS. & in impressis Nannetensi.
b ABBATE RIVENSI.] Hæc Abbatia vocatur S. Gildasij, vel Gildæ, ordinis s. Benedicti in insula siue Riuensi; siue Ripensi; *sainct Gildas de Ruys.*
c PLVRES MONACHOS.] Tutiùs existimauit Honorius plures monachos instituere in Prioratibus, seu obedientijs, quàm vnum: Satius verò esse Presbyteros seculares constituere qui sacramenta præstent *in cap. 2. de statu monach.* quam vnum monachum ostendit cap. sequens, & in eo vult seruari Concilium generale, quod hîc vocat Lateranense; rarò tamẽ sic nominatur, cùm ferè semper Concilium generale vocetur ad differentiam Lateranensis sub Alexandro III.
d ABBATI S. Albini.] Celebre Monasterium ordinis s. Benedicti in vrbe Andegauensi, in honorem s. Albini sanctissimi huius sedis Episcopi, Britanni, diœcesis Venetensis. Vide historiam memorandam de protectione huius Abbatiæ per sanctum Patronum suum apud Ioannem Monachum *lib. 1. Historia Ganfridi Ducis Norman. & Com. Andegau.*

a *Burdegalensi Archiepiscopo.*

CAPVT III.



AD audientiam nostram te significante peruenit, quòd nonnulli monachi lege tibi diœcesanâ subiecti, in quibusdam Prioratibus habitant solitarij, contra statutum Concilij generalis: ideóque f. t. mandamus, quatenus ipsorum monachorum Abbates, seu Priores, vt vel ipsos ad claustrum reuocent, facientes in ipsis Ecclesijs deseruiri per clericos seculares; vel alios monachos eisdem associent cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ compellas: prouiso quòd ad exemptos manum occasione mandati huiusmodi non extendas.

a EPISCOPO BVRDEGALENSI.] *Guillelmo*, vel, *Geraldo* de *Mala-morte*, quos ambos sub Honorij nostri pontificatu sedisse certum est.

TITVLVS XXII.

De iure Patronatus.

[a] *M. quondam Imperatrici Constantinopolitanæ.*

CAPVT I.

Non ponitur.



Vdito per te, ac alios fide dignos, quòd monasterium Pacinaciense Græcarum monialium tunc destructum, omninò Diœcesani accedente consensu de proprijs bonis reædificaueris & dotaueris, ac moniales easdem Ecclesiæ Romanæ, cui nullam exhibebant obedientiam feceris obedire; tuis nos supplicationibus inclinati, autoritate præsentium mandamus, vt super iure patronatus ipsius monasterij nemo te audeat temerè molestare.

[a] M. QVONDAM IMPERATRICI CONSTANTINOP.] Crederem hanc Imperatricem esse Mariam vxorem Balduini primi Constantinop. Imperatoris Latini, filiam Henrici Liberalis Comitis Campaniæ, & Mariæ filiæ Ludouici VII. Regis Francorum, nisi legissem in *Chronico Belgico* illam in Græcia obijsse, antequàm maritum suum Imperatorem vidisset. Verisimile ergo est Mariam de qua hîc mentio, esse Mariam de gente Hungarica, viduam Isaaci Angeli Imperatoris Constantinop. apud Nicetam Choniatem *lib. vlt. Annal.* ad quam anteà rescripserat Innocentius III. *Epistol.* 2. *lib.* 13. & quæ posteà nupsit Bonifacio Marchioni Montisferrati, vt constat ex eadem *Epist.* & *Epist.* 11. *lib.* 14. potuit enim vixisse vsque ad tempora Honorij nostri, cùm quatuor tantùm anni intercedant.

Illustri [a] Regi Mannæ.

CAPVT II.

Non ponitur.



D hoc rex regum & Dominus dominantium Iesus-Christus, à quo tibi concessam temporalem debes recognoscere potestatem, ad regni te solium sublimauit, vt Ecclesias, & loca religiosa per tuum regnum existentia diligas & honores, munificentiæ tuæ manu eis tam liberaliter, quàm hilariter porrigendo, & alia in eis pietatis opera exhibendo. Quum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, quædam Ecclesiæ regni tui, quarum omnium es patronus, non habere terram liberam asserantur, Serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, quatenus cùm indecens modis omnibus videatur, vt Ecclesiæ memoratæ competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet saltem [b] triginta passus terræ iuxta ca-

nonicas sanctiones in liberam eleemosynam extra cimeterium à parte qualibet earumdem ad domos clericorum faciendas ibidem liberaliter largiaris, vt ijdem pro te teneantur Dei misericordiam implorare, vt semper sit vbicumque ambulaueris ipse tecum, suámque tibi gratiam concedat in præsenti,& gloriam in futuro.

a REGI MANNAE.] Vel *Manniæ*. Duæ sunt Insulæ medio inter Britanniam & Hiberniam cursu. Prior Mona, nobilissima & antiqua Druidum sedes, de qua Tacitus, & Humfr. Lhuidus *Epistola ad Abraham. Ortelium*, Anglicè *Anglesey*. Posterior & magis ad Arctũ iacet, altera Mona, *Monoëda* Ptolemæo, quasi *Mon-eitha*, id est Mona remotior, ad prioris Monæ differentiam, *Monabia* Plinio. Hæ duæ insulæ à Beda *lib. 2. cap. 9.* Menaniæ dictæ, corruptè, pro *Menauiæ*. Posterior Anglis *Man*, incolis *Maning*, cuius Reginaldus rex erat tẽpore Honorij,& ad eum hoc cap. dirigit. Ceterùm benignè hunc Regem compellat Honorius *hoc cap.* quia donationem Insulæ suæ fecerat Ecclesiæ Romanæ, cuius instrumentũ publicum se vidisse ait Illustris Præsul Apamiensis, ad ann. 1219. nu. 13. in Collectione Nicolai Cardinalis Aragoniæ desumptá ex Regestis Romanæ, factum Londoniæ in domo Militiæ Templi, dicto anno 12 9. vbi etiam notat hunc Regem Honorium rogasse in dicta donatione, vt protectionem quam alijs regibus censualibus Ecclesiæ Romanæ concedebat, etiam ipsi impertiretur. Verisimile est Reginaldum hanc donationem fecisse, & hãc protectionem quæsijsse à sede Romana, quia in regno suo tutus non erat. Refert enim Monachus de *Russin* in Chronico *Manniæ*, *Godredum regem dictæ insulæ tres filios reliquisse Reginaldum, Olauum, & Yuarum; & Olauum filium heredem instituisse, quòd solus ille legitimè natus esset, sed Mannenses quum Olauus esset vix decennis Reginaldum regem constituisse*: & reuerá post annos septem nempe anno 1226. expulsus fuit Reginaldus à regno per fratrem Olauum eodem Monacho autore, vbi tamen nihil de hac donatione, quam non malè suspicatur idem Præsul Apam. manu subdolá deletam fuisse.

b TRIGINTA PASSVS IVXTA CANONICAS SANCTIONES.] Quas intelligat sanctiones nondum cõperi. Non id statuit Nicolaus I. in *can. sicut* 17. *q.* 4. quum id antiquitus à sanctis Patribus constitutum dicat: sed & longè ante Nicolaũ easdem sanctiones circa triginta passus in circuitu Ecclesiarum recenset Concilium Toletanum XII. *can.* 10. & *Canon.* 12. Concilij Coyanensis. Ad quod spatium asylum Ecclesiæ extenditur, *Saluitatem* dixere media secula. Charta publicationis Treugæ factę per Guillelmum Archiepiscopum Auscensem & Legatum Papæ anno 1103. in *Chartario Lascurrensi*: *Ecclesiæ saluitatem habeant triginta passuum circum circa; monasteria verò sexaginta*: sic *saluitas Tolosana* in *Historia Comitum Tolosanorum*, quam dedit Comes Raimundus anno 1194. & confirmauit Comes Alfonsus in Chartario suo. Hoc spatium vocatur *legitimum*, seu, *Canonicum* ab Innocentio III. *Epist.* 164. *lib.* 13. *vt Patracensi Archiepiscopo Canonicum spatium circa Ecclesiam relinquatur.* Quod continet non solùm adhęrentia & adiecta, seu adtensa παραπήσια in *Basilicis*, & *Parapetasia* in *l.* 39. *C. Theodos. de operib. public.* sed etiam porticus, vestibula, Catechumenorum mansiones, cellulas, domos, hortos, balnea, areas, τοῦ τῶν διασημάτων πλάτος τοῖς προσφεύγουσιν *l.* 5. *Cod. Theodos. de his qui ad Eccles. confug.* Id est *hanc spatij latitudinem confugientiũ*, vt loquitur *lex* 4. *Theodos. eod.* de qua sensit Synodus Aurelian. I. *can.* 1. *Canones Ecclesiastici, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atrijs & domo Episcopi eos abstrahi non liceat.* Per legem Romanam intelligit legem Theodosij. Hoc autem spatium, licèt quantùm ad mensuram non esset determinatum, quantùm ad ambitum erat etiam ab antiquis canonibus stabilitum: ideò circuitus illos, seu spatia περιβόλους ἱερούς dicebant, id est *septa sacra*, quia partes Ecclesiæ censebantur *can.* 76. *synodi* 6. *in Trullo.* *Dextros* vocat synodus Coyanensis: *Prohibitũ fuit*, inquit, *violenter reum abstrahere intrà dextros Ecclesiæ qui sunt triginta passus*, & ità interpretatur *Dextros* Papias; *Dextri dicuntur passus mensurandi*, & Marculfus *form.* 104. *Habet in longo dextros tantos.* In Consuetudinibus nostris Tolosanis *tit. de homag. art.* 7. spatium illud, & ambitus omnis in quo tutæ erant personæ, & res ab infestatione & iniurijs exterorum, *Dex*, appellatur. Nón malè quis dixerit hoc verbũ idem esse quod *Dextros* vsitatum enim est Vasconibus & Tectosagibus nostris verba decurtare; quin & hodiè apud Mompessulanos mẽsores, *dextrarij* nuncupantur, a mensura quâ in

dimetiendis agris vtuntur, quam *dextrum*, vocant, vt obseruauit Antonius Despeisses *in tract. tall. & allar. impos. sect. 2. nu. 9.* sæpiùs mensura per passus non fit, sed per brachia, quib' Geometræ metiũtur, nostri vocãt *Brasses*; & Græci γνώμονα, *radium*, vel *lineam* appellant *Dextram*: vnde in horologijs recta linea, quæ distinguit horas & per brachiũ designatur, Cubitus, seu mensura cubitalis vulgo dicitur, quam *Vlnam* Virgilius vocat à Græca voce ὠλένη, quæ brachium designat, sicut & πῆχυς apud Hesychium, & Pollucem *lib. 2. cap. 4.* Continet autem Cubitus communis quinque Palmos.

Sacer verò sex, quo sanctuarium & ædificiũ templi constabat *apud Ezechiel. c. 40. & 43.* Ita Passus quem Græci διάσημα, quinos pedes γενικῶς id est *generaliter* complectitur, qui duobus pedibus & semisse constat, & propriè dicitur *Gressus* apud Geometras. Et de hoc Passu communi Canones Ecclesiastici intelliguntur.

TITVLVS XXIII.

De consecratione Ecclesiæ, vel altaris.

Reuerendissimæ in Christo filiæ illustri [a] Reginæ Vngariæ.

CAPVT I.



CVM, sicut ex relatione dilectorum filiorum [b] Capituli Oradiensis nobis innotuit, deuotionis zelo succensa eorum feceris Ecclesiam consecrari, profectò speramus, quòd zelus ille qui te ad eiusdem Ecclesiæ consecrationem induxit, te quoque vt & dotem ei conferas debeat animare: & quidem, cùm non sit Ecclesia, nisi de dote prouisum ei fuerit consecranda, eò liberaliùs ad dotandam prædictam Ecclesiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quò & faciliùs potes id facere, & ad hoc fortiùs tamquam ex debito iam teneris.

[a] REGINAE HVNGARIAE.] Gertrudi vxori Andreæ II. Hungariæ regis, filiæ Bertholdi Ducis Morauiæ, vel Beatrici vxori secundæ dicti Andreæ, filiæ Aldobrandini Marchionis Estensis.

[b] CAPITVLI ORADIENSIS.] Lege Varadiensis. Vuaradin ciuitas Episcopalis Hungariæ Transdanubianæ sub Archiepiscopo Colocensi, *Coloczo*.

Antequàm Ecclesia consecretur & dedicetur, debet de dote prouideri à Patrono, vt fusè notat Glossa *ad hoc cap. apud Gregor.* sed quod maius est, non solùm dos conferri debet ante consecrationem, sed etiam ante constructionem, ad luminaria, obseruantiam, alimenta, & sacra ministeria, *Nouella* Iustiniani *67. & can. nemo. de consecrat. distinct. 1.* quia olim constructionem statim sequebatur dedicatio, seu consecratio, adeò vt nefas duceretur ante consecrationem Missas celebrare, vt iam annotaui ex Balsamone ad *can. 7.* synodi *7. Constantinop.* Imò quod magis est, ante dotis prouisionem non censetur Ecclesia, vt ait hîc Honorius, saltem infrà biennium ædificata Ecclesia consecrari debet iuxta constitutionem Othonis, vel Othoboni Cantuariensis Archiepiscopi, si secus, Ecclesiæ manent interdictæ.

TITVLVS XXIV.

De celebratione Miſſarum.

Eidem.

CAPVT I.



SANE cùm olim. & *infra.* Ne de cetero propter incuriam ſacerdotum in indeuotos diuina indignatio grauiùs exardeſcat, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus à ſacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo etiã, & [a] ſignato ſemper honorificè collocata deuotè, & fideliter conſeruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem ſuam, vt cùm in celebratione Miſſarum [b] eleuatur hoſtia ſalutaris, quilibet ſe reuerenter inclinet, idem faciens, [c] cùm portat presbyter Euchariſtiam ad infirmum, quam in decenti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat, & referat manifeſtè, ac honorificè ante pectus, cum omni reuerentia, & timore ſemper cum lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ; vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur. Prælati autem huius mandati grauiter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi diuinam, & noſtram velint effugere vltionem. Vos autem ſic obſeruari faciatis prædicta, quòd non efficiamini vindictæ participes, ſed coronæ.*

HOC caput caret epigraphe in duobus MSS. & apud Raymund. tertius MS. habet, *Eidem*, ſcilicet Reginæ Hungariæ, corruptè tamen, vt liquet ex textu capit.

[a] SIGNATO.] Id eſt, obſignato & occluſo. Vulgò, *ſignare*, ponitur pro, *obſignare*, & *occludere* apud Iuriſconſultos in *l. diuus. de cuſt. reor.* Græci ἀποσφραγίζειν, quod eſt ſigillo adhibito claudere, & Cruce inſignire; ita enim ſumũt Gregorius Nazianz. & Chryſoſt. quia quæcumque tutò, & cum reuerentia cuſtodiri debent ſigno Crucis muniuntur; vnde Leo ſapiens, *Nouella* 72. ſtatuit vt vbicumque Crucis forma apponitur, id firmum & immotum permaneat. Et hæc eſt ratio cur ſignum Crucis in Bullis ſummorum Pontificum, Chartis Imperatorum & Regum, ſubſcriptionibus Conciliorum, & inſtrumentis priuatis immediatè ante nomina propria ſubſcribentium apponebatur, nempe ad ea Acta ſtabilienda & roboranda; ſignum enim Crucis vim habebat iuramenti ſcripto ſanciti, vt doctiſſimè obſeruat Illuſtr. Præſes de Marqua *lib.* 5. *Hiſt. Benearni, cap.* 25. Ceterùm Euchariſtiã in pyxide appẽſa, & ſub clauibus ſeruari ſtatuit Innocentius III. in *cap.* 1. *de cuſtod. Euchar.* & nos ibi plura de vaſculis, & Columbis, in quibus olim aſſeruabatur, egimus.

[b] ELEVATVR HOSTIA.] Eleuatio hoſtiæ olim fiebat tantùm manibus Epiſcopi, calicis verò manibus Diaconi, vt eſt in *antiquo ordine Romano.* Leuat Archidiaconus cum Offertorio calicem per anſas, ita vt hoc nouum eſſe in Eccleſia annotauerit doctiſſimus Menardus in *libr. Sacrament. Gregor.* Hic mos non ita multùm in Hiſpania erat; anno enim 1560. in Concilio Barcinonenſi prohibetur, ne Diaconi ſoli Calicem cum vino, vel Patenam cum

hostia tenentes offerant in sacro Missæ sacrificio, sed id semper Presbyter faciat, nisi propter senectutem, aut manuum infirmitatem, aut debilitatem: tunc enim poterit à Diacono ita adiuuari, vt Presbyter quoque manus admoueat. Et hæc eleuatio Hostiæ bis fiebat in Missa, quod præsertim Græci obseruabant; licèt & apud nos sæpiùs id fieri solitum sit. Et tunc pulsantur campanæ vt præsentes attentiores fiāt, & absentes ad orandum inclinentur, de quo pulchra est constitutio Stephani Cantuariensis Episcopi: *In eleuatione corporis Christi pulsentur campanæ, vt populares qui celebrationi Missarum non valent quotidiè interesse, vbicumque fuerint siue in agris, siue in domibus flectant genua, Indulgentias concessas à pluribus Episcopis habituri.* Vide simile Decretum Petri Patriarchæ Antiocheni anno 1367. in Concilio Tarraconensi, & Enneci Archiepiscopi Tarraconensis anno 1406. statuentis, *vt temporibus generalis interdicti & cessationis diuinorum, quando corpus Christi eleuatur in qualibet Ecclesia, maius cymbalum in Corporis Christi tribus vicibus, & alijs tribus vicibus in sanguinis eiusdem elenationibus pulsetur: vt populus huiusmodi signo admonitus oret genu flexo, & Indulgentias acquirere valeat.*

[c] Cum Presbyter ad infirmvm.] Huic Constitutioni congruit Constitutio Ioannis Pecham Cantuariensis Archiepiscopi: *Vt Sacramentum Eucharistiæ circumferatur cum debita reuerentia ad ægrotos, sacerdote induto saltem superpelliceo gerente orarium, ac lumine præuio in lucerna cum campana.* Ad hunc locum Guillelmus Lyndevuode Officialis Cantuariensis vir doctus, quærit, si deficiat cleric⁹ an debeat Presbyter lucernam cum lumine vni brachio suspensam & campanam gestare, & sic fieri docet in amplis parochijs vt lucernam cum campana ad collum equi appendant. Ioannes quoque Cardinalis Sabinensis Honorij nostri Legatus in Concilio Ilerdensi anno 1219. *Sacra Eucharistia ad infirmos cum campana & lucerna honorificè deportetur, & singulis octo diebus renouetur.*

---

[a] *Archiepiscopis, & Episcopis, & vniuersis alijs Ecclesiarum Prælatis, & clericis per Franciam constitutis.*

Capvt II.



CVM creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, &c. *& infrà.* Cùm ergo Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tanquam lucerna super candelabrum posita, luceat alijs per exemplum, qui videntes opera eius bona glorificant Patrem cœlestem, ne, quod absit, tantæ negligentiæ tenebris obumbretur, & alias consequenter obumbret, vniuersitatem vestram rogandam duximus & mo. per Apost. scripta v. m. quatenus vniuersi & singuli prouidè attendentes, quòd seruire Deo regnare est, nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominùs & pro anniuersarijs defunctorum, & pro festo, vel feria secundùm temporum congruentiam Missarum solennia & conuentualiter celebretis, & faciatis conuentualiter celebrari, vt sic quodammodo sinè intermissione orantes ab eo mereamini exaudiri, qui adest omnibus in veritate inuocantibus nomen suum.

[a] Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, et clericis per Franciam Constitvtis.] Deest in vulgatis, τὸ, *per Franciam*, cum meritò reponi debeat ex MSS. Verè enim de Ecclesia Gallicana dicitur quod hic Honorius noster, nempe eam *esse lucernam super candelabrum positam, vt luceat alijs Ecclesijs per exemplū*; ita vt omnia negotia, & gesta synodalia ad fidem spectantia subscriptionibus Episcoporum Galliæ confirmari vellent summi Pontifices

fices, vt patet ex *Epist.* Martini Papæ *ad Amandum Traiectensem Episcopum*, & ex Leone I. *Epist.* 52. ad omnes Episcopos Galliæ.

b PRO FESTO, VEL FERIA.] Sensus huius capituli ostendit hæc verba: *Pro festo*, esse diuisa, & non significare vnica voce Profestum de quo *supra* diximus, sed hic festum aliud esse, quam feriam; licèt primitus idem esset; nam Feria erat dies deuotionis, ita dicta primum à Paschatis hebdomada, in qua omnibus diebus cessabatur ab omni opere seruili, vt annotaui ad *Titul. de Ferijs*; ita vt nec cursus equorum, vel publicum spectaculum fieret, vt docet Balsamo ad *can.* 66. Synodi 6. in Trullo: qui & addit malè agere artifices, qui post diem tertium ad mechanicas artes redeunt, quod prohibet *Nouella* 4. *Leonis*. Hodiè Feria est dies laboris & opificij, à qua iã distinguitur festũ, quod est verus dies deuotionis, quo cessatur ab omni opere, & sacrificium Missæ fieri debebat apud Græcos: Latinos dierum differentiam non fecisse docet D. Hieronymus *Epist. ad Algasiam*, quod tamen ex consuetudine processisse dicit D. Augustinus *Epist.* 118. Ideò Honorius hic omnibus diebus festis, & ferialibus Missas celebrare iubet.

---

a *Capitulo Briuat.*

CAPVT III.

NEC vestræ saluti expedit, nec honori, vt aliquæ in Ecclesia vestra consuetudines obseruentur, quæ canonicis obuient institutis. Accepimus autem ex insinuatione dilecti filij n. Briuatensis Sacristæ, quòd quædam praua consuetudo in eadem Ecclesia obseruatur, secundùm quam b in altari maiori imagine Sancti Iuliani præsente, nullus de Capitulo audeat quantumcumque honestate præfulgeat, nisi sit c de militari genere, celebrare. Cùm itaque non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio præferatur, per Ap. v. s. mandamus, quatenus, non obstante huiusmodi consuetudine, quæ dici potest potiùs corruptela, in eodem altari præsente imagine supradictâ ipsum Sacristam, & quoslibet de vestro Capitulo sacerdotes, nisi hoc eis ex alia causa rationabili debeat interdici, celebrare sinè contradictione aliqua permittatis. Non ponitur.

a CAPITVLO BREVARENSI.] Lege *Briuatensi*. Briuate oppidum Aruerniç, *Brioude*, ad differentiam alterius oppidi in Lemouicina diœcesi *Briue la gaillarde*, Briua Curretia dicta Gregorio Turon. *lib.* 7. *histor. cap.* 10. De Aruerniæ oppido, & D. Iuliano Patrono illius, Henricus Altissiodorensis in *vita S. Germani lib.* 4.

b IN ALTARI MAIORI.] S. Iulianus miles, & comes S. Ferreoli, ob Christi fidem martyrium subijt sub Crispino Viennæ præfecto, in cuius honorem Basilicam ingentem fuisse erectam scribit Georgius Florens Turonensis Episcopus antiquus scriptor, qui vixit supra annos quingentos & septuaginta insertus libris Gregorij Turon. *de miraculis*: singulare est quòd non admitterentur nisi sacerdotes militaris stirpis ad Missæ sacrificium in altari maiori, quem morem abusum esse iudicat Honorius. Ita in multis locis non omnes passim admittuntur ad altare maius præter Canonicos, vt in nostra Tolosana Ecclesia. Error autem ille forsan processit ex eo, quòd icon sanctum Iulianum militem repræsentaret, & idcircò nemo nisi militaris generis ante ipsius imaginem Missam celebrare poterat. Ita quoque in altari in quo Episcopus celebrauit, alium sacerdotem non esse admittendum docet *can. Vlt. de consecr. dist.* 1. & Concilium Altissiodorẽse. Et hac de causa Canonici Briuatenses Comitum nomen sibi arrogarunt, quod superioribus annis placito magni Concilij illis prohibitum fuit.

c DE MILITARI GENERE.] Honor paternus pro-

pagatur in liberos *l. liberos. de senator. l. milites. C. eod.* Ideò ad militiæ honorem non admittebatur, nisi is qui esset de genere militum in *Constitutionibus Siculis, tit. 39. lib. 3.* Elegans est *Epistola* 17. *lib. 6.* Petri de Vineis hac de re. Hæc nobilitas generis etiam in Ecclesia commendatur *cap.* 16. *de iureiur. & cap.* 8. *in 3. compilat.* Militum verbo Nobiles intelliguntur origine, qui legitimi vocantur, *tit. de pace ten. §. si miles. lib. 2. feudor.* Qui iusti sunt & descripti in Codicibus militaribus, τοὺς ἀπογεγραμμένους στρατιώτας, vocat *Nouella* 3. Constantini Porphyrogenetæ, & liberos dominos, quales sunt Barones, Comites, & Duces, quos Papa Nobiles appellat, vt ait Krantzius *3. Metrop. cap.* 2. distinctos à gregarijs, caligatis, & soldurijs, ministerialibus, & feudatarijs apud Cuiacium in *libr. feudor.* Nec abs re militaris ordo commendatur: nam in pluribus Ecclesijs non nisi nobiles admittuntur, vt in Ecclesia Lugdunensi, qui & ideò vocantur Comites, & in Belgio referunt historici Philippum II. Hispaniarum regem cùm nouas Ecclesias construeret obtinuisse à Paulo IV. summo Pontifice, vt tres Præbendæ Theologis, totidem Iurisperitis, & totidem Nobilibus assignarentur. Vide Molanum *lib. 2. de Canonicis, tit.* 29. Idem in Ecclesijs Auscensi, & Lascariensi in quibus non admittuntur nisi graduati, aut nobiles: quod tamen improbat Innocentius III. in *cap. ad decorem. de institut. & cap. venerabilis. de Præbend.* propter eandem rationem quam hîc affert Honorius, & refertur in *can. nos qui. 40. distinct.*

---

a *Archiepiscopo Sipontino.*

CAPVT IV.



TE referente didicimus, quòd in die cœnæ Domini de antiqua teneris consuetudine chrisma conficere in Ecclesia Sipontina; sed cùm manè diei eiusdem [b] ad Garganicam accedas Ecclesiam, vt ibi prout moris est [c] recipias peregrinos, ipsius loci clerus, & [d] populus celebrare Missam in eadem Ecclesia Garganica priusquàm ad Sipontinam redeas te compellunt; super quo nostrum & Apostolicæ sedis consilium implorasti. Cùm autem chrisma eo die intrà Missarum conficiatur solennia, & cuilibet sacerdoti quacumque dignitate præfulgeat vnam in die celebrare Missam sufficiat, nam & felix valde est qui celebrat dignè vnam. f. t. m. quatenus die prædicto in Ecclesia Sipontina dumtaxat in qua teneris chrisma conficere, Missarum studeas solennia celebrare.

a ARCHIEPISCOPO SIPONTINO.] Siponto, ciuitate Archiepiscopali regni Neapolitani à Sarracenis deletâ, Manfredoniam sedes est translata; nihilominùs Sipontinus nũcupatur quamuis resideat in Mãfredonia cõdita à Mãfredo Federici II. filio naturali anno 1200. In casu necessitatis binas vno die posse ab eodẽ celebrari Missas cõstat ex *can. sufficit. de consecrat. dist.* 1. Honorius id damnat, quod tamen suis temporibus inualuit in Anglia, vt docet Concilium Oxoniense, & ipse confirmauit *Epist. ad Henricum III. Angliæ regem* apud Matthæum Paris. Hîc verò necessitas inesse videbatur, vt Archiepiscopus Sipontinus in Ecclesia Garganica & Sipontina celebraret propter diei solennitatem; nam & ob aduentum alicuius personæ eminentis dignitatis id fieri posse dicit Glossa in *cap. consuluisti. hoc tit. apud Gregor.* & vulgò duplex Missa diceretur, vna de die, altera pro defunctis. De his fusè in *Paratitlis.*

b AD GARGANICAM ECCLESIAM.] Mons Garganus, *monte di S. Angelo*, vrbs olim Archiepiscopalis dicata S. Michaëli Archangelo in monte sita.

c RECIPIAS PEREGRINOS.] Hæc verba sunt tantùm in MSS. reiectis alijs quæ in vulgatis reperiuntur, nempe *penitentes*, vel, *remittentes.*

Penitentes enim recipiebantur tantùm in Cathedrali,non in alio loco;sed Archiepiscopus Ecclesiæ Sipontinæ ad radices montis Gargani sitæ, solebat in die Cœnæ Domini montem subire ad recipiendos peregrinos, qui templum D. Michaëli dicatum magno populorum concursu frequentabant, teste Ferrario in *Topographia Martyrol. Rom.* De specu, qui hac in rupe D. Michaëli sacer est, fusè tractat Leander in *Descript. Italiæ.*

[d] *Gargani populus in Ecclesia sua Missam celebrare te compellunt.*] Vtpotè quæ nuper,nempe sub Alexandro III.adhuc fuerat Archiepiscopalis, ab ipso enim Alexandro vnita fuit Sipontinæ Ecclesiæ, autore Scipione Mazzella, & forsan in memoriam quoque huius vnionis Archiepiscopus Sipontinus visitabat Ecclesiam S. Archangeli.

[a] *Archiepiscopo Vpsalen.*

Capvt V.

Perniciosus valdè, sicut audiuimus, in tuis partibus inoleuit abusus,videlicet quòd in maiori quantitate aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino, cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis,plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum. Ideóque f. t. m. quatenus id nec de cetero facias, nec in tua prouincia fieri patiaris.

[a] Archiepiscopo Vpsalensi.] *Vpsholm* Archiepiscopatus Sueciæ ab Eugenio III. erectus anno 1148. autore Baronio; ab Alexãdro verò III. vt refert Ioan. Magnus Archiepiscopus Vpsalensis,in *Metropoli Vpsal.*

[b] De aqua.] Quia hæ regiones septẽtrionales vino carent, & importatum vi frigoris continuò acescit: *quæ res magnam aliquando Pontificibus Romanis ingessit curam, vt diuinæ hostiæ pars vtraque retineretur, perficereturque oppidatim* ait Mariana *de reb. Hispan. lib. 5. cap. 1.* Et hi quidem non inciderant in hæresim Hydroparastarum,qui solâ aquâ in sacro sacrificio vtebantur, vt è contrario Armenij id per solum vinum faciebant: vtrumque condemnatur in *can. 32. synodi 6. in Trullo.* Et forsan Presbyter S. Brigidæ Brixiensis in *cap. sequ.* hæresis Armeniorum suspectus habetur.

[a] *Episcopo Brixiensi.*

Capvt VI.

Litteras tuas recepimus continentes, quòd cùm super excessibus Magistri Mauri presbyteri Ecclesiæ sanctæ Brigidæ Brixiensis, iuxta debitum officij pastoralis inquireres, confessus est, quòd cùm quadam die hostiam & calicem non haberet in pane fermentato, & [b] in scypho ligneo astante populo solennia celebrare præsumpsit, quare ipsum supposuisti perpetuo interdicto, consulens vt in aliqua Ecclesia regulari mutaret in melius vitam suam. Postmodùm autem illo coram ven. f. n. Ostiensi Episcopo, tunc Apostolicæ sedis legato,vt secum misericorditer ageret supplicante, idem ad celebrationem diuinorum presbyterum restituens memoratum,super suspensione beneficij, causam sancti Saluatoris, & sancti Lucæ Præpo-

poſitis Brixienſis delegauit, qui ad beneficium reſtituerunt eumdem; deinde verò reuerſus de partibus tranſmarinis, intellecto quòd prædicta Eccleſia per malitiam dicti Magiſtri multipliciter lædebatur, inquiſitionis officium iterans ex eius confeſſionibus inueniſti, quòd idem [c] ſinè igne & aqua ſacrificare præſumpſit; quare quid de ipſo agendum ſit noſtro petiſti edoceri reſponſo. Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel ex nimia deſipientia peccaſſe probetur, f. t. m. quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur officio & beneficio ſub. app. obſt. perpetuò ipſum priues.

[a] EPISCOPO BRIXIENSI.] Bertoldo, qui teſtis eſt apud Rubeum litterarum Friderici II confirmantium priuilegia Eccleſiæ Rauennatis.

[b] SCYPHO LIGNEO.] Per ſcypum intelligit Honorius calicem, de quo *ſupr. in cap. 2. de conſuet.* & vulgò apud Anaſtaſ. *de vit. Pontif.* Qui quidem calix ligneus iam exoleuerat varijs conſtitutionibus, vt latè Durant. *libr. de ritib.* exponit. Vetitum enim conſecrare calices huiuſmodi cùm chriſmatis vnctio adhibeatur iuxta Ordinem Romanum, cùm tamen olim ſola benedictione id fieret, vt docet D. Gregorius *libr. Sacrament.* & Epiſt. Felicis apud Burchard. *lib. 3. cap.* 58.

[c] SINE IGNE.] In Concilio Tarracon. *Sacerdotes ſanctum Miſſæ ſacrificium ſinè duabus candelis cereis incenſis, & in vtraque altaris parte poſitis non peragãt.* Qualiter puniatur cleric⁹ celebrãs ſinè lumine, Ceneda ad *Decretal. collat.* 44. *num.* 2.

---

[a] Epiſcopo Pariſienſi.

CAPVT VII.

Non ponitur.



NON debent Eccleſiarum prælati quibus religionem plantare conuenit & fouere, viros religioſos perſequi, & eos ſuper his maximè, quæ ad diuinum cultum pertinent obuiare. Accepimus ſanè conquerentibus dilectis filijs Miniſtris Ordinis fratrum Minorum Franciæ, quòd quidam prælatorum regionis illius occaſione priuilegiorum quæ ſe habere proponunt; aliqui verò ſuo dumtaxat arbitrio prædictis fratribus inhibere præſumunt, ne vbi degunt valeant ſecundùm noſtram indulgentiam cum altari viatico ſolennia celebrare Miſſarum, in eos & hoſpites ſuos in maiorem Apoſtolicæ ſedis iniuriam & contemptum excommunicationis ſententiam promulgantes; quamquam præfati fratres ab omni iure parrochiali contineant manus ſuas. Quia verò debemus religioſas fouere perſonas, & maximè dicti Ordinis fratres, qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur, pro eo eſſe pauperes, & in paupertate viuere continua eligentes, ac decet nos Apoſtolicas indulgentias obſeruare, frat. t. m. quatenus autoritate noſtrâ inhibeas generaliter Prælatis regionis eiuſdem, ne de ceterò ſic excommunicent dictos fratres & hoſpites eorumdem, nec aliquo modo impediant, quominùs

fratres ipsi dictâ indulgentiâ possint vti, quia non impunè deinceps talia facerent, cùm non possimus iniurias pauperum Christi, & seruorum eius inquietudinem æquanimiter sustinere.

a EPISCOPO PARISIENSI.] Guillelmo II. de Salignaco, *de Seligny* 73. Episcopo, vel Bartholomæo 74. qui vixerunt sub Honorio nostro. Hoc caput in gratiam Fratrum Minorum scriptum est, sicut & *cap. in his, extrà, de Priuileg.* & vtrumque Episcopo Parisiensi: sed aduertendum est, quòd *dictum cap. in his*, loquitur tam de Fratribus Prædicatoribus, quã Minoribus in vulgatis Codicibus, sed non in meis tribus MSS. in quibus Fratribus Minoribus tantùm indulgetur celebrare cum altari viatico; ex quo patet Gregorium IX. hoc priuilegium extendisse ad Fratres Prædicatores. Viaticum illud altare, vulgo Portatile dicitur, deferri solitum quandocumque non esset copia Ecclesiarum. Dicitur & Capella Portatilis, & Motorium templum, quo primum Constantinum vsum fuisse in bellis scribit Socrates *lib 1. cap. 14.* κατασκευάσας σκηνὴν ἐκ ποικίλης ὀθόνης ἐκκλησίας τύπον ἀποτέλουσαν, Id est, *tabernaculum ex panno, seu linteolo variegato, quod Ecclesiæ formam exprimeret.* His altaribus solebant apponi Antimensia, quæ, vt notum est, erant operimenta imposita in consecratione altarium, quæ postea in partes diuidebantur, vt ex his partem aliquam imponerent altaribus Viaticis, sinè qua non licebat Missam celebrare in Mensis non consecratis, ideóque quod deerat his altaribus per Antimensium supplebatur, vt respondet Ioannes Citri Episcopus ad Constantinum Cabasilam, τὸ ἐλλεῖπον τούτου ἀναπληροῖ ἡ ἁγιαστικὴ τοῦ ἀντιμηνσίου δύναμις, Id est, *quod ei deest sanctificatoria Antimensij vis implet.* Hoc loco Altare viaticum non sumitur pro tabernaculo, quo vsus est Constantinus in formam templi erecto, sed tantum pro lapide consecrato, ab Episcopo seu tabula lapidea, *Can. concedimus, de consecr. dist. 1.* sublato Antimensium vsu.

TITVLVS XXV.

De obseruatione ieiuniorum.

a *Parganensi Episcopo.*

CAPVT I.



EXplicari per sedem Apostolicam postulasti, vtrùm illis sit licitum qui nec voto, nec regulari obseruantiâ sunt astricti carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominicæ Natiuitatis occurrit. Ad hoc tale damus responsum; quòd illi qui nec voto, nec regulari obseruantiâ sunt astricti, in sexta feria, si festum Natiuitatis Dominicæ ipso die contigerit venire, carnibus propter festi excellentiam vti possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis, nec tamen hi reprehendendi sunt qui ob deuotionem voluerint abstinere.

a PARGANENSI.] Corrupta est epigraphe huius cap. in MSS. *Pragensi* in vulgatis, rectè. Vide *suprà cap. 2. de reb. Eccles. alien. vel non.*

TITVLVS XXVI.

De censibus, & exactionibus.

[a] De Tiro, & de Iosaphat Abbatibus.

CAPVT I.



Enerabili fratre nostro [b] Cenomanensi Episcopo accepimus referente, quòd cùm causa quæ inter ipsum ex parte vna, & [c] Abbatem & conuentum de Cultura Cenoman. diœcesis ex altera, super procurationibus, quas ab eis petit idem Episcopus tam in capite, quàm in membris noscitur agitari, de consensu partium vobis fuerit ab Apostolica sede commissa; dicti Abbas & conuentus ex eo frustrari intentionem eiusdem Episcopi moliuntur, quòd eorum monasterium in Cenomanensi Villa situm esse dignoscitur, & ipsi procurationes se asserunt Episcopo hactenùs non soluisse, quamquam exemptionis priuilegium non ostendant, & eidem Episcopo competat ius commune. Volentes igitur vt finis litibus imponatur, disc. v. m. quatenus nisi dicti Abbas & conuentus aliud rationabile ostenderint & probauerint, propter quod ipsi Episcopo exhibere non debeant supradicta, vos eos ad exhibendum ea, sicut ius dictauerit, iuxta priorum Apostolicarum litterarum tenorem ratione præuiâ compellatis.

[a] DE TIRO, ET DE IOSAPHAT ABBATIBVS.] Diœcesis Carnotensis: prioris Abbatiæ meminit D. Bernardus 126. *Epist.* & fundata fuit à Rotrodo Comite Perticensi anno 1110. ordinis S. Benedicti: secunda quoque est dicti ordinis S. Benedicti fundata à Goffrido 65. Episcopo Carnotensi anno 1120.

[b] CENOMANENSI EPISCOPO.] Mauricio 39. Episcopo, qui anno 1231. translatus fuit Rothomagum.

[c] ABBATEM DE CVLTVRA.] S. Petri de Cultura in suburbijs Cenomanensibus, ordinis S. Benedicti, *La Couture.* Ædificatus fuit hic conuentus à Bertgranno Episcopo Cenomanensi circa annum 600. & dotatus à Constantia Conani Comitis Britanniæ filia.

[a] Abbati, & Conuentui Aquicinctino.

CAPVT II.

Non ponitur.



TSI superfluum videatur. *& infrà.* Supplicastis siquidem nobis quòd cùm Venerabili fratri nostro [b] Remensi Archiepiscopo, necnon alijs diœcesanis, & locorum Archidiaconis procurationes ratione visitationis debitas in monasterio, & Prio-

ratibus ipsis hilariter exsoluatis, ne de [c] curijs, aut grangijs, seu mansis in quibus non inhabitant monachi, sed exinde monasterio vestro, & eius Prioratibus victualia ministrantur, procurationes soluere teneamini, vobis autoritate dignaremur Apostolicâ indulgere. Cùm ergo locis huiusmodi non sit necessarium officium visitationis impendi, cuius causâ procurationes debentur, nos vestris supplicationibus annuentes, ne ratione locorum talium procurationes soluere compellamini autoritate præsentium indulgemus.

a ABBATI AQVICINCTINO.] *Anchin.* Simoni II. Abbati 12. cui Honorius noster concessit vsum Mitræ, & annuli, vt ex MS. Sigeberti aucto, & Aquicincti seruato refert Miræus *Origin. Benedictin. cap.* 68. qui hanc Abbatiam fundatam ait à quibusdam Nobilibus anno 1079. ad Scarpam 2. milliari à Duaco in insula quæ dicitur Aquicinctus. Est & insigne Collegium in Academia Duacena eiusdem nominis, ab Abbatib. huiusce monasterij abhinc 60. & ampliùs annis fundatum, in gratiam PP. Societ. Iesu.

b REMENSI ARCHIEPISCOPO.] Alberico de Humbert 54. Archiepiscopo, vel Guillelmo II. de Ioinuilla 55. qui hoc tempore sedebant. Ideò autem hîc loquitur Honorius de Remensi antistite, quia olim Cameracensis Episcopus (in cuius diœcesi Aquicinctum est) erat suffraganeus Remensis Archiepiscopi.

c CVRIIS.] *Curia*, & *Curtis* pro villa sumitur apud Flodoardum: *De Bononis Curte, sic enim villa vocatur, pro Manso: Mansus est Italicorum, sicut Curtis Francorum.* Aliàs vocatur *Cortis*, vt in synodo Tricassina *cap.* 2. *Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est Monasteria, Mansa, Cortes, Villas, Patrimonia. In Epist. Episcoporum apud Attiniacum, cap.* 12. *Vnde sufficienter & honestè cum domestica Corte vestra possitis viuere. Grangias* vocat hîc Honorius, quæ vox vsitata est autoribus illius seculi, vt Cæsario pluribus in locis, & alijs.

Fredericus Imperator.

CAPVT III.

HAc edictali, &c. *& infrà.* Item nulla Communitas, vel persona publica, vel priuata, collectas, siue exactiones, angarias, vel parangarias Ecclesijs, alijsque pijs locis, aut Ecclesiasticis personis impónant, aut inuadere Ecclesiastica bona præsumant; quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia, vel Imperio emendare contempserint, triplum refundant, & nihilominùs [a] banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenùs remittatur.

COnstitutio Friderici, quæ est in *l.* 2. *C. de Episc.* non solùm res Ecclesiæ, sed etiam personas ab omnibus oneribus eximi vult; non tamen idem statuitur circa possessiones priuatas, & patrimonia quæ ab Ecclesiasticis alio iure tenentur, vt statuit Constant. *in l.* 3. *C. eod. & Theodosius l.* 5. *Cod. Theodos. eod.* ζευγολόγιον *Iugationem* dicebant; quam tamen immunitatem Emanuël Imperator eis concessit, vt scribit Balsamo ad *Can.* 4. *Synodi* 7.

a BANNO IMPERIALI.] Duplex est Bannum Imperiale: simplex, seu commune, quod erat sexaginta solidorum *in cap.* 335. *lib.* 7. *Capitular.* vulgò Bannum Dominicum vocatur *lib.* 2. *legum Longobard. tit.* 19. *Bannum Dominicum, id est sexaginta soldos componat.* Ita in Synodo Pistensi *cap.* 4. 14. 20. & 24. Aliud Bannum Imperiale est, proscriptio, seu confiscatio, vt explicat Hincmarus *Epist. ad Carolum*, vel etiam edictum, seu lex belli, aut ius armo-

rum, quod victi, seu subacti experiuntur, de quo in causa Lubecensium à Sigismundo Imperatore promulgato loquitur Krantzius *lib. 1. cap. 20. Vandal.* Inde etiam excommunicatio maior in synodo Confluentina *can. 6. Ab hac die, & deinceps de Dei banno, & nostro bannimus, vt nemo amplius hæc præsumat*, & *can.* 8. Concilij Triburiensis, vt annotaui *Obseru.* 16. *lib.* 1. Ita quoque Bannitus à rege dicitur excommunicatus, in vsibus Feudorum *de stat. & consuetudin. §. item nulla.*

a Priori Segobricen. & Archid. Segunt.

Caput IV.

Non ponitur.

SIgnificauit nobis ven. frater n. b Archiepiscopus Toletanus, quòd cùm in sua & contiguis diœcesibus, approbantibus Regibus & Principibus hactenùs fuerit obseruatum, vt clerici pro possessionibus quas emunt, vel alio modo habent, terrarum dominis nullum præstent c seruitium, vel d tributum: fratres militiæ Calatrauensis, & alij religiosi Toletanæ, & e Conchen. diœcesis, huiusmodi consuetudinem in Ecclesiasticæ libertatis præiudicium infringentes, clericos ipsos ad præstanda pro suis possessionibus seruitia & tributa cogere non verentur. Ideóque disc. v. mandamus, quatenus fratres & religiosos alios, vt ab huiusmodi clericorum molestatione desistant, monit. præmissâ, per censuram Eccles. appellatione remotâ cogatis.

a PRiori Segobricensi.] Dubium de qua sede loquatur, an de *Segobia*, an de *Segorbe*, vtraque enim Segobriga olim dicta: videtur *de Segobia, quæ constanter mansit sub Archiepiscopo Toletano.*

b Seguntino Archidiacono.] *Siguenza*, sub Toletano quoque.

c Toletanus Archiepiscopus.] Hic est ille celebris Rodericus Ximenius, Cancellarius Castellæ, & scriptor Historiæ Hispanicæ qui obijt Lugduni anno 1245. teste Mariana *lib.* 12. *cap.* 4. & de quo hoc Elogium affert: *sine tanto viro ea tempestate nihil magnæ rei gestum inuenio.* Exemptio de qua in hoc cap. ab omnibus tributis & seruitijs non solùm possessionum quæ pertinent ad Ecclesiam iure dotis, vel fundationis, sed etiam quarumcumque aliarum, quæ à clericis iure proprio adquiruntur, vnde originem habuerit apud Hispanos compertum non est. Quidam in Toletano Concilio I. sub Recaredo rege pijssimo id factum fuisse existimāt, in quo tamen nihil reperitur hac de re. In Toletano III. *can.* 21. sub eodē, statutum est, ne serui & Ecclesiarum clerici à Iudicibus, vel actoribus publicis in diuersis angarijs fatigentur, ex quo conijcitur aliud non fuisse antea definitum, quàm quod à Constantino in *l. 2. C. de Episc. & cler.* & Carolo M. in *cap. 116. lib. 6. Capitular.* statutum est. Imò nominatim in Hispania ius hoc fuit, vt vniuersi clerici possessionum pensitationes fiscales persoluerent, idque Episcopos, vt iustum probasse, constat ex decreto Constantij & Constantis in *l. in Ariminensi. 15. C. Theod. de Episc. & Eccles.* Ita vt præter vnum mansum, qui Ecclesiæ liber ab omni tributo & seruitio relinqueretur, ceteræ possessiones non eximerentur in *cap. 1. de censib.* quod ex Concilio Hispalensi desumptum esse scribit Iuo *parte 3. cap. 174. Decreti.* Cùm tamen Burchardus Vuormaciensi tribuat *cap. 52. lib. 3.* & 5. de hoc fidem faciunt omnes MSS. *dicti cap. 1. in 1. Compilat.*

e Seruitium.] Seruitium hoc loco terrarum dominos spectare notant verba Honorij, scilicet tam iure feudi, quàm directi dominij quod serui agris colendis adscripti præstabant: ideóque & agri seruiles dicebantur ob certam mercedem vel fructuum partem, & alia obsequia personalia. Quod genus seruitij

uitij antiquissimum deprehendere licet ex Tacito *lib. de morib. German. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, vt Colono iniungit, & seruus hactenus paret.* Illa præstatio vulgò dicitur *Leudum*, vel, *Leudes* in legibus Salicis, & in formulis Marculfi: alij vocant *Laudum* à *laudando. Laudare* enim & *Collaudare* est tradere, approbare in *l. diuortio. §. quod in anno. ff. solut. matrim.* Sidonius *Epist. 4. lib. 6. Ignotorum nobis hominum collaudante contractum.* Quæ confirmatio in legibus Feudorum dicitur *Inuestitura*, cuius nomine soluitur certa merces, quæ ideo dicitur vulgari idiomate *Laudimium: Leudesamium* vocat Formula solennis Marculphi 39. aliàs *Litimonium* in *formul. 86. Vilum impendant seruitium, vel Litimonium*: vel *Patronatus obsequium, formul.* 95. aliàs vocatur *Laudomimium* Zazio De hac præstatione *lib. 2. feudor. tit. 2.* & alibi sæpè.

[d] TRIBVTVM.] Propriè respicit Principes & Reges ad quos onera fructuum pertinent. §. *per traditionem. Institut. de rer. diuis.* & Theophilus *ibid.* nam *Tributi* nomine propriè non intelliguntur Capitationes, sed agrorum, & possessionum census, qui est onus fructuum, *l. 46. §. vt debitoribus. de Iur. fisci*, Dio Cassius *lib. 52.* & Phauorinus φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ τῆς ἰδίας ἐισφερόμενον γῆς, id est, *tributum propriè quod infertur pro agris*: quo nomine etiam intelliguntur quæ pro stramentis & pabulis equorum penduntur, & *Capita* vocantur in *l. 17. C. Theod. de erogat. milit. annonæ. Annonas & capitum de horreis consequantur*: quod ex Ammiano Marcellino doctissimus ostendit Cuiacius ad *Titul. Cod. de annon. & capit. administr.* Nihil hîc de Capitatione, quæ longè dissimilis est, & de qua Tertullianus in *Apologetico. Hominum capita stipendio censa*, & in *l. 6. C. Theodos. de collat. don.* à qua eximuntur clerici, *cap. sequ. hoc tit.*

[e] CONCHENSIS DIOECESIS.] *Cuenca*, vrbs prævalida in finibus Celtiberiæ.

---

[a] Astoricen. & [b] Tuden. Episcopis.

CAPVT V.

GRaui nobis ven. f. n. Bracaren. Archiepiscopus questione monstrauit, quòd [c] Rex Portugallen. non attendens quòd seruus, secũdum Apostolũ, suo Domino aut cadit, aut stat, clericos, & alios religiosos tã in criminalibus, quàm in ciuilibus causis respondere compellit coram iudice seculari: nec considerans quòd [d] obsequijs adscripti diuinis ab omni seruitute debent esse prorsus immunes, angarijs, & parangarijs fatigat eosdem: nec his contentus eos ad muros faciendos, vel reficiendos, necnon in expeditionem, & ad excubias, quæ illorum vulgari anundinæ, vel atalaia dicuntur, ire cogit inuitos. Quia igitur tantam Dei, & Ecclesiæ iniuriam nolumus, sicut nec debemus, æquanimiter sustinere, pręsertim cùm Karissimus in Christo filius noster, Fredericus Rõ. Imperator illustris [e] generali lege sanxerit, vt omnes omnino Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ ab omnibus secularibus tallijs & exactionibus, angarijs, & parangarijs sint immunes; nec nisi coram Ecclesiastico iudice valeant conueniri: disc. v. m. quatenus prædictum regem, vt ab omni clericorum, & aliorum religiosorum super his grauamine conquiescat, monere, ac inducere procuretis; alioquin tam ipsum, quàm alios ab huiusmodi temeritate desistere per censuram Ecclesiasticam appel. remotâ cogatis. Non ponitur.

a ASTORICENSI EPISCOPO.] Nunnio, qui ædes Episcopales ædificauit apud Marianam. *Astorga* ad Asturum amnem, vnde vrbi & regioni nomen. Est sub Archiepiscopo Compostellano.

b TVDENSI EPISCOPO.] Stephano, *Tuy*, in Hispaniæ mari Oceano ad Minij & Lamiæ ostia, sub Compostellano quoque.

c REX PORTVGALLENSIS.] Alfonsus à multo abdomine, cognomento Crassus, qui cœpit regnare anno 1612. & obijt anno 1223. vel Sanctio filio, à vestiũ forma cognominato Capello, qui circa annum 1243. regno pulsus fuit, & Toleti consenuit; cùm regium nomen triginta quatuor annis sustinuisset, fluxâ primùm, deinde nullâ autoritate.

d OBSEQVIIS ADSTRICTI DIVINIS.] Hæc est ratio quâ vtitur etiam Carolus M. *cap.* 116. *lib.* 6. *Capitul.* & quã adducit *Eusebius lib.* 10. *cap.* 7. dum ait *clericos à lege aliena eximi, vt propriæ seruiant,* τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται, de quibus omnibus latè egimus ad *titul. de immun. Eccles.*

e IMPERIALI LEGE SANCIERIT.] Intelligit constitutionem Friderici 2. Imperat. *hoc cod. tit.* positam, *supra, Hâc Edictali.*

Similem querelam aduersùs Ducem & Magnates Sueciæ de oppressione Ecclesiasticorum ob exactiones indebitas, & de priuilegiorum violatione habet Honorius noster in *Epistola* (à Io. Vastonio edita in calce Vitis Aquoniæ) data Reate, Idib. Augusti, anno 10.



TITVLVS XXVII.

Ne clerici, vel Monachi secularibus negotijs se immisceant.

Venerabilibus fratribus M. Patriarchæ Antiochen. & vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs ceteris Ecclesiarum Prælatis in patriarchatu Antiocheno constitutis.

CAPVT I.

SVper specula. *& infrà.* Sanè licèt fallax sit gratia ceterarum scientiarum, & vana etiam pulchritudo, cùm frumentum electorum, & vinum germinans virgines iuxta prophetam sit bonum super omnia, & sit pulchrum; quia tamen regulares quidam claustrale silentium, & legem Domini animas conuertentem & sapientiam dantem paruulis, quam super aurum & topazion amare debuerant, respuentes, abeunt post vestigia gregum, & illicitè se conuertunt ad pedissequas amplectendas, quæ plausum desiderant populorum: contra huiusmodi præsumptores exeuntes ad audiendum leges, vel [b] physicam, felicis memoriæ Alexander prædecessor noster olim instituit in Concilio Turon. vt nisi infra duorum mensium spatium ad claustra redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reuersi autem in choro & Capitulo, &

mensa, & ceteris vltimi fratrum exsistant, &, nisi fortè ex misericordia sedis Apostolicæ, totius spem promotionis amittant. Verùm quia nonnulli ex talibus propter quorumdam opiniones diuersas excusationes aliquas assumebant, Nos volentes vt tales de cetero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districtè præcipiendo mandamus, quatenus tam à diœcesanis & Capitulo ipsorum, quàm & à ceteris Episcopis in quorum diœcesibus huiusmodi student tales sub. appell. obst. excommunicati, & prædictis pœnis obnoxij, publicè nuntientur.

[a] LEGES.] Legum Ciuilium prohibetur scientia clericis & Monachis, *si se peritos litium & forensium disceptationum efficere velint*, ait lex, *repetita C. de Episc. & cler. Si patrocinium in foro suscipiant*, vt sententia legum Synodal. Xiphilini docet *lib.3. Iuris Græcorom.* non quòd scientia legum sit prohibita, quæ omnino est necessaria in causis etiam Ecclesiasticis. Id autem factum ne à Theologiæ & Canonicæ doctrinæ studio auocentur, quæ est vera & legitima scientia clericorum. Ideò leges ciuiles *Externæ* vocantur, in *can.18. Synodi Chalcedon.* *παρὰ τῶν ἔξω νόμων*, vbi addit Balsamon, *παρὰ τῶν ἔξω τῆς γραφῆς σοφῶν, ἤτοι τῶν ἑλλήνων συντεθῆναι*, id est, *quoniam à sapientibus qui sunt extra scripturam, seu Græcis, sunt compositæ*. Per Græcos intelligit Gentiles, vt alibi sæpè.

[b] PHYSICAM.] Hìc non intelligit Medicinam tantùm, sed etiam totius naturæ scientiam nimis curiosam, vt à Tullio 1. *de Nat. deor.* extenditur: Physicum enim *speculatorem & venatorem naturæ* vocat: & hoc præcipuè verum de Mathematica, quæ vergit ad magicas artes in *can. 36. Synodi Laodic.* non quidem omni Mathematica, vt ibi rectè aduertit Balsamo, quæ in quatuor partes diuiditur, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astronomiam, quam postremam tantùm à Canone prohiberi dicit, & confirmat, *lib. 5. Basilic.* Ita quoque interpretatur *lib. 5. Responsor. ad interrogat. Marci Patriarchæ*. De his latiùs in nostris *Paratitlis*.

[c] Hìc notandum est in omnibus meis MSS. finem capitis hunc esse, cùm tamen in exemplaribus editis sequantur hæc verba. *Quia verò Theologiæ* &c. quibus hæc constitutio non tantùm ad monachos pertinet, sed etiam ad omnes clericos cuiuscumque dignitatis fuerint. Quod à Raimundo additum suspicarer, nisi aliud Bonifacius VIII. in *cap. 1. in 6.* doceret, qui & hanc partem Honorio nostro tribuit.

FINIS LIBRI TERTII.



QVINTÆ COMPILATIONIS DECRETALIVM LIBER QVARTVS.


TITVLVS I.

De sponsalibus, & Matrimonio.

[a] *Amalphitan. Archiepiscopo, &* [b] *Episcopo Rauell.*

CAPVT I.

Non ponitur.



NSINVANTE Sergio laico Scalen. ciue, nostro est Apostolatui reseratum, quòd cùm G. germanus suus quondam Taram mulierem conciuem suam in vxorem per verba desponsauerit de futuro, eo mortuo dictus S. id sibi licere existimans cum eadem T. matrimonium consummauit. Verùm cùm postmodùm didicisset eidem mulieri cohabitare licitè se non posse, propter impedimentum publicæ honestatis, ac propter hoc diuertisset ab ea; quia ven. frater n. [c] Scalen. Episcopus ipsum, vt eam reciperet cogere contra iustitiam nitebatur, sentiens super hoc indebitè se grauari, nostram audientiam appellauit. Quocirca frat. vestræ mandamus, quatenus, si est ita, denuntietis eisdem S. & T. appellatione remotâ non esse matrimonium inter eos.

[a] AMALPHITANO ARCHIEPISCOPO.] *Amalfi* in regno Neapolitano.

[b] EPISCOPO RAVELLENSI.] *Rauello*, ciuitas Episcopalis in regno Neapolitano, sub Salernitano Archiepiscopo. Est exempta in veteri Codice Prouinciali Romano.

[c] SCALENSIS EPISCOPVS.] *Scala* in regno Neapolitano sub Archiepiscopo Amalphitano, in eodem vet. Cod.

Ex sponsalibus de futuro inducitur impedimentum publicæ honestatis propter rationē allatam in *cap. ad audientiam, apud Gregor. hoc*

tit. quòd in lege diuina scriptum sit, non licere fratri sponsam fratris vxorem ducere, cùm tamen lex diuina loquatur de vxore, non de sponsa; quia apud Hebræos ex lege Mosis sponsalia pro nuptijs reputabantur, vt & *Nouella* Alexij Comneni, & ita intelligitur *Canon* 98. *Synodi 6. in Trullo*, de sponsa quæ benedictionem acceperat. Publicæ honestatis impedimentum ad sponsam interpretatione legis traductum est, & ita in priscis canonibus inueniri notat superscriptio *can. si quis.* 11. 27. *q.* 2. Quod etiam effecerunt Gregorius I. & Iulius in *can. si quis vxorem, & sequ. ead.* Et ideò Alexander III. in *cap.* 1. *hoc tit. in* 1. *Compilat.* reddit rationem, *Quod canonicæ obuiat rationi non permittas*; Canonicam rationem intelligit, quæ desumitur ex allatis Canonibus. Hinc notandum per hanc interpretationem gradus prohibitos à lege diuina censeri, qui tamē non nisi constitutionibus Ecclesiasticis prohibentur; quo sensu sæpissimè vsum fuisse D. Gregorium, & alios censendum est, & optimè sentit Glossa in *cap. literas. de restit. spoliat.* Et hanc legis diuinæ interpretationem ex more Romanæ Ecclesiæ descendisse coniecturæ locus est, si verum sit quod ait Balsamo in *responsione ad interrogat. Marci* fratrem posse impunè ducere sponsam fratris *antequàm cum ea per benedictionem initiaretur*, ἐτελεύτησε πρὸ τοῦ ἱερολογηθῆναι μετ' αὐτῆς: quæ initiatio, seu benedictio fit cùm fides datur, & sponsalia contrahuntur per verba de præsenti: Et ita dicit esse consuetudinem *in omnibus ferè Austri & Oriētis partibus*, εἰς πάντα σχεδὸν τὰ μέρη τοῦ νότου, καὶ τῆς ἀνατολῆς. Hoc autem caput est circa primum gradum, vltra quem non oritur impedimentum publicæ honestatis, & ita concludit Concilium Tridentinum in *can.* 3. *sess.* 24. nisi tamen dispensationis causa legitima subsit, vt in *cap.* 5. *ibid.* dicitur; & quod hîc Honorius decernit est iuxta stricti iuris regulas, non quòd dispensationem exclusērit si petita fuisset.

[a] *Episcopo Sleuuicen.*

CAPVT II.



Onsultationi tuæ breuiter respondemus: mulieres quæ de more veniunt [b] ad valuas Ecclesiæ benedicendæ cum sponsis, ibi reclamantes affirmant se numquam in eorum matrimonium consensisse, audiri sponsis legitimè probantibus contrarium non oportet, cùm legitimis & idoneis testibus non debeat illarum simplex assertio præualere. Sanè illis quæ benedictione receptâ mox à sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, asserentes se numquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas verba protulisse consensus, licèt animo dissentirent, non statim est audientia deneganda, sed de illato metu est cum diligentia inquirendum: & si talis metus inueniatur, qui cadere potuerit in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.

[a] EPISCOPO SLEVVICENSI.] Sic in MSS. in vulgatis Besguensi, corruptè. *Sleuuich* in Germania sub Bremensi Archiepiscopo. Hic Episcopatus cum alijs tribus in Cimbria Chersoneso, circa annum 948. fundati sunt per Othonem M. Imperatorem.

[b] AD VALVAS.] Morem notat quo sponsæ antequàm benedictionem acciperent ad valuas, seu vestibulum sistebantur, vt fides earum exploraretur; & quia iam fortè obsoleuerat hic mos, Raimundus in compilatione Decretalium hæc verba, *de more*, omisit. Et quidem tunc demum fide datâ coronabantur à sacerdote, vt probatur ex *Epist.* 3. Michaëlis Cerularij *lib.* 4. *Iuris Græcorū.* εἰ δ' ὡς ὁ ἱερεὺς ὡς καθαροὺς ἐστεφάνωσεν, id est, *sin verò Sacerdos tanquam puros coronauerit*, & ex Harmenop. ad *Can. vltim. tit.* 2. *sect.* 4. in quo monachi prohiben-

tur tenere coronas nuptiales στεφάνους γάμων. & Matth. Blastares in *cap. de matrimonij definit.* διὰ στεφανώματος matrimonium contrahi docet.

[a] *Episcopo Esculan.*

Capvt III.

Non poni.



VIS nobis litteris intimasti, quòd P. ciuis Esculanus matrem cuiusdam puellæ, quæ desponsata, & traducta etiam ab eodem ante nouem annos ab ipso incognita debitum carnis exsoluit, iam secundò iurauit ducere in vxorem mutuo interueniente consensu, dummodò id posset legitimè adimpleri. Vnde ipsis à te contrahendi licentiam cum instantia postulantibus, super hoc nos consulere voluisti. Nos igitur consultationi tuæ breuiter respondemus quòd esse non potest matrimonium inter eos.

[a] EPiscopo Escvlano.] vel Asculano, *Ascoli.* Dubium an sit Ascoli Marchiæ Anconitanæ in prouincia Romana; an Ascoli regni Neapolitani, vrbs suffraganea Archiepiscopi Beneuentani.

Is qui desponsauit puellam, & deduxit in domum suam, quæ ante nouem annos incognita ab eo decessit, non potest contrahere matrimonium cum matre; siquidem post septimum annum ex sponsalibus impedimentum publicæ honestatis nascitur; quia tunc rectè contrahuntur sponsalia *can. vnico 3. q. 1.* & ante minor septennio censetur iudicio carere, vt respondit Alexius Patriarcha in *can. 3. sentent. Synodal.* ἐν τάξει γαμετῆς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἀπηνέγκεν: *licèt vxoris loco in domum eius deducta sit.* Vnde hîc frustra quæsitum fuerat an eius quæ nouem annos attigerat, & traducta fuerat matrem ducere possit qui illam desponderat. Traductio, seu deductio in domum, nuptiarum solennitas erat. Nonius dicit *innubere, id est transire*; tunc enim puella desinebat esse in patris potestate; quod tamen non semper verum erat: nam si sponsalia non præcesserant, in domum deductio non sufficiebat, *l. 8. ff. de ritu nuptiar.* maximè si immatura esset, vt respondit Papinianus ex sententia Labeonis in *l. cùm hic status. §. si quis sponsam. ff. de donat. int. vir. & vxor.* Hic autem non quæritur an veræ nuptiæ sint, sed tantùm sponsalia quæ sufficiunt ad iustitiam publicæ honestatis, quod tamen Concilij Tridentini decreto sublatum est, nec oritur impedimentum, etsi per verba de præsenti sponsalia facta fuerint ab impuberibus, vt Declaratio censuit *ad Cap. de reformat. sess. 24.*

TITVLVS II.

De Frigidis, & maleficiatis.

Episcopo, & Magistro B. Canon. Ambianensi.

CAPVT I.



ITTERÆ vestræ nobis exhibitæ continebant, quòd cùm causam matrimonij, quæ inter Matildā mulierem, & Albericum virum eius Attrebaten. diœcesis vertitur, vobis fuisset à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro commissa, dicta M. proposuit coram vobis, quòd cùm iam octo annis elapsis dicto A. fuisset matrimonialiter copulata, & diu cohabitasset eidem, numquam tamen licèt esset viripotens ab eo cognita fuerat, sed adhuc integra permanebat, eò quòd prædictus vir eius non habebat potentiam coëundi. quare petebat inter eos diuortium celebrari. Prædictus verò A. nihilominùs fatebatur quòd numquam illam cognouerat, licèt ad eius obsequium se facilem exhibuerit & paratam, sed tamen se habere potentiam cognoscendi alias asserebat. Vos verò ne id fortè confiteretur in fraudem, à matronis bonæ opinionis, fide dignis ac expertis in opere nuptiali, dictam fecistis inspici mulierem, quæ perhibuerunt testimonium ipsam adhuc virginem permanere: postmodùm per presbyterum, de cuius parochia vir prædictus extitit, fecistis diligenter inquiri, vtrùm vir ipse aliquam cognouisset, nec per inquisitionem ipsam vobis constare potuit aliquam esse carnaliter cognitam ab eodem. Ipsis autem viro & muliere frequenter comparentibus coram vobis, ac muliere instanter diuortium requirente & dicente, quòd mater esse volebat, & filios procreare: viro autem dicente quòd paratus erat stare consilio, & voluntati Ecclesiæ, iniunxistis eisdem, vt humiliter reciperent & agerent penitentiam de commissis, si fortè placeret Deo, qui matrimonij fuit institutor & autor, vt opus matrimonij consummarent, qui post plures terminos ad commanendum sibi à vobis indultos, ad vestram reuersi præsentiam consonâ voce dixerunt, quòd non poterant carnaliter cōmisceri, propter quod de ipsorum consensu causam huiusmodi Apostolico duxistis iudicio relinquendam. Vnde vobis iteratò per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si recolitis rem taliter se habere, &

vobis constitit, vel adhuc constiterit præfatos virum & mulierem infra prædictos octo annos per continuum triennium insimul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu iuramento firmantibus, se nequiuisse carnaliter commisceri, proferatis diuortij sententiam inter eos.

PRopter frigiditatem, vel maleficium solui matrimonium tandem decretum est: quod primùm Ecclesia Romana non probabat; ita vt frigiditas nec impediret, nec solueret, quod abrogatum est per *can. si per sortiarias.* 33. *q.* 1. si nempe impedimentum sit perpetuum, aliàs non: quæ fuit opinio Hugolini contra eos qui Romanæ Ecclesiæ consuetudinem tuebantur, in *cap.* 2. & 3. *huius tit.* in 1. *compilat.* quæ duo capita ideò in compilatione Gregorij prætermissa fuerunt, receptâ generali Ecclesiæ Gallicanæ consuetudine, vt est in integra Decretali *cap.* 3. *eod.* quam non etiam integram Compilator apposuit in *cap.* 2. *apud Gregor.* Laurentius verò Glossator vt tueretur morem Romanæ Ecclesiæ, eundem locum habere contendit vbi dubitatur de frigiditate, & tunc qui non potest habere vt vxorem, habeat vt sororem, quod consilium non præceptum esse dicit Glossa: saltem triennium exspectari debet, *Nouellâ* Iustin. 22.



TITVLVS III.

De dote post diuortium restituenda.

[a] *Xanton. &* [b] *Lemouic. Episc. & Decano Burdeg.*

CAPVT I.

Non ponitur.



Euerendissimus in Christo filius n. H. Rex Anglorum illustris olim nobis suam querimoniam destinauit, quòd cùm nobilis vir [c] Hugo de Lesiniano, Comes Marchiæ quondam iurasset, quòd sororem suam quàm citò nubilis esset, duceret in vxorem, ac interim ciuitatem Xanton. & insulam Oleronis, cum alijs terris & redditibus, quos claræ memoriæ I. Rex Angliæ pater eius cum ea sibi tradiderat, fideliter custodiret, nec vmquam aliquid faceret, per quod posset huiusmodi matrimonium disturbari; idem contra suum, & aliorum qui super hoc iurauerant, veniens iuramentum, [d] matrem præfatæ I. quondam reginam Angliæ, quæ sponsalibus contractis inter eos consenserat, sibi sicut fieri potuit matrimonialiter copulauit, nihilominùs præfatam filiam eius cum ciuitate detinens, ac alijs supradictis: vnde nos ipsi Comiti dedimus in præceptis, vt restitueret ipsi Regi sororem suam cum ciuitate, ac alijs supradictis, necnon cum fructibus quos perceperat ex eisdem.

[a] Episcopo

[a] EPISCOPO XANTONENSI.] Sic legendum, Henrico 39. Episcopo.


[b] LEMOVICENSI EPISCOPO.] Ioanni de Veyrat, vel, Verac, 55. Episcopo, vexato à Rege Angliæ, vel, Bernardo de Fauena, seu, Saueria 56. Episcopo.

[c] HVGO DE LESINIANO COMES MARCHIAE.] Hic locus est singularis, plenè enim historiam nobis exhibet de sponsalibus Ioannæ filiæ Ioannis Angliæ regis cum Hugone Comite Marchiæ (& eius circumstantijs) quam Matthæus Paris tantùm delibat sub Ioanne *Pag. 239. edit. Tigurinæ*: refert enim solùm dictum Ioannem scripsisse iustitiarijs suis de scaccario: *Quia priùs tractatum erat inter nos & Comitem Marchiæ de filia nostra Ioanna, filio suo danda in vxorem, id ei concessimus.* In hoc tamen discrepat ab Honorio, quòd Ioannam pactam fuisse filio Comitis dicat, Honorius verò ipsi Comiti, nec vllus alius Historicus Angliæ, quod sciam, hanc historiam attingit. Porrò hæc Ioanna nupsit posteà Alexandro Scotorum Regi.

[d] MATREM PRAEFATAE I. QVONDAM REGINAM ANGLIAE.] Isabellam, filiam Comitis Engolismæ, quam Ioannes rex Angliæ duxerat vxorem, celebrato diuortio inter eum, & Hauuisam Comitis Glouerniæ filiam, eò quòd affines essent; & quam idem Comes Hugo cognomento Brunus, Comes Marchiæ per verba de præsenti in suam receperat, antequàm regi Anglorum desponsaretur, cui posteà hac de causa fuit publicus inimicus, vt referunt idem Matthæus Paris sub Ioanne *pag. 192. dicta edit. Tigurinæ*, & Guill. Brito *Philippidos lib. 6.* Post mortem Ioannis dictus Comes Marchiæ spretâ Ioannâ filiâ suâ, Isabellam viduam eius matrimonio sibi copulauit, quæ fax fuit belli inter maritum, sanctum Ludouicum, & Henricum III. Angliæ Regem.

FINIS LIBRI QVARTI.





QVINTÆ COMPILATIONIS DECRETALIVM LIBER QVINTVS.

TITVLVS I.

De Simonia.

VNIVERSIS ABBATIBVS, ET FRATRIBVS Cistercienſis Ordinis.

CAPVT I.

NE Dei Eccleſiam, quam lauit proprio ſanguine Ieſus Chriſtus, macula fœditatis coinquinet, ruga duplicitatis deformet; cupiditatis ſpurcitia omnium malorum radix, & venalitatis deformitas, quaſi ruga ſub conſuetudinis prætextu contracta, eliminandæ ſunt penitus ab eadem, vt diſpenſatio myſteriorum Dei, & ipſa myſteria gratis accepta, Gieziticâ prauitate prorſus abolitâ, charitate gratuitâ conferantur, quæ vendere, ſeu emere quàm deteſtabile, quámve periculoſum exſiſtat liquidò perpendi poteſt, ex eo, quòd Dominus vendentes & ementes oues & boues eiecit de templo, & cathedras vendentium columbas euertit: in eiectione denique vendentium & ementium facinoris inquinantis vtrorumque exprimitur deteſtatio; & in cathedrarum euerſione mõſtratur cui pœnæ ſubiaceant, hi qui præſunt, vendentes Dei dona & Eccleſiæ ſacramenta. Vt igitur huiuſmodi facinus quos coinquinat, & æquat prælatos & ſubditos non poſſit inficere, quoquo modo auctoritate Apoſtolicâ diſtrictiùs inhibemus, ne quis Archiepiſcopus, vel

Episcopus, Archidiaconi, vel Officiales ipsorum à quoquam in Abbatem electo pro benedictione, seu installatione, vel recipienda professione, ab eo, sub consuetudinis prætextu cuiusquam, palefridum, seu aliud quidquam quocumque nomine censeatur, exigere, vel extorquere præsumat; vobísque sub prætextu huiusmodi exacta taliter ne præstetis interdicimus, quum non solùm à malo, sed à mali sit specie abstinendum. Installationis quoque solennitates fieri prohibentes adijcimus, vt Archiepiscopi, & Episcopi eâ sint formâ professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis noscitur instituta, cuius tenorem ad maiorem euidentiam huic nostræ paginæ duximus inserendum: *Ego frater Abbas, Cistercienſis Ordinis, subiectionem, reuerentiam, & obedientiam à Sanctis patribus constitutam, secundùm regulam Sancti Benedicti, tibi Domine Episcope, tuísque successoribus canonicè substituendis, & sanctæ sedi, saluo Ordine meo perpetuò me exhibiturum promitto.*

HVius capitis pars quædam refertur apud Gregor. Vetat Honorius pro installatione Abbatum Cisterciensium Palefridum, vel quid aliud exigi. Idem de Præmonstratensibus Innocentius III. *Ep.* 198. & 328. *lib.* 1. Quid sit Palæfredus, & vnde descendat, non moror. A Paraueredis deduci docuit Cuiacius ad *Tit. Cod. de cursu publico.* Erant Veredarij, qui cursui publico destinabantur equi minores & velociores; Paraueredarij verò maiores & agminales qui quando assumerentur ad euectiones, Veredarij dicebantur, παρίπποι in *l. vlt. C. eod. l.* 50. *C. Theodos. eod.* apud Symmachum *Epist.* 14. *lib.* 7. quod probat Cuiacius ex *Epist. Iuliani* Aëtio *Episcopo*, χρήσῃ δὲ ὀχήματι δημοσίῳ μέχρι τοῦ στρατοπέδου τοῦ ἐμοῦ, καὶ ἐνὶ παρίππῳ: Id est: *Vteris autem vehiculo publico vsque ad nostram cohortem, & vno Parippo*; & vt omittam locos innumeros *Capitul.* & *legum antiquarum*, ac Cassiodori 5. *variar.* certum est veram esse distinctionem Cuiacij, nam & hodiè maiores equos vocamus, vulgò *Palefrois.*

[a] *Sancti Petri Viui, Senon. Abbati, & Conuentui.*

CAPVT II.



CVpiditati quorumdam, qui quasi columbas in templo vendentes facere solent exactiones, & extorsiones turpes & prauas pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clericorum, prauitatem huiusmodi intendendo defendere per consuetudinem longo tempore obseruatam, tam in Lateranensi, quàm in generali Concilio fuit salubriter obuiatum, consuetudine huiusmodi, quæ corruptela magis dicenda est, penitus reprobatâ, & statuto, vt nemo pro his siue conferendis, siue collatis aliquid quocumque prætextu exigere, aut extorquere præsumat. Nos igitur vtriusque Concilij constitutionibus inhærentes, autoritate præsentium firmiter inhibemus, ne quis pro benedictione, Non ponitur.

siue installatione Abbatum, qui ad monasterij vestri regimen fuerint assumendi præsumat aliquid à vobis exigere, aut prætextu cuiusquam consuetudinis extorquere; vobis nihilominùs indulgentes, ne quid inuiti ob causas dare teneamini supradictas.

a ABBATI S. PETRI VIVI.] Hulderico, vel Hugoni Abbatibus huius nobilissimi Monasterij, ordinis S. Benedicti, fundati anno 507. à Theodechilde. Vide Miræum *cap.* 25. *Origin. Benedict.* Quę pertinent ad hoc cap. latè discussimus in *cap. ad audientiam. suprà, de consuetud.*

Pistoriensi Episcopo.

CAPVT III.

Non ponitur.



AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm olim inter conuentum monasterij Sancti Bartholomæi Pistoriensis ex parte vna, & a Abbatem sancti Ioannis Parmensis ex altera, super eo quòd dictus Abbas præfatum monasterium sibi subesse dicebat, coram Archipresbytero & coniudicibus suis autoritate Apostolicâ quæstio verteretur; nominatus Abbas, pendente lite coram iudicibus memoratis, omne ius quod asserebat in prædicto monasterio se habere, ac idem monasterium tibi de facto, cùm de iure non posset sicut conuenit, non attendens quòd Ecclesiastica, ac monasteria distrahi nequeant sine vitio simoniæ, tamquam vile aliquid pro certa vendidit pecuniæ quantitate, in ipsorum, & eiusdem monasterij præiudicium non modicum & grauamen. Postmodùm verò tu, vnde miramur plurimùm & mouemur, non considerans, cum quanta seueritate Dominus de templo expulerit vendentes pariter & ementes, occasione huiusmodi venditionis à præmisso conuentu iuratoriam & fideiussoriam cautionem per violentiam extorsisti, vt venditionem ratam haberent eamdem, & contra eam de cetero non venirent, in eos qui contra venditionem ipsam venirent, seu consilium, vel auxilium super hoc conferrent eisdem, excommunicationis sententiam temeritate propriâ promulgando. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, vt sicut venditionem sancti Thomæ Pistoriensis, sic & istam irritare misericorditer dignaremur. Nos ergo fraternitati tuæ deferre quantùm cum Deo, & honestate possumus cupientes, deuotioni tuæ mãdamus, quatenus his quæ per te minùs prouidè facta sunt in hac parte reuocatis, prouidè per te ipsum, sæpefatum conuentum à iuramentis, & fideiussores eorum à fideiussionibus quas ab ipsis propter hoc diceris extorsisse absoluens penitus, & præfatam excom-

municationis sententiam sinè qualibet dilatione ac difficultate relaxans, ipsos occasione huiusmodi de cetero non molestes.

a ABBATEM S. IOANNIS PARMENSIS.] Celebris Abbatia in ciuitate Parmensi S. Ioannis Euangelistæ, Ordinis sancti Augustini.

TITVLVS II.

De Magistris.

CAPVT I.



SVPER specula. *& infrà*. Cùm itaque de singulis prouincijs puellæ speciosæ ac virgines pro rege Assuero, qui beatitudo dicitur, per ancillas quæri debeant, & adduci ad arcem & mœnia ciuitatis, & per manum Aggei mundum muliebrem accipere, necessariorum videlicet fulcimenta: volumus & mandamus vt statutum in Concilio generali de Magistris Theologis per singulas metropoles statuendis inuiolabiliter obseruetur; decernentes insuper de consilio fratrum nostrorum ac districtè præcipiendo mandantes, vt quia super hoc propter raritatem magistrorum se possent forsitan aliqui excusare; ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis ad Theologiæ professionis studium aliqui docibiles destinentur, qui cùm docti fuerint in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodùm copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad iustitiam valeant plurimos erudire; quibus si proprij prouentus Ecclesiæ non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. docentes verò in Theologica facultate, dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa, integrè per annos quinque percipiant de licentia sedis Apostolicæ prouentus præbendarum, & beneficiorum suorum, non obstante aliquâ contrariâ consuetudine vel statuto, quum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcussè volumus obseruari, firmiter disponentes quòd [a] feriamus pœnâ debitâ transgressores.

HVius Decretalis tres sunt partes, vna in *cap. super specula, suprà, ne cler. vel monachi.* altera in *hoc cap.* & 3. *infra, tit. de Priuileg.* Hoc autem capite Honorius respicit tam Concilium, Lateranense habitum sub Alexandro III. quàm Concilium generale sub Innocentio III. etiam Lateranense dictum, quæ tamen nominum distinctio vulgò adhibetur vt iam notaui, vt constat ex *cap.* 2. *suprà, de simonia.* Hic Honorius quod hisce Concilijs de doctoribus Theologis nondum erat plenè obseruatum, vt in-

terim Theologiæ studium procuretur remedium adhibet, nempe vt integrè fructus præbendarum suarum recipiant absentes, vt *suprà tit. de cler. non resid.* dictum est.

[a] FERIAMVS.] Ferire, est hîc excommunicare *cap.* 5. synodi Vernis habitæ, *Feriat illum pastorali virgâ*, & in *cap. 6. de reb. Eccles. alien. Anathemate feriatur*, quod est *iaculo & mucrone spirituali percutere* in *can.* 7. Concil. Mogunt. *celesti gladio* in Concilio Turon. 2.


TITVLVS III.

De Iudæis & Saracenis.

Omnibus Archiepiscopis, & Episcopis per regnum Hungariæ constitutis.

CAPVT I.

Non ponitur.



Ntellecto. *& infrà.* Ad hæc de discretione vestra miramur, causam contra vos admirationis habentes, ex eo, quia quum [a] in Toletano Concilio statutum fuerit, & in generali postmodùm innouatum, ne Christi blasphemus publicis officijs præferatur, quum nimiùm sit absurdum, vt tales in Christianos vim exerceant potestatis; vos, vt intelleximus conniuentibus oculis sustinetis per Iudæos atque Paganos statutum huiusmodi violari, quamquam publicè in synodis vestris protuleritis excommunicationis sententiam in omnes, qui eisdem officijs præficerent infideles: & idem Rex nobis iamdudum direxerit scripta sua, in quibus lege perpetuo duratuiâ se statuisse dicebat, ne in regno Hungariæ vllo vmquam suo, vel heredum suorum tempore tales præficiantur officijs supradictis. Audiuimus insuper quòd Saraceni per dissimulationem vestram [b] multa in partibus vestris habent mancipia Christiana, quæ cùm emant liberè, quando volunt pro arbitrio suo dominantur eisdem, secundùm ritum ipsorum ea viuere compellentes. Prætereà, quod est plurimùm miserabile, nonnulli rustici Christiani sponte se transferentes ad ipsos, & eorum ritum sectantes, Saracenos se publicè confitentur, ex eo quia in plurimis lenior Saracenorum conditio quàm Christianorum existit. Quia verò negligere, cùm possitis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere, ac consentire videtur errantibus qui vitijs & peccatis quæ debet corrigere non occurrit; ita in hoc negligentiam vestram redimatis per diligentiam subsequentem, quam maiorem solito adhibere curetis, ne Christiani nominis contumelia in vos cadere dignoscatur, & nos peccatũ huiusmodi negligentiæ tam intolerabilis, quæ quum sit nimia culpæ

adnumerari potest, non cogamur durius exprobrare: nefas est enim, vt sacri baptismatis vndâ renatus, infidelium ritu, vel conuersatione fœdetur; aut religio Christiana subiecta infidelibus polluatur, seu blasphemus ipsius, redemptum sanguine Christi Domini obnoxium detineat seruituti.

[a] IN TOLETANO CONCILIO.] IV. Sisenandi regis anno 3. Christi verò anno 634. *Iudæi, quique ex eorum sanguine sunt prognati, ad publicos Magistratus ne admittantur*, ait Conciliũ: & in V. Concil. Toletano, Chintilæ regis anno 1. Christi verò 636. sancitum, *Ne Rex regno inauguraretur priusquàm conceptis verbis Iudæorum genti se haudquaquam opem laturum iuratus: ac ne permissurum quidem vt quisquam à religione Christiana alienus totâ ditione impunè vitam ageret.*


[b] MVLTA HABENT MANCIPIA.] Hoc cap. Honorius refert se accepisse edicta contra Iudæos à rege Hungariæ, quem constat ex historia Hungarorum fuisse Andræam, & sinè dubio misisse ad Honorium ea, quæ a prædecessore suo Colomano statuta fuerant, vt patet ex ipsius Decretis, *lib.* 2. quibus hæc præcipuè continentur de quibus hic agitur. Tantam autem perniciem Hungariæ inferebāt Iudæi, vt eos tandem Ludouicus Rex ab Hungaria omnino exegerit, qui exacti Austriam & Boëmiam inundarunt, vt scribit Bonfinius, *Decade* 2. *lib.* 10. Iudæis autem Christiana habere mācipia omnibus legibus vetitum est, *l. vnica, C. ne Christiana mancip. Nou.* 144. *cap.* 2. & de his pluries in legibus Vuisigothorum, quarum autorem Chindasuintum quidam esse existimarunt, meliùs quàm Vuambam; ille enim mentionem facit Recaredi prædecessoris sui in *cap.* 13. *lib.* 12. & in alijs pluribus locis hoc vetuit de quo hic Honorius. Sed & nutrices Christianas ad lactandos pueros Iudæorum conducere vetat Clemens IV. in *Epist. quadam M. S.* & de his *cap.* 13. *hoc tit.* Vide quoque constitutionem Bernardi Archiepiscopi Tarracon. anno 1273. hac de re. Rationem verò cur ab omni hominum consortio Iudæi arceantur reddit Diodor. Siculus *lib.* 40. μόνους γὰρ ἁπάντων ἐθνῶν, ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας, καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας. id est, *solos enim eos esse qui cum alijs gentibus nihil habent commune, & omnes in hostium numero ponunt.* Et vbicumque pedem fixerunt summas opes compararunt, vt de Magdeburgensi, & Hallensi ciuitatibus scribit Krantzius *lib.* 8. *Metrop. cap.* 23. De Saracenis idem fere non omnino ius statuitur, qui quidem a Iudæis defecerunt, & quos primùm dictos Agarenos scribit Agobardus *lib. de insolent. Iudæor.* ab Agar ancilla, & Saraceni dicti à Sara vxore Abrahæ, vt scribit D. Hieron. quem Scaliger non iure carpit, cùm ait eos nomen sumpsisse a Saraca regione Arabiæ; sed non videt Saracam regionem dictam fuisse à Sara, sicut Agaram regionem etiam Arabiæ ab Agar, & inde Agarenos, quæ omnia, & ius diuersum inter eos fusè tractaui in *Paratitlis.* A Iudæis etiam Samaritani manarunt, & apud illos hæretici habiti sunt, de quorum opinionibus in *Decreto* S. Eulogij *apud Photium in Bibliot.* & semper infensos valdè fuisse scribit D. Hieronymus. Ideò & omnibus muneribus & officijs publicis, sicut Iudæos priuari voluit Iustinian. *Nouella* 144.

TITVLVS IV.

De Hæreticis.

Fredericus Imperator.

CAPVT I.



HAC edictali, & *infrà*. Catharos, Patarinos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnaldiſtas, Circumciſos, & omnes hæreticos vtriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur[a] perpetuâ damnamus infamiâ, [b] diffidimus, atque bannimus; cenſentes vt bona talium confiſcentur, nec ad eos vlteriùs reuertantur, ita quòd filij ad ſucceſſionem eorum peruenire non poſſint: quum longè ſit grauius æternam, quàm temporalem offendere maieſtatem. Qui autem inuenti fuerint ſolâ ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum Eccleſiæ iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatémque perſonæ, propriam innocentiam congruâ purgatione monſtrauerint, tanquam infames, & banniti ab omnibus habeantur: ita quòd ſi ſic per annum permanſerint, ex tunc eos ſicut hæreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt Poteſtates, vel Conſules, ſeu Rectores, quibuſcumque fungantur officijs, pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quòd de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bonâ fide, pro viribus exterminare ſtudebunt; ita quandocumque quis fuerit in Poteſtatem ſiue perpetuam, vel temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare; alioquin nec pro Poteſtatibus, nec pro Conſulibus habeantur, corúmque ſententias decernimus ex tunc irritas & inanes. Si verò Dominus temporalis requiſitus & admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore monitionis elapſum, terrã ipſius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis abſque vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, [c] ſaluo iure Domini principalis, dummodò ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eâdem nihilominùs lege ſeruatâ contra eos qui non habent dominos principales. Credentes prætereà, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquàm quilibet taliũ

fuerit

fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, vel eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur; sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse alij respondere cogatur: quod si fortè iudex exstiterit eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur: si fuerit Aduocatus eius patrocinium nullatenus admittatur, si tabellio instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti.

[a] PERPETVA DAMNAMVS INFAMIA.] Aliàs dicitur *Diffamia*, apud D. Augustinum in *Quæstion Vet. Testam.* & alibi, vt doctissimè aduertit Cuiacius *ad Paratitl. Cod. Ex quib. caus. infam. irroget. Ictum infamiæ* vocat Vopiscus, *in Aurel* alij *Vulnus famæ*.

[b] DIFFIDIMVS.] *Diffidere*, idem est quod *Diffiduciare*, & *Diffidare*, quod nos, *Deffier*, & inimicitias denunciare. Vuillelm. Malmesbur. *lib.* 2. loquens de Stephano rege; *More maiorum eis amicitiam interdixerat, quod Diffidare dicunt. In legibus Scotorum & Anglorum, Acuidare*, quoque eadem significatione vsurpabatur. In Bulla Martini V. *Ex pœnis impositis contra diffidantes, seu acuidantes personas Ecclesiasticas*: & in Constitutione Ximenij de Luna, Archiepiscopi Tarracon. anno 1318. *Prædecessorum nostrorum qui condemnauerunt abusum execrabilem diffidandi personas Ecclesiasticas vestigijs inhærentes; statuimus, vt si quis diffidauerit, seu acuidauerit, diffidari, seu acuidari fecerit* &c. Hanc Diffidationem *Faidam* vocant leges Saxonum, Frisionum, & Longobardorum, vt notaui *suprà* ad *Titul. de Treuga, & Pace*. Veteres vocasse *Clarigationem* quidam voluit ex Gellio *lib.* 16. *cap.* 4. quod tamen non ita est, sed *Clarigare* dicitur, quoties repetitur, aut rapitur ab vno quod alius alteri debet, vt notat Cuiacius ad *Titul. Cod. quæ sit longa consuet.* Diffiduciare autem non est solùm inimicitias denunciare, sed etiam ius habere vt bona hostis occupare liceat. Iuo Carnotensis *Epist.* 22. *Me diffiduciastis, & bona Episcopalis domus diripienda aduersarijs nostris exposuistis.* Id. *Epist.* 173.

[c] SALVO IVRE DOMINI PRINCIPALIS.] Principalis est Dominus feudi, ad differentiam Domini generalis, qui est Rex, aut Imperator, aut Dominus supremus, vt distinguit Fridericus *lib.* 1. *Constit. Sicul. tit.* 91. *Occasione Dominij generalis, quod in rebus & iuribus omnium subiectorum nostrorum habemus.* & infrà: *sed si quas rationes & iura Cæsariani nostri in rem cuiuslibet possessoris habere curiam nostram confidunt.* Quæ *magna Feuda* dicuntur *eod. lib.* 4. *cap.* 41. *Feudum regale, tit. de feudo Marchiæ lib.* 1. *feudor.* & *tit.* 10. *lib.* 2. Et hi Principales Domini dicuntur ad differentiam dominorum soli, quos *Directos*, vulgò vocamus, alias dicuntur Domini priuati, qui ius habent in bonis possessorum, censuale putà, vel cespitaticum, seu agrarium in frumento pendi solitum, *l.* 2. *C. Theod. de veteran. sinè præiudicio Dominorum prouentuum.* Agrarium in *formulis* Marculphi. Hi etiam Domini dicuntur personarum, putà libertorum, vel *Aldionum*, qui alias *Liti*, aliàs *Fiscalini* vulgò vocantur, in legibus Longobardorum, & alibi passim. De dominis infimi subsellij non est hic locus qui habet proprietatem vel vsumfructum, vel possessionem alicuius rei, vel fundi *l.* 17. *quib. mod. vsusfr. amitt. l.* 3. *si vsusfr. petat. l.* 2. *C. Theod. de bon. matern.* Nec verò agit hic Fridericus de alijs dominis Principalibus, vt sunt Principales ciuitatum Magistratus *l.* 2. *C. de excusat. muner. lib.* 10. de quibus Isidorus *lib.* 9. *Etymolog. cap.* 4. vel in exercitibus *l.* 12. §. *irreuerens: de re militar.*

TITVLVS V.

De Apostatis, & Schismaticis.

[a] *Nicomediensi Archiepiscopo.*

Capvt I.

Non ponitur.



VA fraternitas postulauit per sedem Apostolicam edoceri, quid fieri debeat de monachis Græcis, qui post obedientiam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ promissam, abeuntes retrorsum, Græco qui se vocat Patriarcham Niceno obedientiam promiserunt. Nos ergo ad id f. t. breuiter respondemus, quòd sunt ad promissam Ecclesiæ Romanæ seruandam, & exhibendam obedientiam censuris Ecclesiasticis compellendi, aduocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio seculari.

[a] NIcomediensi Archiepiscopo.] In Leonis sapientis Imperatoris Constantinopol. Decreto, seu dispositione apud Leunclauiũ de iure Græco-Romano, inter Metropoles subiectas throno Cõstantinopolitano, ponitur septima Nicomedia in Phrygia, & octaua Nicæa in eadem prouincia.

Hoc caput ad schismaticos pertinet, quales erant Monachi qui Græco Patriarchæ adhærebant. Monachi in Oriente magni nominis & commendationis fuerunt, ita vt eorum sententiæ circa fidem & Ecclesiæ ritum exquirerentur. Quo pacto Nicenam synodũ defenderint constat ex Sozomeno *lib. 6. cap.* 27. & pro Cyrillo Alexandrino contra Orestẽ pugnauerint apud Nicephorum *lib.* 14. *cap.* 15. & contra Ioannem Chrysostomum apud eundem *lib.* 13. *cap.* 9. Imò & Imperatorum negotia & publica ministeria exercuerint, *can.* 4. *Synodi Chalcedon. & can.* 13. *Synodi* 7. Nec mirum si Honorius contra eos decernat, cuius temporibus Petrus Altissiodorensis, tũ Robertus, ac deinde Ioannes 3. Ducas Constantinopolim tenuerunt, sub quibus fuere Patriarchæ Manuël Philosophus, Germanus 2. & Methodius, Latinorum, & Romanæ Ecclesiæ partes agnoscentes. Græci verò qui imperium suum sustinere nitebantur vt plurimũ Nicææ sedem fixerunt; tunc enim Michaël Saurianus, Theodorus Irenicus, Manuël Cãtopulus, Arsenius, Antorianus, Germanus, & alij Nicææ commorati sunt, vsque ad Michaëlem Palæologum, qui eiectis Latinis Constantinopolim recuperauit. Ideò hîc Honorius Nicomediensi Metropolitano, qui non Niceni Patriarchæ, sed Constantinopolitani & Latinorum partes sequebatur, scribit, vt eos Monachos rebelles & Apostatas brachio seculari adhibito compescat.

[a] *Archiepiscopo Tyrensi.*

Capvt II.



Nobis expetit tua fraternitas edoceri, quid [b] de Apostatis sit agendum, cùm in custodia detinentur, eò quòd minis, vel blanditijs nullatenus possunt induci vt abiectum monachalem habitum reassumant: ad quod tibi breuiter respondemus,

quòd tales, si volueris, potes sub graui custodia carcerare, ità quòd solummodò sibi [c] vita misera reseruetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant.

A Rchiepiscopo Tyrensi.] Malè in vulgatis, Turonensi.

[b] De Apostatis.] Apostatæ primùm & propriè dicti fuerunt, qui à fide desciuerant, tales enim desertores Abrupti, dicebantur, & laici fiebant, *οἱ ἀπορραγέντες λαϊκοὶ γενόμενοι*, tanta cum execratione vt baptizati ab eis iterum baptizandos esse assererent, *can.* 1. *ad Amphiloch.* apud D. Basilium. Dicebantur Christianitatem mutare, & ad Paganismum redire in legibus Alutedi, & Gutthurni Regum Angliæ, *can.* 2. quibus pœna præter excommunicationem pro qualitate delicti infligebatur, quam *Vueram*, seu, *Vuitam* dicebant: constitutione Friderici omnibus bonis & iuribus spoliabantur *tit.* 2. *lib.* 1. legum Sicularum. Hoc verò cap. agitur de Monachis qui habitum deserunt, quos grauissimè plecti vult Honorius. Olim quidem anathemate feriebantur, sicut & clerici *in can.* 7. *synodi Chalcedon.* qui se sacrâ veste exuerant *γένεται τοῦτο εἰς τὸν ἀποθέμενον τὴν ἱερὰν στολήν*, id est, *fiet hoc in eum qui sacrum amictum exuit*: ac etiam de ijs qui Tonsuram, seu Coronam abiecerant; nã nomine habitus monastici Tonsuram significari docet Balsamo ad *Can.* 5. eiusdem Concilij. Qui verò posteà reuertebãtur Coronam Memorialem gestabant, & vltimi in choro manebant, *cap. intelleximus. de æt. & qualit. ordinand. cap.* 29. regulæ S. Benedicti; & de his tracto *vltimâ Obseruat. lib.* 1. Qui vt fugitiui reducebantur, hos pœná carceris & vitá miserá plecti iubet Honorius; & fugitiuos requirere iuxta statutum Gregorij IX. Innocentius IV. indulsit Monachis S. Benedicti, dum Capitulum generale haberetur Burdegalæ, & constat ex ipsius *Epist. MSS.* quæ apud me est. Idem Fratribus Prædicatoribus permisit, *Excommunicare, capere, ac ligare, & carceri tradere possitis autoritate præsentium indulgemus.* in *Epist. MSS. Priori & fratrib. Prædicatorib.* cui iuri conueniunt ferè omnes Regulæ monachorum.

[c] Vita misera.] Hæc est de qua Innocentius III. *Epist.* 116. *lib.* 15. *Carceri facias mancipari, pane doloris & aquâ angustiæ sustentandum,* qui cibus *præberi sinè benedictione* cauetur, *cap.* 25. regulæ S. Benedicti. Isaïas *cap.* 30. vocat *Panem arctum, & aquam breuem.* Panis fuit ordeaceus, & quidem exiguus in regula S. Fructuosi *cap.* 16. Et hic cibus propriè fuit Penitentium, Gregor. Turon. *lib.* 9. *cap.* 11. *Iussit nihil aliud in vsu vescendi, nisi panem ordeaceum, cum aqua munda assumi.*

---

[a] *Archiepiscopo Lund.*

Capvt III.

Consultationi tuæ breuiter respondemus, quòd monachus aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit penitentiam, absque tamen dispensatione Romani Pontificis ministrare non potest in ordine sic suscepto.

[a] A Rchiepiscopo Lvndensi.] Apud Gregor. Lugdunensi. In quibusdam locis Decretalium malè ponitur *Lugdunensi*, pro, *Lundensi*, vt notaui *supra.*



TITVLVS VI.

De Homicidio voluntario, vel casu aliquo facto.

[a] *Episcopo Ebroicensi.*

CAPVT I.

EXhibita nobis humilis Ioannis clerici confessio patefecit, quòd cùm in puerili constitutus esset ætate cum quibusdam coætaneis suis ludens, & insequens vnum ex illis, lapidem post eum, non animo quidem lædendi, sed timorem incutiendi proiecit; qui licèt ex proiecto lapide percussus non fuerit, nec tactus, ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, tum propter imperitiam medicantis, tum propter patris incuriam, qui extunc campestribus laboribus & sudoribus ipsum exposuit, post quadraginta dierũ spatium exspirauit. Quia verò dictus clericus, vt mitigaretur dolor patris defuncti, tanquam puer inscius ab amicis inductus, veniam super hoc postulauit ab ipso, tu eum hâc occasione à sacrorum Ordinum susceptione repellis; quamquam idẽ defuncti pater in extremis laborans tibi, & Archidiacono tuo, necnon presbytero, cui suam aperuit conscientiam, confessus fuerit, & præstito firmauerit iuramento nihil ipsum in morte filij sui, prout sibi plenè constiterat, commisisse. Quare idem clericus tam suppliciter, quàm humiliter postulauit à nobis, vt cùm de scientia & vita laudabili commendetur, nec de illius obitu læsam habeat conscientiam, dignaremur agere misericordiam cum eodem. Quocirca f. t. p. a. s. mandamus, quatenus inquisitâ super his solicitè veritate, si constiterit ita esse, ipsum propter hoc à receptione sacrorum Ordinum non repellas.

[a] EPISCOPO EBROICENSI.] Malè in vulgatis, Eboracensi: Rodulpho 27. vel Richardo 38. Episcopis Ebroïcensibus.

[a] *Episcopo, & Capitulo Virdunensi.*

CAPVT II.

SIgnificauit nobis R. Canonicus Virdunensis, quòd cùm olim cum quibusdam alijs Canonicis vestris, intrasset Primicerij vestri domum, & ipso Primicerio in cœna, vnà cum bonæ memoriæ H. Virdunensi Canonico residente, dictus R. & alij qui cum eo intrauerant ludendo cœpissent alterutrò inter se iacere nucleos persicorum: tandem, ludo crescente, aquam & cœnum iacere incœperunt; Idem igitur R. paruum proiecit lapillum contra eos, non credens, quòd illo aliquis lædi posset, nec etiam tunc audiuit aliquẽ esse læsum: verùm præfatus Archidiaconus illo fuit iuxta oculum, prout videbatur, leuiter vulneratus, qui vulnus huiusmodi vilipendens continuè sequenti die, ac tertio equitauit, & sic per incautelã eius capite tumescente non post multùm temporis diem clausit extremum. Vnde dictus R. nobis humiliter supplicauit, vt secum, qui præter dolorem quem concepit de morte Archidiaconi memorati, de cuius speciali amicitia lætabatur, iam per quatuor annos & ampliùs in amaritudine penitentiæ vitam duxit, misericordiam facere dignaremur. Eius igitur supplicationibus inclinati, disc. v. m. quatenus de misericordia quæ superexaltat iudicium, fructus præbendæ suæ tribuatis eidem, & sacris sibi Ordinibus interdictis, ipsum permittatis in psalmis, & canticis spiritualibus Domino famulari, dummodò grauari scandalum non contingat. Non ponitur.

[a] EPISCOPO VIRDVNENSI.] Ioanni Dasprémont, vel successori, Radulpho de Toreta, qui, referente Richardo de Vuassebourg, creatus fuit anno 1224. per resignationem dicti Ioannis in Metensem translati.

Homicidiũ inconsultò factum dignũ est penitentiá, *can. clerico. 50. distinct.* licèt crimẽ homicidij non incurratur, *cap. lator. hoc tit. apud Gregor.* Et hoc propter humani sanguinis effusionem, quæ semper culpam ingerit, licèt rei licitæ quis vacauerit, & diligentiam necessariam adhibuerit, *cap. seq. & cap. vlt. eod.* Distinctione tamẽ habitá; nam aut inest lata culpa & negligẽtia, vel leuissima, quæ vix præuideri potest; hoc casu mitiùs agitur, quàm illo, ex D. Basilij sententia *can. 56. & 7. ad Amphiloch.* vt & optimè distinguit Balsamo ad *can. 91. synodi 6. in Trullo.* In casu autem *huius cap.* nulla ferè est culpa, & tamen reus penitentiam quadriennio egit, ac interim præbendæ fructibus caruit. Homicidium itá horret Ecclesia, vt minutissima animalia ab hoc crimine non eximat, sicuti de apibus dicitur, quæ homini mortem intulerant, quas festinanter occidi iubet *can. 64. Concilij Vormaciensis*; & de boue narrat Pausanias in *Eliacis*, cuius crimen expiarunt Elæi eo ritu quo *ἀκούσιον φόνον*, id est *inconsultam cædem*, purgare consueuerant.

Episcopo, & Capitulo Venetensi.

CAPVT III.



Oannes Sacerdos humili nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm die quâdam pulsaret campanas, vt signo dato conueniret populus fidelium ad diuina, cadens tintinnabulum percussit quemdam manentem puerum coram eo, qui licèt vulneratus in capite per mensem curam recepit medicorum, post mensem tamen, quia vulnus erat mortale decessit: vnde nobis humiliter supplicauit, vt misericorditer agentes cum ipso, permitteremus sibi exsequi officium sacerdotis. Nos igitur attendentes quòd dicto sacerdoti qui dabat operam rei licitæ nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non præuidit, disc. v. m. quatenus, si vobis constiterit rem ita esse, dictum sacerdotem, si aliud canonicum non obsistit, sacerdotale officium sublato cuiuslibet appell. obstaculo exsequi permittatis.

Pelagio, dicto Serotino presbytero.

CAPVT IV.



Etitio tua nobis exhita continebat, quòd cùm inimici Crucis Dominicæ, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam in quo morabaris grauiter inuasissent, exeuntibus inde habitatoribus tam clericis, quàm laicis contra eos & inuicē confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi extiterunt. Vnde cùm eo, quòd aliquos percussisti irregularitatem metuis incurrisse, nobis humiliter supplicasti, vt quid agere debeas tibi scribere dignaremur. Quocirca disc. t. m. quatenus, si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reuerenter, quum sit consultius in huiusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.

TITVLVS VII.

De clericis pugnantibus in duello.

Potestati, & Populo Florentino.

Capvt I.

REM audiuimus hactenùs inauditam, & tam [a] iuri scripto, quàm æquitati contrariam; quòd videlicet [b] Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Floren. cogere nitimini ad duellum, pro causa, quam super cœmeterio, & rebus alijs habet cum filijs Longobardi, ciuibus Florentinis. Cum igitur tam manifestam eiusdem Ecclesiæ, ac ipsius iuris iniuriam nec possimus, nec debeamus sub dissimulatione transire, Vniuersitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus à re tam insolita, támque detestabili penitùs desistentes, causam ipsam, marte suo, videlicet ordine iudiciario procedere faciatis: scientes nos venerabili f. n. Pistoriensi Episcopo, & dilecto filio Archipresbytero Florent. per nostras dedisse litteras in mandatis, vt si secus præsumpseritis attentare, ipsi præsumptionem vestram per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ compescant, irritum nuntiantes, si quid occasione huiusmodi factum, vel statutum inuenerint contra Ecclesiam memoratam. Non ponitur.

[a] Ivri scripto.] Ius scriptum intellige in *can. monomachiam, 2. q. 5. cap. 1. de corp. vitiat.* & *cap. 1. hoc tit. apud Gregor.* quod veterem abusum sustulit, eò vsque protractum, vt in rebus definiendis vulgò adhiberetur duelli certamen, vt notum est ex Adreualdo Floriacensi *lib. 1. de mirac. S. Benedicti, cap. 25.* & ex Anonymo qui ingens certamen inter quemdam Ayricum & Robertum commemorat, qui Robertus gratiâ D. Benedicti cuius famulus erat, victor euasit. Quod diutius locum habuit, nam & passim clerici cogebantur ad duella, de quo conqueritur Matthæus Paris in *Henrico III.* & quod maximè notandum in collationibus præbendarum & beneficiorum examen fiebat per duellum, vt patet ex *cap. 2. hoc tit.* in 2. *Collect.*

[b] Ecclesiam SS. Apostolorvm.] A Carolo Magno erectam, vbi adhuc illius vultus ad viuum expressus conspicitur.

TITVLVS VIII.

De Adulterijs, & ſtupro.

[a] *Maiori, & [b] Burgenſibus de Rupella.*

CAPVT I.

EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd in terra veſtra ſeruatæ ſunt hactenùs duæ conſuetudines abuſiuæ; vna ſiquidem hæc eſt; quòd ſi fortè indigena, vel extraneus prodigalitatis vitio, vel incuriâ, ſeu quocumque caſu alio diſſipauerit, vel amiſerit omnia bona ſua, bona vxoris ſuæ quantumcumque laudabilis & honeſtæ vitæ, tam mobilia quàm immobilia pro ſuæ voluntatis arbitrio alienat: quare fit interdum vt viro defuncto vxor remaneat indotata, & ſuperſtites filij extremæ ſubiaceant incommodis paupertatis. Alia quoque conſuetudo eſt non impariter reprobanda; ſcilicet, quod ſi vir ducat vxorem, quæ fide coniugij violatâ committat adulterium manifeſtè, nihilominùs medietatem omnium bonorum quæ fuerit vir adeptus, impudenter exigit & improbè apprehendit, quæ potiùs priuanda eſſet omnibus viri bonis. Quare ſuper his prouideri vobis per ſedem Apoſtolicam ſuppliciter poſtulaſtis. Nos itaque ſaluti, & vtilitati veſtræ prouidè conſulere cupientes, tenore præſentium declaramus, vos non teneri ad huiuſmodi conſuetudines tamquam iuri contrarias obſeruandas.

HOC cap. exſtat in *Titul. de Conſuetud. apud Gregor.*

[a] MAIORI.] Iam ſatis annotatum eſt qui dicantur *Maiores*, ad *Titul. de maior. & obed.* Hîc pro primario Magiſtratu, cui obſecũdant Cõſules, Iurati, & Scabini: Innocentius III. in *Epiſt. 63. libr. 14. Maiori, Iuratis, Scabinis & vniuerſitati Communiæ Laudunenſis.* Anonymus Floriacenſis *lib. 4. cap. 4. Conuocato Gauterio eiuſdem loci Maiore.* Ita etiam Iuriſdictiones dicuntur, *Maioriæ*, non tantùm vrbium, ſed & villarum apud Hincmarum: *Villarum regiarum Maiores.* in *legibus Vuiſigothorum lib. 9. tit. 1.* & in *Conſuetudinibus Floriacenſis Monaſterij: In die Circumciſionis debemus habere generalẽ refectionem à Cellerario de reditu Maioriarum.* Maior autem locum Comitis tenebat, cui aſſidebant Scabini in iudicio: in *Traditionibus Fuldenſibus; Comite & Scabinis iudicantibus.* Gloſſæ *Auditores Comitum* vocant. Ita & de Conſulibus Genuenſibus qui iudices ſunt, refertur in *cap. per veſtras. de donat. int. vir.*

[b] BVRGENSIBVS.] Hic Burgenſes ſunt nobiliores ciuitatis, qui militum priuilegio gaudent *cap. 1. lib. 1. Conſtit. Sicular. A præſenti ſanctionis Edicto eximimus Milites, & filios Militum, & Burgenſes.* Diſtinguũtur à ruſticis in *eiſdem Conſtitution. lib. 2. cap. vnico. Pro Milite ſimplici triginta, pro Burgenſi duodecim, pro Ruſtico ſex Auguſtales conſequetur:* licèt propriè hoc nomine Ruſtici intelligantur, vt iam docuit C. V. Boſquetus ad *Epiſt. 1. lib. 13.* Innocentij III. & in legibus Angliæ Burgenſes à Baronibus, Comitibus, & alijs nobilibus diſtinguuntur. Ab Iuone vocantur, *Pagani Epiſt. 112.* & 14. In hoc autem cap. quæri poteſt, cur Honorius de

conſuetudinibus

consuetudinibus ciuitatum definiat, quæ non sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt ciuitas Rupella. Hoc factum opinor, quia consultus fuerat Honorius à ciuibus Rupellæ, qui dubitabant, an liceret eis habere consuetudines cõtra ius scriptum, & commune, ex lege Iulia in *l. 4. ff. de fundo dotali*: nulla enim consuetudo potest facere, vt mulier dotem amittat, imò nec pactum vllum, vt superstes mulier dote priuetur, etiam fauore liberorum, *l. Attilicimus*, & *l. si liberis. 27. de pactis dotal.* nec aliter debet intelligi *cap. vltim. apud Gregor.* in quo dicitur dotem ad vxorem, & donationem propter nuptias ad maritum redire, nisi aliud sit de consuetudine; quod nunquam erit verum quamdiu superstes erit mulier; sed tunc marito inopi succurrendum erit ex fructibus dotis, *cap. penult. eod.* Existimabant autem Rupellani, in perniciem animarum suarum hoc fieri, quod indicat Pontifex his verbis, *saluti & vtilitati vestræ proinde consulere cupientes*, ratione scilicet peccati, *cap. nouit. de iudic.* Ita plures alij loci sunt in hoc iure interpretandi; nam aliquando consulebantur summi Pontifices, vt Innocentius III. summus Iurisconsultus, patet ex *cap. nuper. de donat. int. vir.* similiter etiam iudicarunt summi Pontifices & Iudices Ecclesiastici de dotibus & similibus quæ sunt fori temporalis incidenter, scilicet quoties principalis causa est de matrimonio, vel alia quæstione, quæ ad Ecclesiasticum forum pertinet, vt nominatim definit Clemens III. in *cap. de prudentia. eod.* & optimè concludit Glossa. Idem in quæstione adulterij propter separationem, scandalum, & Dei honorem, *cap. 4. hoc tit. in 1. collect.* Addi potest Rupellanos hoc Rõ. Põt. dubiũ proposuisse quod tũc parerent regi Angliæ, feudatario Ecclesiæ Romanæ, quamuis Anglia sola illius censualis esset, & fidelitatem præstaret, non Aquitania, in qua est Rupella.



TITVLVS IX.

De Sortilegijs.

a *Capitulo Lucanensi.*

CAPVT I.

Ecclesiâ vestrâ nuper Episcopo destitutâ sicut comperimus, conuenientes in vnum vt de futuri tractaretis electione Pontificis, circa modum electionis diuersos incipientes habere tractatus, vnum tandem elegistis ex vobis per sortem, qui tres elegit autoritate vestrâ, per quos vice omnium Lucanensi prouideretur Ecclesiæ de pastore, quorum duo tertium magistrũ Ricardum S. elegerunt, quod expressè licebat eisdem secundum traditam à vobis omnibus potestatem. Procuratoribus igitur vestris super his in nostra præsentia constitutis, nos tali examinato processu, licèt notâ non careat, quinimò multâ reprehensione sit dignum quòd sors in talibus interuenit; propter prærogatiuam tamen morum, & litteras magistri R. Concanonici vestri, in quem vota vestra Ecclesiæ vestræ præficiẽdum Episcopum concurrerunt, & [b] affectionẽ, quam ad eamdẽ habemus Ecclesiã, electionẽ celebratã de ipso ad gratiã cõfirmationis admittim⁹, sortis vsũ in talib⁹ perpetuâ prohibitione dãnãtes.

d d

[a] CAPITVLO LVCANENSI.] vel, Lucensi. Respublica est in Italia, *Lucca*. Episcopus eius immediatè subest sedi Apostolicæ in spiritualibus.

[b] AFFECTIONEM QVAM AD VESTRAM HABEMVS ECCLESIAM.] Hanc affectionem quoque his annis elapsis (nempe anno 1639.) sanctissimus noster Vrbanus VIII. testatus est, dum ciuitatem interdicto supposuit, in causa quam habebat contra Episcopum suum, Cardinalem Franciotum Lucensem.

Quæ pertinent ad hoc caput plenè tetigi in *Paratitlo*; hoc tantùm hîc addo, Honorium Lucanensem Episcopum electum comprobasse, quia per sortem non fuerat electus, sed tantùm sorte electus vnus ex Capitulo, cui facultas data fuerat tres electores sumere, qui vice Capituli Pastorem eligerent: quod ita factum fuit, & vnus ex tribus illis Richardus electus fuit ab alijs duobus, in quem totum Capitulum consensit; quàm tamen formam in posterum damnat Honorius, ne aliquo modo sors adhibeatur.



TITVLVS X.

De excessibus Prælatorum in subditos.

[a] *P. titulo sanctæ Pudentianæ Presbyt. Cardinali, & Vicario nostro.*

CAPVT I.

DIlectus filius Ioannes [b] sancti Thomæ de Partitione presbyter exposuit coram nobis, quòd [c] Rectores fraternitatis Vrbis, ipsum ad reuelandum fures, & id quod super quodam furto sibi tamquam sacerdoti fuerat reuelatum, vel ad satisfaciendum exinde damnum passo arctare nitentes, in eum (nisi alterum præmissorum infra octo dies efficeret) tulerunt sententiam interdicti. Quia igitur perniciosum esset prædictum presbyterum sibi taliter credita reuelare, ac iterum iniquum cogi ad id quod non rapuit exsoluendum; disc. tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos rectores coram te conueniens, iniungas eisdem vt à memorati Presbyteri super hoc grauamine penitus conquiescant.

[a] P. TITVLO S. PVDENTIANAE PRESBYT. CARDIN.] Petro Saxoni Anagnino, creato Cardinali ab Innocentio III. anno 1206. & Vicario generali Vrbis ab Honorio nostro, & posteà Legato in Germania. Vide Cæsarium *lib. 6. cap.* 28. Titulus S. Pudentianæ, aliàs Pastoris, aliàs S. Pudentis, est 18. Titulus 28. antiquorum Titulorum Vrbis.

[b] S. THOMAE DE PARTITIONE.] Lege *de Parione*. Inter quatuordecim Vrbis Regiones, sexta est Regio Parionis, in qua est templum D. Thomæ.

[c] RECTORES FRATERNITATIS.] Abbas Siculus eos esse ait, qui habent iurisdictionem sibi specialiter delegatam supra clerum.

Præposito R. & I. Archidiacono Suession.

Caput II.

Dilecta in Christo filia [a] Abbatissa Iotren. nobis insinuare curauit, quòd cùm presbyteri, & clerici Iotrensis Ecclesiæ Melden. diœcesis non consueuerint proprium [b] habere sigillum, nec sint vnum corpus, ità quòd Capitulum appelletur; nihilominus tamen contra voluntatem ipsius Abbatissæ, quæ ipsorum [c] caput est, & patrona, sigillum habere contendunt in eius præiudicium & grauamen, quare id eis à nobis petijt inhiberi. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discret. vestræ mandamus, quatenus inquisitâ super his diligentiùs veritate, si vobis constiterit rem taliter se habere, dictis presbyteris & clericis autoritate nostrâ inhibeatis expressè, ne præsumant, vel de nouo fabricare sigillum, vel vti eo si fortè nouiter fabricarunt; ipsos si contra prohibitionem nostram venire præsumpserint, à præsumptione huiusmodi per censuras Ecclesiasticas appellatione postpositâ compescentes.

[a] Abbatissa Iotrensis.] *De Ioüarre*, vel, de *Ioüars*, Meldensis diœcesis, ordinis S. Benedicti.

[b] Habere sigillum.] Triplex ratio hìc adducitur, cur Iotrensis Monasterij Presbyteri sigillũ habere non debeant: Prima, quòd ex consuetudine non habuerint; altera, quòd non faciant Collegium, seu Capitulum; tertia, quòd subditi sint jurisdictioni Abbatissæ, quæ est caput & Patrona ipsorum. Ex quo deprehenditur quanti momenti sit sigilli vsus, quod est argumentum jurisdictionis, quæ per liberos, literas, & Diplomata exercetur; *cap. significauit. de appellat.* Talia Edicta sæpiùs vocantur *Sigillia*, quod sint sigillo munita apud Constantinum Porphyrogen. & in *Constitutione* Isaaci Comneni *καθὼς καὶ ἐν τοῖς σιγιλλίοις τῶν παλαιῶν πρακτικῶν ἀναγράφονται*. Hæc sigilli facultas nascitur tum ex iure communi, tum ex consuetudine, vt Abbatibus apud Innocentium III. *Epist. 173. lib. 1. Statuimus vt Abbas S. Dionysij sigillum proprium habeat, sicut est de consuetudine obseruatum.* Et Abbatissis, vt in *hoc cap.* & in *Historia* Fontis Ebraldi *lib. 3. cap. 28.* vbi Autor ait se inuenisse in *Registro T. pagina 193.* excommunicationem quandam sigillatam fuisse sigillo huius Abbatissæ, quod ipsa commodauerat. Et Capitulis, *dicto cap. significauit.* Et Dignitatibus, vt Cancellariæ, cuius inuestitura fit per traditionem sigilli apud eumdem Innocentium *Epist. 373. lib. 1. Tu ei solenniter, & publicè tradidisti sigillum, mandans ei vt Cancellarij officium exerceret.* De Patronis idem cēsendum qui jurisdictionem habent, vt hìc dicitur. Hoc autem sigillum, propter fraudes quæ committi possunt, cautè custodiendum est, Innocentius III. *Epist. 309. eiusdem lib. 1. vt duo Fratres bonæ vitæ, & maturæ ætatis sigillum Capituli custodiant.* Quod & in aula Imperatorum accuratè fiebat, vt constat ex Phrantza *lib. 2. cap. 10.* Porrò hoc sigillum cereum fuit *κηρόβουλλον*, apud omnes ferè cum Ecclesiasticę, tũ secularis potestatis viros: Sũmus Pontifex tamen in negotijs magni momenti habet Bullam plumbeam, *μολιβδοβοῦλλον*; Imperatores verò auream, vel argenteam, apud Zonaram, Nicetam, & Codinum; nunc verò ceream, habitâ tamen coloris distinctione; nam Reges nostri in his quæ spectant ad supremam autoritatem cinnabarim, seu *μίλτον* adhibent; in Patrimonialibus, vel alijs prasinum colorem. Eodem quoque colore vtebatur Alexius Sebastocrator tutor Comneni, apud Nicetam: reliqui omnes vulgò fuscum. Quare præcipuo altioris dignitatis argumento Cancellaria nostræ

Ecclesiæ & Academiæ Tolosanæ, sigillum suum cinnabaricum & coccineum colorem refert, eò quòd Apostolicâ & Regiâ autoritate fundata sit, & Doctores hoc titulo fiant.

c CAPVT EST ET PATRONA.] Querela hæc Abbatissæ Iotrensis præcessit annum 1225. in quo Romanus Cardinalis Diaconus (de quo supra) delegatus ab Honorio nostro possessionem ei adiudicauit omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ, & forensis in omni districtu suo post longam contentionem (quæ caput hoc respicit) & post lecta antiqua priuilegia dicti Monasterij, vt nominatim in sententia ipsius Cardinalis dicitur, & refert *dicta Historia Fontis-Ebraldi lib. 3. cap. 28. sect. 2.*

TITVLVS XI.

De noui operis nuntiatione.

Decano, Præposito maioris Ecclesiæ, & Magistro Michaëli Canonico S. Nicolai Ambian.

CAPVT I.



Significantibus a Canonicis sanctæ Oportunæ Parisien. nobis innotuit, quòd cùm super eo quòd Nicolaus Rufus ciuis Parisien. in quadam platea Ecclesiæ suæ, infra claustrum ipsorum sita, eis prohibentibus in suum ædificabat præiudicium & grauamen, deposuerint b coram Officiali Parisiensi & Archidiacono questionem, eis offerentibus in continenti probare præiudicium: & plateam ad suam Ecclesiam pertinere, ac petentibus insuper, non obstante quòd dictus N. cautionem de demoliendo opere offerebat, ædificium prohiberi. Et quia idem Officialis interloquendo decreuerit probationes eorum admittendas esse, ac ab opere interim quiescendum, idem N. ad Senon. curiam prouocauit: sed cùm Senon. Officialis Nicolai prædicti cognatus eâdem interlocutoriâ pro suæ dumtaxat voluntatis arbitrio reuocatâ decreuerit ad opus sub cautione de demoliendo ipso, non admissis eorum probationibus, procedendum, prædicti Canonici nostram audientiam appellarunt: vnde petebant vt ipsorum probationes recipi, ac prohiberi ædificiũ mandaremus. Ideóque disc. v. per Apost. scripta mandamus, quatenus si est ita, reuocato in statum debitum quidquid post appellationem huiusmodi temerè inueneritis attentatum super hoc, quod iustum fuerit, appellatione postpositâ statuatis. Facientes &c.

a CANONICIS S. OPORTVNAE.] Est Ecclesia Collegiata in vico S. Honorati Parisiensis.

b CORAM OFFICIALI PARISIENSIS ARCHIDIACONI.] Archidiaconus iure communi non habet Officiales, nisi ex consuetudine, vt hic


de Archidiacono Parisiensi dicitur, qui habet suum Officialem, vt Glossa colligit, & confirmat Cuiacius, qui inde quæstionem elicit, cur ab Archidiaconi Parisiensis Officiali appellatio ad Archiepiscopum Senonensem, non ad Episcopum Parisiensem deuoluatur? sicut de Archidiacono Remensi dicitur in *cap. 7. de Præbend.* cùm tamen iuris ordo deposcat, vt priùs Episcopus appelletur, quam Archiepiscopus. Ita verò hunc nodum soluit, quòd Archidiaconus vtpotè Officialis & Vicarius Episcopi iure communi eandem personam cum Episcopo sustineat, aliter ab eodem ad eundem appellaretur, quod fieri non debet. Cuius tamen sententiæ obstat *cap. Romana. de appellat. in 6.* quo, omissô medio, qui est Episcopus, non potest appellari Archiepiscopus. Hoc tantum illi facessit negotium vt aliter se expedire nequeat, nisi iure nouo vetus correctum fuisse dicat, vel Innocentium IV. autorem *dicti cap.* imperitiæ arguat. Vera responsio est, iure communi ab Officiali Archidiaconi ad Episcopum appellationem deuolui, non ad Archiepiscopum; nisi aliud suadeat consuetudo, vel priuilegium; vt nominatim de Archidiacono Remensi dicitur in *dicto cap. Romana*, & de Parisiensi hoc loco censendum est: vel si alia arrideat solutio, conijcere licet ex textu *huius cap.* iuxta Codices MSS. per Officialem Parisiensem, intelligi ipsum Archidiaconum, vt hęc verba demonstrare videntur, *coram Officiali Parisiensi, & Archidiacono.*

TITVLVS XII.

De Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum.

Archiepiscopis, & Episcopis in quorum diœcesibus Monasteria, & Prioratus [a] Duniacensi monasterio subiecta consistunt.

CAPVT I.



QVantò ampliùs. *& infrà.* Sanè dilecti filij Abbas, & conuentus Duniacensis grauem nobis querimoniam obtulerunt, quòd quidam vestrûm, & vestrorum Officiales cùm in eos, & sui Ordinis monachos non possint excommunicationis & interdicti proferre sententias, eò quòd super hoc Apostolicę sedis priuilegijs sint muniti, in eos qui molunt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum, quíque vendendo, seu emendo, aut aliàs eis communicant, sententias proferunt memoratas, & sic Apostolicorum priuilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba seruantes, dicti Ordinis monachos quodammodò excommunicant, dum eis alijs communicare non sinunt. Ex quo illud etiã euenit inconueniens, vt ipsi monachi, quantùm ad hoc, iudicentur iudicio Iudæorum, & qui eis communicant in prædictis, maiorem excommunicationem incurrant, quam etiam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hæc crebris ad nos clamoribus iam perlata, vlterius sub dissimulatione transire, vobis vniuersis & singulis mandamus, quatenus huiusmodi sententias in fraudẽ

priuilegiorum nostrorum de cetero non feratis; quia si super hoc ad nos denuò clamor ascenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum seueritate debitâ castigemus.

a DVNIACENSI MONASTERIO.] In alio MS. *Diuiacensi*, sed malè: rectè vulgata Editio *Cluniacensi*: Abbatiæ hæ sunt quindecim, Prioratus verò 71. Moniales hîc non comprehenduntur.

Honorius Cluniacensium Priuilegia valdè auxit contra Episcopos, vnde contentiones longæ emerserunt. Idem confirmauit Innocent. IV. Cisterciensibus, in Concilio Lugdunensi, & septem indulgentias concessit. Prima, circa statutorum confirmationem: secunda, ne à Prælatis ad Ordines examinentur. Tertia, circa noualia. Quarta, contra exactiones secularium. Quinta, ne excommunicari possint ab Episcopis. Sexta, ne hi qui moliūt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum excommunicentur. Septima, de libertatibus & immunitatibus concessis ab Honorio III. de quibus plura in Compilatione MS. Decretalium eiusdem Innocentij IV. & aliorum Pontificum illius æui, in Bibliotheca Collegij Fuxensis.

a *B. quondam Anglorum Reginæ illustri.*

CAPVT II.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli litterati quos nec habitus, nec tonsura clericos profitentur, [b] in terra tuæ iurisdictioni subiecta degentes, cùm deprehenduntur in aliquibus forisfactis, vt tuam iurisdictionem eludant, & debitam pro delictis vltionem euadant, assumunt, seu etiam resumunt tõsuram abiectam, seu habitum clericalem; licèt anteà pro laicis ab omnibus haberentur, & sic eorum delicta remanent impunita. Ne igitur tonsurâ, vel habitu sic resumpto malitia foueatur: si tuam iurisdictionem exerceas in huiusmodi delinquentes, cùm sine tonsura & habitu in delicto fuerint deprehensi ęquanimiter ducimus tolerandum; quum malitijs hominum indulgeri non debeat, sed potiùs obuiari.

a B. QVONDAM ANGL. REG.] Quamuis in epigraphe huius cap. prima littera indicans nomen huius Reginæ in MSS. sit, H. in vulgatis, V. nihilominùs hæc est Berengaria vidua Richardi Anglorum Regis, de qua suprà in *cap. ex parte carissimæ. de offic. & pot. iud. deleg.* & in *cap. ex parte* 1. *de cler. coniug.* Caput enim istud *de Priuilegijs* est consimilis argumenti cum *dicto cap.* 1. *de cler. coniug.* vtrumque enim agit de clericis qui viuunt vt laici, & clericalem habitum sumunt in maleficijs in fraudem dominorum. Vide ergo quæ diximus ad *dictum cap. ex parte, de cler. coniug.*

b IN TERRA TVAE.] In Cenonanensi ciuitate, dotalitia dictæ Berengariæ, vt diximus in *dicto cap. ex parte. de cler. coniug.*

Caput III.

Super specula. & *infrà*. Sanè licèt sancta Ecclesia legum secularium non respuat famulatum, quæ satîs æquitatis & iustitiæ vestigia imitantur: [a] quia tamen in Francia, & nonnullis prouincijs, laïci Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, & occurrunt rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri, vt plenius Sacræ paginæ insistatur, & discipuli Elisæi liberiùs iuxta fluenta plenissima resideant, vt columbæ dum in ianuis scalas non inuenerint ad quas diuaricare valeant pedes suos, [b] firmiter interdicimus ne Parisijs, & in ciuitatibus, seu alijs locis vicinis quisquam docere, vel audire ius ciuile præsumat: & qui contrà fecerit, non solùm à causarum patrocinijs interim excludatur; verùm etiam per Episcopum loci appellatione postpositâ excommunicationis vinculo innodetur.

In MSS. Codicibus nulla est epigraphe, sed in Notis ad vulgatam editionem hæc ponitur: *Capitulo Parisiensi, & ceteris Prælatis Parisijs constitutis*, & dicitur hanc Decretalem datam fuisse Romæ, Pontificatus Honorij anno 4.

[a] Quia tamen in Francia.] Legum Romanarum in Francia vsum non esse docet Honorius, quod quomodo factum breuiter ostẽdemus. Certum est primis temporibus leges Romanas magno in pretio fuisse in tota Gallia, maximè sub imperio Gothorũ; tunc enim & veterum Iuriscon sultorum responsa seruabantur, & Anianus Codicem Theodosianum sub autoritate Alarici Regis ex alijs Codicibus, Theodosiano nempe, Gregoriano & Hermogeniano in vulgus edidit, & Notas in Iulij Pauli sententias: Papianus item sua responsa protulit; atque etiam Collatio legum Romanarum cum Mosaïca in publicum data. Ideò Agathias *lib. 1. de reb. Iustiniani*, Francos Romanas leges in contractibus, & matrimonijs seruare testatur. Et licèt post fusum Alaricum à Clodouæo leges Salicæ prodierint, non tamen leges Romanæ euanuerunt, imò religiosiùs cultæ fuerunt: nam & ipsę leges Salicæ (quas quidam Theodorico Francorum regi tribuunt) ex iure Romano in multis conflatæ erant, & cùm essent valde steriles, diuersis negotijs & causis emergentibus vix opem ferebant, ideò ad leges Romanas recurrebatur. Hac de casa Nouellam Theodosij iunioris *de præscript. 30. annorum* in Gallia proquiritatam fuisse à Nicetio scribit Sidonius *epist. 6. lib. 8*. Vulgatũ enim est, liberum fuisse Francis leges patrias, siue Salicas sequi, vel Romanas, vt patet ex *Formulis Marculphi* præcipuè 78. in qua agitur de lege Romana, quâ recusantes pupillorum tutelam à successione priuantur, *Lex* inquit, *Romana constringit*. Formula 98. laudatur lex Constantini de manumissis in Ecclesia. Formula 138. seruatur lex de infantibus exposit. *Ex corporis*, inquit, *Theodosiani libro*. Id etiam probatur ex Capitularib⁹ Caroli Calui apud Pistas, *cap. 34. Saluâ constitutione legis Romanæ in eis qui secundùm illam viuunt*. Idem ostenditur ex legibus aliarum gentium, Burgundionum, Saxonum, Ripuariorum, Frisionum. Probatur legum Romanarum vulgò in rebus dubijs autoritatem quęsitam fuisse, ex Concilio Turonensi II. *can. 20.* sub Chariberto rege: *Quia etiam lex Romana constituit, vt quicumque Deo sacratam virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de conunctione conuenerit, capitis sententiâ feriantur*, quod est in *l. 1. C. Theodos. de raptu virgin.* & *l. 2. C. eod.* Ex synodali Concilio apud Trecas à Ioanne Papa congregato, vbi Sineboldus Narbonensis Episcopus detulit librũ Gothicæ legis, cùm quæstio esset de sacrilegijs, qui post addit: *Inuenimus ibi à Iustiniano legem compositionis sacrilegij constitutam in quinque libras auri optimi* apud Iuonem *parte 3. cap. 98.* Idem Iuo *Epist. 111.* Theodosianas leges citat

in causa donationis duobus factæ & *Epist.* 99. libros Pandectarum, *Epist.* 134. leges Iustiniani Imperatoris, qui quidem Iuo centum annis tantùm agebat ante nostrum Honorium. Quę causa igitur fuerit cur leges & constitutiones Imperatorum apud Francos exoleuisse dicat; non alia est, quàm quæ sumitur ex decreto Caroli M. qui responsa prudentum & constitutiones Impp. respuit, quòd eloquio pollerent, & difficultatibus ingenia torquerent, ideóque in iudicijs adhiberi noluit, sed tantùm in scholis ad exercendam iuuentutem *cap.* 269. *lib.* 6. *Capit.* Idem postea Lotharius Caroli M. nepos constituit *cap.* 37. *lib.* 3. *leg. Longobard.* tum etiam Ludouicus in Synodo Villæ Theodonis, statuens ne ampliùs Capitula illa hoc nomine, sed leges vocarentur: nimirum hæc fuit mens omnium, qui regna vel imperia tenuerunt, abolere leges priscas, vel alienas, vt proprijs legibus famam suam, & nomen commendarent: hoc fecit Theodosius, & post eum Iustinianus, ac demum Leo Sapiens, editis Basilicorū libris, quæ omnia fusiùs, penitiúsque excussimus *in Obseruat.* vbi quid de legis Romanæ in Gallia nostra cultu senserim, & historiæ seriem perstringo, quo in negotio multi viri docti insudarūt, nec tamen omnino scopum attigerunt.

b DOCERE, VEL AVDIRE IVS CIVILE.] Quamuis vt iam dixi in *Obseruat.* Reges nostri legum Romanarum vsum in foro reiecerint, non tamen Doctrinam, ità vt ius ciuile in Academijs interpretatum fuerit, ab eo demum tēpore, quo Lotharij Saxonis iussu (vt fertur) Irnerius à situ & puluere erutum in Italia legi, fauente præsertim Innocentio II. Papa, cœpit; quamuis & anteà non omnino incognitum docuerim in *Obseruationibus.* Cuius exemplo deinde Placentinus, Accursius, & alij Doctores Tolosæ, in Montepessulano, atque alij Lutetiæ summo cum applausu & cōcursu scholariū interpretari cœperunt, quod primùm Ludouico Grosso, atque eius nepoti Philippo Augusto tribuendum esse docet Rigordus in *eorum vita.* Et tunc demum florere cœperunt Academiæ, ita vt ipsi Reges, & eorum successores Parisiensem summis priuilegijs ditarint. Sed Iuris Ciuilis docendi facultas hâc constitutione Honorij prohibita S. Ludouici æuo, vel paulò antè, & Gregorij IX. Decreto omnino adempta fuit, solis Iuris Canonici, Theologiæ, Medicinæ, atque Philosophiæ facultatibus relictis, vt docent *Constitutiones* ipsius Gregorij, & aliorum Pontificum à quibus statuta & leges Academiæ cum priuilegijs, & immunitatibus edita, & tunc Professoribus suis stipendia decreta fuere.

c INTERDICIMVS.] Summus Pontifex iuris ciuilis facultatem prohibuit; quia Academiæ magis sunt Ecclesiasticæ, quàm seculares, vt scribit Glossa Pragmaticæ Sanct. *tit. de Collat.* & autoritate Ecclesiæ institutæ fuerunt (vt de Parisiensi latè probat Ant. Loisellus in *Tract. de Acad. Paris.*) atque omnis erudiendæ iuuentutis cura ad Ecclesiam pertineat, & olim sēper ad eam spectarit: ita vt in Ecclesijs, Cathedralibus præsertim, scholæ haberentur, nec Doctores & Magistri alij præficerentur, quàm quos Episcopus & Capitulū elegissent, vt docet Innocentius III. in *cap. penult. de magistr.* Quæ facultas deinde Monachis concessa fuit, vt latè egimus ad *dictum tit. apud Gregor.* Iuris autem ciuilis scientiam non valdè necessariam indicat Honorius, quòd omnes causas quæ in controuersiam venire possunt sacrorum Canonum autoritate sopiri posse dicat: sed ratio verior est quòd responsa Iurisconsultorum valdè sint obscura, & ingenia admodum torqueant; quod mouit Alaricum ad editionem Cod. Theodos. vt Anianus notat in suo Commonitorio; vel potiùs quòd in eis multa sint ab Ecclesiæ institutis aliena; ità vt nullæ leges videantur probandæ, quæ non ab Ecclesia receptæ fuerint, & satius sit leges Christi, quàm Gentilium sequi; ideóque Canones vocantur leges Christianæ, *Epist.* 129. & 130.

Hoc Reges nostri olim seruarunt, & leges suas in synodis promulgari & confirmari procurarunt, vt probatur ex Iuone *Epist.* 195. qui Capitula regum autoritate Episcoporum cōstituta refert. Idem ostenditur ex Synodo Meldensi, *can.* 78. *lib.* 3. *leg. Longobard. cap.* 48. Vuisigothorum *lib.* 12. *cap. vlt.* & ex *Capitularib.* Caroli Calui: quæ omnia in varijs Synodis prouincialibus approbata fuerunt, sicut leges Gothorum in Concilijs Toletanis. Et hæc est forsitan ratio, cur in nostra Academia Tolosana olim Iuris Ciuilis Professoribus stipendia non fuerant assignata, sicut omnibus alijs, vt constat ex transactione inter Ludouicum regem, & Comitem Raimundum.

Fredericus Imperator.

CAPVT IV.

HAC edictali. & *infrà.* Agricultores,& circa rem rusticam occupati,dum villis insident,dum agros colunt securi sint quacumque parte terrarum; ita vt nullus inueniatur tam audax vt ...... boues, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad opera rusticana pertineat, inuadere, capere, aut violenter auferre præsumat: si quis autem statutum huiusmodi ausu temerario violare præsumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiæ notam ipso iure incurrat, imperiali animaduersione nihilominus puniatur.

NIhil hic addendum huic Constitutioni Friderici, de qua fusè *tit. Cod. quæ res pignori oblig. poss.* vbi Cuiacius.

Episcopo Baiocensi.

CAPVT[a] V.

QVia intentionis nostræ non exstitit, vt per innouationem quam fecimus cuiusdam scripti, monasterij sancti Stephani Cadom. quod in registro bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri reperimus contineri, derogaretur iuri Ecclesiæ Baiocensis; cùm innouatio nec ius nouum conferat, nec etiam tollat vetus, totum in eo statu esse volumus in quo tempore innouationis impetratæ dignoscitur exstitisse. Ceterùm per hoc nullum intendimus iuri aliàs eidem monasterio competenti præiudicium generari.

a EPISCOPO BAIOCENSI.] Roberto de Ablagel.

b S. STEPHANI CADOMENSIS.] Malè in vulgatis *Caldonensis*, Monasterium est ordinis S. Benedicti in diœcesi Baiocensi, *Caen*, fundatum anno 1086. Vide Matth. Paris ad hunc annum.

Vide *cap. licèt. suprà. de fide instrum.* vbi tractatur similis causa de Ecclesijs S. Ioannis & S. Stephani Bisuntinensibus.

Renouatio de qua hîc, non mutat naturam priuilegij, sed confirmat; nam alia est quæ mutat contractum, & fieri debet expressis verbis, cum partium consensu, *l. pacta. de contrah. empt.* Et hoc propriè dicitur repeti, retroagi, & reformari potiùs quam renouari, id est in meliorem formam redigi, dummodò substantia non violetur, vt optimè distinguit Cuiacius ad *l. Iuris gentium. §. adeò. de pactis*; ita vt renouare idem sit, quod restaurare, iterare, vel, vt loquitur Honorius in *cap. vlt. de fide instrum.* exemplare, quoties exemplũ desumitur ex authentico instrumento, quod *Authénticum volumen* vocat Claud. Mamercus, *lib. 2. de statu animæ, cap. 13.* & Hincmarus *authenticam scripturam.*

Episcopo Parisiensi.

CAPVT VI.

IN his quæ ad cultum diuinum facere dignoscuntur non maligna, sed benigna potiùs esset interpretatio facienda; vnde mirari compellimur quòd cùm fratribus Minoribus duxerimus indulgendum, vt vbicumque fuerint sinè parochialis iuris præiudicio, cum altari valeant viatico celebrare; quidam sicut nuper fuit propositum coram nobis, nimis strictè interpretando indulgentiã nostram, nituntur asserere, quòd per eam prædicti fratres præter Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum assensum facere hoc non possint, propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam Apostolicam non permittũt. Cùm autem si res taliter se haberet, nihil eis conferret indulgentia memorata, sinè qua id Episcopis, & alijs Prælatis annuẽtibus liceret eisdem: fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobatâ, dum tamen ab alijs quæ iure parochiali proueniunt se prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi autoritate nostrâ non differas publicare, ità quòd dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.

VVlgati non habent epigraphen. MSS. ponunt Episcopo Parisiensi. Hoc caput tractatum fuit *suprà* in *cap. 6. de celebrat. missar.*

TITVLVS XIII.

De purgatione canonica.

[a] *Abbati sancti Alberti*, [b] *Archidiacono de Annona*, & *Præposito Camerac.*

CAPVT I.


Rauem & dolore non vacuam, ac toti clero contumeliarum aculeis circumfertam recepimus questionem; quòd quum venerabilis frater noster [c] Ambianẽsis Episcopus quoddam beneficiũ [d] vacans, quod altare dicitur de Villesco, cuidam idoneo prout ad se spectare credebat, absente tamen Ambianensi Archidiacono contulisset: idem Archidiaconus stipatus cateruâ Manasseri fratris sui, & quorumdam alio-

tum, accedens ad Episcopum memoratum, & proponens, quòd ei iniuriatus fuerat super hoc, institit apud eum vt sine causæ cognitione à beneficio ipso prorsus amoueretur, ab Episcopo institutus. *& infrà.* Discretioni vestræ mandamus, quatenus, si vobis constiterit Archidiaconum sæpedictum semel, & secundò contra fidem homagij præstiti, ac debitam reuerentiam Episcopum suum esse dominum denegasse, vel in foro seculari super rebus spiritualibus deposuisse contra Episcopum, attendendo quod sibi responderet ibidem, aut inuasioni Episcopi & sociorum eius, quam M. frater eius cum complicibus suis fecit, causam, vel consilium præbuisse, ipsum tamquam membrum putridum, ne suâ contaminet alios corruptelâ, ab Ambianensi Ecclesia perpetuò abscindatis & remoueatis omninò; facientes beneficia quæ idem detinet personis idoneis, per illos ad quos donatio eorum pertinet, assignari; alioquin quia publicâ famâ laborat, & manifestæ præsumptiones apparent, purgationem ei super præmissis canonicam cum manu decimâ eiusdem dignitatis & ordinis eiusdem prouinciæ indicatis: quòd si fortè in tali purgatione defecerit infrà tempus præfigendum à nobis, ipsum cuiuslibet contradict. & appellationis inpedimento sublatis ab officio, beneficióque priuetis, facientes nihilominus, sicut superius est expressum, beneficia quę idem Archidiaconus detinet personis idoneis assignari.

a ABBATI S. ALBERTI.] Lege, *S. Auberti*, vt in vulgatis. Abbatia S. Auberti ordinis S. Augustini est in vrbe Cameracensi, de qua Guillelm. Gazæus in *Historia Ecclesiast. Belgica.*

b ARCHIDIACONO DE HANNONIA.] Sic legendum, *du pays d'Haynaut.*

c AMBIANENSIS EPISCOPVS.] Geraldus, vel Euurardus 43. Episcopus, aut eius successor Gaufridus de Ango, *d'Eu.*

Hoc caput a Raimundo refertur *tit. de excess. Prælat.* Sed truncum, non integrum, vt hic est: reducendum fuerat ad *Titul. de purg. Canon.* Quod autem hic dicitur homagium denegari Ambianensi Episcopo ab Archidiacono, impropriè sumitur: nam homagium propriè pro seruitio accipiendum est, quod à vassallo præstari debet, in *libris Feudorum & Constitut. Siculis tit.* 36. vbi, *Homo*, sumitur pro Vassallo; hîc verò Homagium, pro Obedientia, qua quilibet clericus Episcopo subditur in *Can. quanquam. 23. dist.* vt optimè annotauit Glossa. Ab hac obedientia Archidiaconi sæpius se subtrahere, & Episcopi honores vsurpare conati sunt, vt patet ex Nicęna synodo: nec solùm obedientiam denegabant, sed etiam populum ab Episcopali reuerentia diuertebant, vt videre est in *Can. 5. Synodi Antioch.* & *Can. 77. Concilij Illiberitani.* De his ad *Titul. de offic. Archid.* diximus.

d VACANS, QVOD ALTARE.] Altare (de Villesco in MSS.) hîc pro Ecclesia, pro beneficio, vt in *can. quæsitum. 1. q. 1.* apud Iuonem *Epist.* 82. Goffridum *Epist. 12. lib. 3. Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgò Altaria nuncupantur.* Hæc & multò plura à Iureto *ad Epist. Iuonis*, & postmodùm à CL. V. Bosqueto *ad Epist. Innocentij III.* referuntur.

e CVM MANV DECIMA.] Qui iurabant dicebantur, *Coniuratores* in legibus Alamannorum *tit.* 6. aliàs *Sacramentales*, in legibus Frisionum *tit. 1. de homicid.* quo nomine vocati à Christianis, quòd in loco sacro ad sepulcra & reliquias Martyrum iurarent, in *formula* 29. Marculphi: *Iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti.* In rebus minimi momenti hoc iuramentum non seruabatur, sed fides asserentis indicium præstabat, vel etiam vestimentum, id est iurans tangebat oram vestis in legibus Frisionum, *tit. 3. cap. 5.* & *tit.* 12.

cap. vlt. In vestimento, vel pecunia iurari poterit, de minoribus furtis & noxis loquitur: vbi nota iuramentum in pecunia, quód fiebat prolato aliquo nummo in quo Crux, vel imago alicuius Sancti insculpta esset. Hæc autem purgatio fiebat pro qualitate personarum, ita vt nobilis non tantâ manu, æquè ac seruus, vel liber purgaret innocentiam suam: & hoc tam accuratè, vt seruus qui nobilem occidisset ad purgationem non admitteretur, sed dominus eius pro eo, *tit.* 1. *cap.* 15. leg. Frisionum; *Dominus iuret pro eo.*

TITVLVS XIV.

De purgatione vulgari.

CAPVT I.



Ilecti filij nouiter in Liuonia baptizati grauem ad nos querimoniam destinarunt, quòd fratres Templariorum Ordinem in Liuonia profitentes, & alij quidam aduocati & iudices, qui temporalem in eos potestatem exercent, si quando de aliquo crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt: quibus si qua exinde sequatur adustio ciuilem pœnam infligunt, quare conuersis & conuertendis scandalum incutiunt & terrorem. Cùm igitur huiusmodi iudicium secundùm legitimas & canonicas sanctiones sit penitus interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur; mandamus quatenus fratres dictos, & alios, vt ab huiusmodi conuersorum grauamine omninò desistant, monitione præmissâ, per censuras Ecclesiasticas appellatione remotâ compellas.

EPigraphe *huius cap.* desideratur, & in MSS. & in vulgatis: verisimile tamen est hanc Decretalem directam fuisse Archiepiscopo Rigensi: *Riga*, Liuoniæ Metropolis, & sedes Magistri Equitum Liuoniæ.

a FERRI CANDENTIS IVDICIVM SVBIRE.] Quod hîc refertur de candentis ferri examinatione notissimum est, & nimis otiosum retexere: remitto ad Iuret. *in Epist.* 74. *Iuonis*, Marculphum & alios, & nos ad *hunc titul.* egimus *apud Gregor.* Hoc tamen notandum ex *hoc cap.* quòd hic modus purgationis à Gentilium superstitionibus initium duxit; diu tamen apud Christianos hæsit, itá vt etiam Equites Liuoniæ à suis officialibus hanc impietatem exerceri paterentur in Liuonia; cùm tamen noui Christiani & recenter baptizati eam detestarentur, vt patet ex *hoc cap.* Mariana *lib.* 5. *cap.* 7. *rer. Hispanic.* ait Honorium nostrum lege latâ antiquasse in Hispania quoque id genus compurgationis vulgaris; & morem illum in Hispania manasse refert ex eo, quòd ait Illefonsus, *lib. de claris Hispan. viris*, constanti famâ prædicari Montanum Toletanum Præsulem (qui præfuit Toletano II. Concilio, Amalarici regis anno 5. Christi verò 531.) prostratæ turpiter pudicitiæ lege postulatum, innocentiæ indicio prunas sinu continuisse, dum sacris operam daret, nec vestem læsam, nec ignem extinctum. Ex hoc, Gothorum non vno loco receptus hic mos à diuinis abhorrens, furta, adulteria, aliáque crimina purgandi candentis ferri attactu; aut feruentis aquæ haustu: reus, peccatorum confessione priùs conscientiam expiabat, ferrum, vel aqua sacerdotis post Missam prece lustrabatur, eorum tandem attactu, vel potione qui periculum euasissent criminis obiecti suspi-

cionem, infamiámque purgabant. Neque Gothorum tantùm hic mos fuit, sed ab alijs Hispaniæ regibus autoritatem habuit, ceterísque gentibus etiam Christianis.

b FRATRES TEMPLARIORVM ORDINEM PROFITENTES IN LIVONIA.] Id est Fratres CHRISTI MILITIAE instituti formâ quâdam Templariorum anno 1205. operâ & auspicijs Alberti Rigensis in Liuonia Episcopi (qui multos exantlauit labores pro conuersione Liuonum per triginta annos, ita vt Liuonum Apostolus dictus fuerit, & verisimile est eum esse ad quem rescribit Honorius.) Hi vestibus suis binos gladios formâ Crucis decussatos rubri coloris insuentes contra inimicos Christi decertabant, vt videre est apud Arnoldum in Chronico Slauorum *lib. 7. cap. 8. & 9.* Funccium in *Chronol.* & Michou. in *Sarmatia Europea*; qui referunt quoque dictum Ordinem fuisse ab Innocentio III. confirmatum (cuius exstant binæ de his Epistolæ, nempe 141. & 142. *lib.* 13.) Diuersos verò fuisse à Templarijs certum est; Templarij enim extincti fuere sub Clemente v. hi verò permansere vsque ad Lutheri tempora, sub tutela & iurisdictione Archiepiscoporum Rigensium, cuius hæresi cùm tota Liuonia infecta esset, hic Ordo perijt.

TITVLVS XV.

De iniurijs, & damno dato.

Episcopo Bononiensi,

CAPVT I.

OLim scribentibus nobis Venerabili fratri nostro Episcopo Mutinensi, vt accedens personaliter Florentiam, Potestatem, Consiliarios, & populum ciuitatis eiusdem moneret efficaciter, & induceret ad satisfaciendum de damnis & iniurijs irrogatis Venerabili fratri nostro Episcopo, & Ecclesijs Fesulan. & si necesse foret censuris Ecclesiasticis coarctaret: idem Mutinensis mandatum nostrum, quoad monitionem diligentius executus datis inducijs contra testes lite non contestatâ processerat: reuocato processu, Commune Florent. quia banniuerat eundem Episcopum Fesulanum contra Deum, & Ecclesiæ libertatem, propter iniuriam banni in expensas & damna tali occasione secuta taxatione iuramento præmisso in mille libris vsualis monetæ prædicto Episcopo Fesulanensi sententialiter duximus condemnandum.

a EPISCOPO, ET ECCLESIIS FESVLANENSIBVS.] Fesulæ, *Fiesole*, sub Archiepiscopo Florentino ad duo millia passuum à Florentia. Annos quingentos cum Florentinis contendit, à quibus tandem euersa anno 1024. familiisque Florentiam translatis non est restituta, nec antiquitatis vestigium vllum præter Episcopatum, & Patrum Canonicorum Regularium Abbatiam remanet; & forsan per Ecclesias Fesulanas has intelligit Honorius. Est ibi quoque amœnissimum Dominicanorum cœnobium nescio an ædificatum tempore Honorij nostri; à quo hic Ordo confirmatus fuit.

Potestas Florentina banniuerat Episcopum Fesulanum, quod est contra libertatem Ecclesiæ, ideo satisfactionem iniunxerat Honorius dicto Episcopo faciendam. *Bannus* hoc

loco non est tantùm vocatio in ius, vt sæpè reperitur, *Bannire*, seu *Mannire*, pro pulsare in ius, seu citare, vt in legibus Salicis, & apud, Marculphum *lib. 1. Formul. 40.* Sed in eo differētia est, quod Bannus induceret proscriptionem bonorum apud Hincmarum in *Epist. ad Carolum*, & in Capitularib. *cap. 45. lib. 3.* & alibi sæpè. Id fiebat solenniter non solùm iurisdictione ordinariâ, sed etiam cum imperio, ṗlatis vexillis, seu bannis, *cap. sicut. suprà, de Constitut.* Ideò in hac Epistola Honorius grauem iniuriam illatam fuisse dicit Episcopo Fesulano, contra libertatem Ecclesiæ, quæ nullo pacto banniri potuerat à populo Florentino. Eadem conquestio est apud Iuonem *Epist. 101.* eò quòd bannum leugæ Adela Comitissa à Rodulpho Archipresbytero exegerat, *Vnde rogamus*, inquit, *& monemus, vt hanc nobis non inferatis iniuriam.*


TITVLVS XVI.

De pœnis.

Idem.

CAPVT I.

Non ponitur.

X litteris nobilis viri Pontiui & Monstrolij Comitis intelleximus, quòd cùm olim Clerici & Laici terræ suæ ad perpetranda homicidia nimiùm proni essent, ipse iuxta admonitionem & exhortationem quorumdam Apostol. sedis legatorum, inter alia quæ contra homicidas constituit, iuramento firmauit, quòd neminem, qui timore homicidij nequiter perpetrati terram exiret ipsius, reintrare ipsam de cetero pateretur: cùm autem laici metu pœnæ huiusmodi quâ & perpetrantes proscribuntur, & bona confiscantur eorum, abstineant à prædictis; clerici pœnam non timentes eamdem, cohiberi hactenus nequiuerunt, qui vt possint circumuenire vindictam, priuilegium clericale prætendunt, illud peruersis actibus abnegantes: vnde quia magnum ex hoc scandalum inter laicos generatur, nobis humiliter supplicauit, vt prouidere super hoc paternâ solicitudine dignaremur. Cùm igitur per impunitatis fiduciã nutriretur in eis audacia delinquendi, & dum impune delinquunt, quibusdam efficiantur in scandalum, & alijs in exemplum, & hoc esset laicis in eos occasio debacchandi, frat. t. mandamus, quatenus cùm loci diœcesanus existas, clericos quos post publicationem præsentium tales inueneris, cùm facto huiusmodi priuilegium abijciant clericale, pœnâ illâ quæ contra huiusmodi homicidas à dicto nobili est statuta, facias ab huiusmodi maleficijs cohiberi.

a PONTIVI, ET MONSTROLIENSIS COMITIS.] *Ponthieu*. De hoc Comitatu *suprà*. Caret hoc caput epigraphe: sed cùm dicat Honorius in fine ipsius eum ad quem rescribit esse loci diœcesanum, necesse est vt sit Episcopus Ambianensis, aut Morinensis sub quibus hic Comitatus est.

b TERRAM EXIRET.] Hæc lex antiquitus obseruata, & à Romanis, & ab Atheniensibus apud Dionys. Halicarn. *lib.* 3. *cap.* 5. & Demosthenem in *orat. aduers. Aristocratem.* Idem lege diuinâ, quâ homicidæ patriâ exire cogebantur, & in vrbes designatas secedere, *Numeror. cap.* 35. Idem etiam statutum à Carolo Magno *lib.* 4. *cap.* 20. *Capitular. In exsilium mittatur ad quantum tempus vobis placuerit.*

Præposito, Archidiacono, & H. de Parisius, Canonico Suession.

CAPVT II.

GRauem dilectorum filiorum [a] Capituli Laudunensis recepimus questionem, quòd cùm nobilis vir [b] Comes Registetensis pro multis iniurijs quas irrogarat eisdem, per iudices à sede Apostolica delegatos excommunicationis vinculo fuerit innodatus, idem iam per duos annos & ampliùs in excommunicatione persistens iuri parere pertinaciter renuit, claues Ecclesiæ in suæ salutis dispendium & plurimorum scandalum contemnendo. Licèt igitur huiusmodi pertinacia non careat [c] scrupulo hæreticæ prauitatis; volentes tamen [d] nobilitati parcere Comitis supradicti, si forsan ad cor reuertēs à suo resipiscat errore; d. v. mandamus, quatenus si Comes prædictus à nobis diligenter commonitus, infra quindecim dies post commonitionem nostram non paruerit plenè iuri, vos excommunicationis sententiam latam in eum sicut rationabiliter est prolata, facientes vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruari, & totam terram ipsius, ac loca in quibus idem Comes fuerit commoratus, supponentes Ecclesiastico interdicto, Ecclesias in quibus aliquid iuris habere dignoscitur ab eius debito, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, absoluatis: fideles ipsius & quãdiu in excommunicatione perstiterit, ab eiusdem fidelitate, denuntietis penitus absolutos: quòd si forsan nec sic tribuat ei vexatio intellectum, poterit non immeritò formidare, ne sua pertinacia obstinata eum in hæresis impingat infamiam, quam cùm voluerit fortè de facili non poterit euitare.

a CAPITVLI LAVDVNENSIS.] sic legendum, vt in MSS. non, Lundensis, vt in vulgatis.

b COMES REGISTETENSIS.] Comes Registrensis in editione Raimundi, in MSS. Registetensis, vel Testistensis, corruptè vbique; legendum est, *Registetensis*: *Le Comte de Rhetel.* Vide Guidonē Coquille in *historia Niuernensi*, qui ait hunc Comitatum in antiquis Chartarijs Latinis vocari *Registeste*, quasi testis, & regni Gallici limes, & reuera hic finit supremū Imperium Gallicum, cuius Mosa limes est. Hic Comitat' antiquissimę infeudationis est; refertur enim in quibusdam vitis sanctorum, S. Arnulphum fuisse filium Comitis Registetensis, & vxorem duxisse Scarambergam

neptem Clodouæi, & fauore huius matrimonij confirmatum illi fuisse hunc Comitatum. Porrò Comes hic de quo loquitur Honorius noster erat Hugo II. qui anno 1197. aut 1198. successit Patri suo Manassi I. & decessit anno 1229. aut paulò antè, vt notat antiquitatis peritissimus vir Andreas Duchesne, in *Historia Domus Castillioneæ, extremo libro* 12. ex Chartarijs Abbatiarum S. Remigij & S. Pharonis, & semper hunc Comitem vocat *Comté de Retest*, quod confirmat obseruationem dicti Guidonis Coquille; *Retest* enim à Latino *Regiteste*.

c SCRVPVLO HAERETICAE PRAVITATIS.] hæc verba vim faciunt, quia quibusdam visum fuit ob hæresis crimen tantùm à iuramento fidelitatis subditos absolui, & dominis obedientiam denegare posse, ita vt aliàs qui à fide non deficiunt huic iuri non subiaceant; & hoc statutum fuit in synodo Aquisgranensi: *Ne quispiam deficere possit à Domino, & Orthodoxo Ludouico Imperatore*, quæ verba notanda sunt. Ideò Henricus IV. conquestus est aduersus Gregorium VII. quòd a iuramento fidelitatis subditos suos absoluisset, cùm tamen à fide non aberrasset, vt est in *Epistola* ipsius, & apud Sigebertum in *Chronico*. Quoties verò contumaciter sacramenta Ecclesiæ violantur, tunc propter præsumptam hæresis suspicionem Ecclesia hoc iure vsa est, vt de Philippo I. referunt scriptores, qui ab Vrbano II. in Claromontensi synodo, & à Ioanne, & Benedicto Cardinalibus in Pictauiensi, ob ductam, & reductam Bertradam excommunicatus fuit, & à fidelitate subditorum priuatus: cui licet plures Episcopi communicarent, Iuo Carnotensis numquam hac de causa parere voluit, vt constat ex *Epist*. 27. & 211. & eleganter loquitur *Epistola* 35. *Videte si fidelitatem quam debetis pleniter exhibetis*. Ideóque Philippus per Legatos minatus est ipsi Vrbano se, nisi Coronam & sacrorum vsum restitueret, cum regno ab eius, & Romanæ Ecclesiæ obsequio discessurum. De Carolo Simplici nota est etiam historia apud Flodoardum. Ex quibus notandum est quàm accuratè Honorius in *hoc cap*. arguat hæresis Comitem Registetensem, vt à fidelitate ipsius subditos eximat; quia hæresis præsumitur ex eo quòd quis in excommunicatione annum egerit, iuxta decretum Concilij Lateranensis in *cap. excommunicamus*, §. *qui autem. de hæretic. can. rursus*. & *seq*. 11. *q*. 3. quod esse in contumacia excommunicationis notat Glossa, qui enim contemnit absolui, indignus habetur omnibus beneficijs, *cap. cum bonæ. de æt. & qualit. ordinand.*

d NOBILITATI PARCERE.] Summa apud Honorium in commendatione fuit nobilitas, *vt suprà* in *cap. significauit. de iudic.* quemadmodum in beneficijs, vt notat Glossa, & nos tetigim⁹.



TITVLVS XVII.

De remissionibus.

[a] *Abbati, & Conuentui sancti Petri de Praxellis, Lexou. Diœcesis.*

CAPVT I.

NOSTRO postulasti certificari responso, vtrùm per tuam prouinciam possis concedere remissionis litteras generales. Nos igitur fraternit. t. breuiter respondemus, quòd per prouinciam tuam liberè potes huiusmodi litteras concedere, ita tamen quòd statutum generalis Concilij non excedas.

a S. PETRI DE PRAXELLIS.] Legẽdum, de Pratellis, *S. Pierre de Preaux*. de quo *suprà*. Videtur tamen hæc epigraphe falsa in MSS. & in vulgatis caret hoc cap. inscriptione; Abbas enim prouinciam non habet, & summus Pontifex Abbates non solet vocare Fratres.

Hoc capite


Hoc cap. Remissio, pro Indulgentia peccatorum sumitur, de qua Innocent. III. in Concilio generali; & cap. 14. hoc tit. apud Gregor. quę vox eo sensu non est noua. Tertullianus 4. contra Marcion. cap. 18. Diximus de remissa peccatorum, id est, de remissione. Idem apud Cyprianum Epist. 59. Grauissimis delictoribus, & in Deum multùm antè peccantibus, cùm posteà crediderint, remissa peccatorum datur. hæc autem Indulgentia, siue remissio denotat principatum & iurisdictionem, can. in nouo. 22. dist. qua Archiepiscopus intra prouinciam vtitur, hoc cap. & seq. cap. 1. supra, de treuga & pace. Certum est intra prouinciam multas iurisdictionis partes exercere posse, vt plenè notatur in cap. Pastoralis. de offic. ordinar. quod Abbas restringit, quando visitationis munus exsequitur, non verò vt aliquatenus iurisdictionem contentiosam exercere possit. Vide cap. 2. supra. de eo qui mittitur in possess. Idem dicendum de Legato qui munus definitum excedere non potest sine speciali licentia, vt scribit Speculator ad Titul. de Election. §. nunc superest.

TITVLVS XVIII.

De sententia excommunicationis.

[a] *Magistro, & Fratribus Hospitalis Hierosolymitani.*

CAPVT I.



CAnonicâ constitutione cauetur, quòd [b] monachi & Canonici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam sedem mittendi, sed secûdum prouidentiam & discretionem sui Abbatis disciplinæ subdantur. quod si Abbatis discretio ad eorum correctionem nôn sufficit, prouidentia est diœcesani Episcopi adhibenda, nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò sit ad Romanam Ecclesiam recursus habendus. Nos ergo vestris supplicationibus inclinati, ad vos statutum huiusmodi duximus extendendum, auctoritate præsentium statuentes, vt in tali casu, nisi maioris sit prouidentia requirenda, per Priorem vestrum, qui sicut audiuimus presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur.

a MAGISTRO.] Fratri Guarino de Monte-acuto, apud Bosium in *Historia Melitensi*, lib. 14.

b MONACHI, ET CANONICI REGVLARES.] De Monachorum & Canonicorum regularium qui se percusserunt in claustro penitentia, agitur in hoc cap. Percussio illa grauis, intelligitur quæ fit ense, securi, vel iaculo, vel ξύλῳ βαρεῖ, ἢ λίθῳ μείζονι, id est *ligno graui, vel lapide maiore*, vt est in can. 8. D. Basilij, quod maximè clericis prohibetur, can. 27. Apostol. In monasteriis hoc maximè periculosum; ideóque olim cultelli acuti Monachis prohibebantur, sicut docet Arnulphus Episcopus Lexouiensis *Epist. ad Alexandrum Papam; Ac nisi de cultellis eorum pugionem prouida sustulisset antiquitas, sæpiùs vsque ad alternas, etiam mortes intemperantia desæuisset.* Nec solùm monachis, sed clericis quoque interdicti fuere hi cultri. Ioan. Cardinalis Honorij nostri Legatus in Concilio Ilerdensi, anno 1219. *In Ecclesijs, ciuitatibus, villis, vel Aldeis clerici cultellos acutos portare non præsumant.* Quod de cultris & gladijs, idem de graphijs acutis, & calamis, seu stylis, qui vt plurimum erant ferrei, quibus etiam confossi fuere crebrò Martyres. Ita etiam apud Plutarch. in *Gracchis*, Quintus Antilius lictor Consulis, calamis, seu graphijs

f f

confessus fuit. Et hæc causa fuit cur à Romanis prohibitum fuerit vti graphijs alijs quàm corneis, vt scribit Isidorus *lib. 6. Origin. cap. 8.*

H. titulo sanctæ Praxedis, Presbytero Cardinali, Apost. sedis Legato.

CAPVT II.

SVper eo quòd monachi Græci & Heremitæ propter inobedientiam suam suspensionis & excommunicationis vinculo ligati, nolunt ad mandatum Ecclesiæ, nisi per [a] manualem promissionem redire; hoc tibi duximus respondendum, quòd si nullatenus possunt induci ad præstandum iuxta formam Ecclesiæ iuramentum, ipsos hâc vice cum promissione poteris recipere manuali, cùm vndique, consideratis locorum & temporum qualitatibus, seueritati sit aliquid detrahendum.

HIC non est immorandum. Iuramentum quod exigitur ab excommunicatis, est de parendo mandatis Ecclesiæ, *cap. cùm desideres.* & *cap. ad hæc. extra. eod.* vel ipsius excommunicatoris qui sententiam protulit, *cap. nuper. eod.* vel absoluentis: quod non esse de substantia absolutionis fatentur omnes; quia scilicet tale iuramentum non est propriè stricti iuris, sed consuetudinis Ecclesiæ, vt notat Panormit. & expressis verbis docet Alexander III. in *cap. de cetero. eod. secundùm morem Ecclesiæ.* Et licèt hoc iuramentum vulgò à Prælatis exigi videtur, nihil tamen interest à quo exigatur, dum tamen absoluendi facultatem habeat, vt notat Alanus ad *dictum cap. cùm desideres* in 1. *compilat.* Altera ratio quæ mouet Honorium ad recipiendam promissionem solam excommunicatorum sinè iuramento, est peruicacia, & procliuis Græcorum animus deficiendi ab Ecclesia Romana.

a MANVALEM.] Promissionem nudam & simplicem intelligit, quæ non iuramento firmatur, vt de obedientia manuali *suprà* in *cap. 1. de maiorit. & obed.* ad differentiam iuramenti quod fit per manum, *suprà. de purgat. canon.* Quæ quidem promissio manualis similis est apud Iurisconsultos, nudo pacto, quod non parit actionem, sed hoc iure contra, in quo manus solius adiectio fidem facit, per quam consecratur corpus Christi, vt eleganter dicitur in *can. si quis. 2. q. 5.* Nam & olim sola manus contrectatio iuramenti fidem faciebat, vt apud Xenophontem Cyrus hortatur amicos vt dextram suam contingant; & de Germanico dicitur apud Tacitum 9. *Annal.* Vnde talis promissio vocatur *Manufirmatio, cap. 217. lib. 3. Capitul. Caroli M.* Promissio fit manu dextra apud Lucanum,

Elatásque aliè promisere manus. Nam attollebantur manus. *Exod.* 6. & *Numer.* 14. & apud Festum, quod notauit Cuiacius ad *l. 10. C. de contrah. & committ. stipul.*

Fredericus Imperator.

CAPVT II.

HAC edictali. *& infrà.* Quæcumque communitas, vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ * factam perstiterit, ipso iure imperiali banno subiaceat, à quo nullatenus extrahatur, nisi priùs ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento.

* *videtur legendū fractā.*

[a] Bitur. & Carnot. Decano, & Subdecano Aur'

CAPVT IV.

VEnerabili fratre nostro [b] Cenomanensi Episcopo, & disc. filio H. Canonico Turonensi procuratore venerabilis fratris nostri Turonensis Archiepiscopi in nostra præsentia constitutis, pro quadam suspensionis sententia in præfatum Episcopum ab eodem Archiepiscopo promulgata. Nos auditis & intellectis quæ super hoc fuerunt ab eis proposita coram nobis; quia partes dissentiebant in facto, ita quod de illo plenè constare non potuit, sententiam ipsam de gratia relaxauimus ad cautelam, ipso Episcopo in præsentia dicti procuratoris præstante corporaliter iuramentum, quòd parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit, si constiterit ipsum Episcopum in eo pro quo fuit lata prædicta culpabilẽ extitisse.

[a] BITVRICENSI, ET CARNOTENSI DECANO, ET SVBDECANO AVRELIANENSI.] Ita legendum vt in MSS. non Arelatensi, vt in vulgatis.

[b] CENOMANENSI EPISCOPO.] Mauricio 39. Episcopo Cenomanensi. Quod hîc de Cenomanensi Episcopo ab Archiepiscopo Turonensi suspenso dicitur, non intelligi debet solum Archiepiscopum tulisse sententiam, quod ei non licuit: nam *Can.* 15. Concilij Antiocheni definitum fuit, vt Episcopus ab omnibus Episcopis eiusdem prouinciæ iudicetur, qui refertur in *can. si quis Episcopus.* 6. *q.* 4. & anteà à Nicæna synodo, atque etiam in Capitulis Adriani Papæ *can.* 5. & 6. Idque per duodecim Episcopos, qui est legitimus numerus, vt respondet Leo IV. *Epist.* 2. *ad Episcopos Britanniæ*, & Nicolaus I. de Archiepiscopo Turonensi *Epist.* 56. *ad Salomonem regem Britanniæ.* Hoc tanti ponderis agnoscens Iudith vxor Imperatoris Caroli Calui vouit, se nunquam assensum præbituram depositioni alicuius Episcopi propter reuerentiam ministerij in Concilio Tricassino. Ei enim qui deponebatur vestis scindebatur, annulus detrahebatur, & baculus super caput eius frangebatur, vt fuit factum in Concilio Nemausensi anno 885. Dubitari tamen potuit, annon Archiepiscopus solus vti leuiori excommunicatione potuerit, quæ est suspensio, & priuat tantùm ab officij, *can.* 45. Apostolor. *can.* 13. *synodi* 6. *in Trullo, can.* 18. *synodi Ancyranæ*, & alijs plerisque locis, quibus distinguitur ab excommunicatione maiori, quam sequitur depositio: vel etiam dubium est an hîc agatur de simplici segregatione quæ non sapit naturam excommunicationis, cùm quis non admittitur ad aliqua officia, ἤτοι ἀδεκτος ἀπελθεῖν, id est *qui non est recipiendus* in *can.* 12. *Apostol.* & in quem non ferebatur sententia, sed tantùm ab officio, vel ordine abstinere iubebatur, *can.* 8. *Concil. Aurelian. III.* Quæ distinctio probabilis quibusdam visa est; quam tamen veram non existimo; nam & pro quauis leui suspensione & abstentione Episcopi, synodalis congregatio Episcoporum fieri debet, vt nominatim definit *Can.* 1. 34. *dist.* Imò etiam in priuatis negotijs vnius Episcopi, solus Metropolitanus cognoscere non potest, vt concludit Glossa in *Can. si clericus.* 11. *q.* 1. & *can. si inter.* 6. *q.* 4.

Episcopo Senensi.

Capvt V.

GRauem venerabilis fratris nostri Pisan. Archiepiscopi recepimus questionem, quòd A. B. & quidam alij ciues Pisan. deputati à Potestate ac populo ad statuta ciuitatis edenda, tamquam peruersè sapiant., in derogationem Apostolicæ sedis, & subuersionem Ecclesiasticæ libertatis edere præsumpserunt: Quòd si quis clericus, vel laicus contra quemcumque laicum Pisani districtus, ad iudicem Ecclesiasticum litteras Apostolicas impetrauerit, in mille solidis, nisi huiusmodi renuntiauerit litteris, condemnetur, nec redditus possessionum suarum reddantur eidem, vel agri excolantur ipsius, sed banno potius subiaceant Potestatis, quæ nullum ad regimen ciuitatis suscipiet, nisi hoc se iurauerit facturũ: & hæc, & quælibet alia Potestas quæ pro tempore fuerit, successores suos iurare faciet supradicta. Statuerunt illi prætereà, vt clerici suis sumptibus castrum Ripæ fractæ faciant custodiri; quod si renuerint contra eos Potestas procedere teneatur iuxta quod dictauerit consilium ciuitatis: quæ omnia is qui nunc præest ciuitati prędictæ obseruaturum se firmiter iureiurando firmauit. Cùm autem tota ciuitas Pisana, quę aliàs tam diu Dei timorem abiecit, quòd infecta iam errore vel infectioni proxima præsumatur, & tam statutarios, quàm Potestatem eamdem non sit dubium propter hoc excommunicationis sententiam, præter notam infamiæ incurrisse: fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos excommunicatos publicè nunties, & facias ab omnibus arctius euitari, donec absolutionis beneficium per sedem Apostolicam mereantur: contra consiliarios & officiales ciuitatis ipsius, nisi statuta ipsa de capitularibus deleri fecerint, & idoneè sicut exigit res, caueri, quòd similia de cetero non debeant attentare, similiter processurus. Ceterùm cùm iidem statutarij multa de bonis Ecclesiæ tenere dicantur in feudum, ipsos nihilominùs fore priuatos feudis huiusmodi nuntiare procures.

a EPiscopo Senensi.] Sic legendum: malè in quibusdam vulgatis *Senonensi*. Episcopum verò vocat, quia nondum erat Archiepiscopatus, sed postea nempe anno 1409. Archiepiscopali titulo donata tantùm fuit à Pio II. ciue Senensi.

b Civitas Pisana, qvae alias tamdiv timorem Dei abiecit.] Digna sunt hæc verba cõsideratione. Hæc vrbs olim & diu imperio, opibus, & prudentiâ ita felix fuit, vt S. Thomas in *Tractatu de quatuor rebus &c.* eam inter potissimas quatuor vrbes enumeret, & longo tempore felicitas eius comes fuit, dum Siciliam Saracenis eripuit, dum Gallis in terræ sanctæ acquisitione auxilio fuit, dum Regum Hierosolymitanorum opitulatrix, dum Pontificibus laborantibus manum dedit: sed ex eo tempore, quo in gratiam Friderici II.

Imperatoris, plerosque Prælatos Lugdunum ad Conciliũ proficiſcentes intercepit, omnia ruere in præceps vidit; & dum ſtatutis ſuis libertatem Eccleſiæ impugnare niteretur, libertatem propriam & vires amiſit. Mira res! ciuitas quæ omnes illas qualitates & dotes poſſidebat, quas Plato in vrbe ſua deſiderat, opprobrium aliarum vrbium facta eſt, & ſub iugo Florentinorum miſſa, tandémque ab eis anno 1509. in eum ſtatum redacta eſt, vt penè deſerta fuerit. Itaque meritò ruinâ ſuâ cum Phlegya omnes admonet,

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Archiepiſcopo Piſano.

Capvt VI.

Non ponitur.



Vpra ſe Vbaldus & Lambertus fratres ambulare volentes cæcâ ducti cupiditate iamdudum [a] iudicatum Calaritani iuris, & proprietatis ſedis Apoſtolicæ occuparunt, quorum S. & F. & ceteri fratres tantæ præſumptionis non timuerũt eſſe participes, minus quàm eis expedierit attendendo, quòd baculo arundineo qui manum inhærentis eidem perforat, dum ponunt in eis fiduciam innituntur: ſed & prædicti omnes ad tantam deueniunt inſaniam, vt excommunicati à nobis longo tempore iam elapſo, ſic ſuæ ſint ſalutis obliti, vt non videantur ad Eccleſiæ vnitatem quando redire debeant cogitare: hi autem propter tantæ temeritatis exceſſum de feudis quæ de Camera Archiepiſcopatus Piſan. tenebantur fuerunt à quadriennio defeudati: verùm ſæpe ſicut dicitur muſſitant, quòd de fructibus feudorum ipſorum, quos excommunicationis tempore percipiũt, obtento abſolutionis beneficio, integrè ſibi ſatisfieri oportebit, ſuper quo volumus tibi, & tuis ſucceſſoribus prouidere. Nos itaque diſtrictiùs inhibentes, ne quidquam de feudis eiſdem vel eorum fructibus perueniat de cetero ad prædictos; tibi & ſucceſſoribus tuis autoritate præſentium indulgemus, vt ſuper his tu, & ſucceſſores tui in aliquo non teneamini vlteriùs reſpondere.

[a] Ivdicatvm Calaritanvm, ivris, et proprietatis sedis Apostolicae.] Sic legendum: Calaris *Cagliari*, Primas Sardiniæ & Corſicæ. Fortè hi ciues Piſani eò temeritatis progreſſi erant, vt vſurparent Iudicatum Calaritanum ad ſedem Apoſtolicam ſpectantem, exemplo Archiepiſcopi Piſani, qui ſub Innocentio III. dignitatem Primatus Sardiniæ & Corſicæ Calaritano debiti à mille trecentis annis, affectauit.



TITVLVS XIX.

De verborum significatione.

[a] *Priori, & Clericis sancti Ioannis & Pauli Tudertinen.*

CAPVT I.



VM inter vos dudum ex parte vna, & Abbatem sancti Petri de Monte Spolet. diœcesis ex altera, super tertia parte oblationum & possessionum Capellæ sancti Hilarij & cellarum ipsius, & quibusdam alijs coram bonæ memoriæ [b] Angelo sancti Andreæ Diacono Cardinali, tunc Subdiacono & Capellano felicis recordationis I. Papæ prædecessoris nostri ab eodē prædecessore partibus auditore concesso quæstio verteretur, & eidem constiterit auditori à vobis probatum fuisse per quadraginta annos & ampliùs tertiam partem oblationum eiusdem Capellæ vestrā Ecclesiam recepisse, à clericis institutis per Abbatem de Monte tuísque, fili Prior, eamdem tertiam te commisisse aliquando colligendā: prædecessor præfatus ipsam tertiam Ecclesiæ Sanctorū Ioannis & Pauli adiudicans, statuit vt tibi Priori liceret per eosdē clericos (sicut fuerat consuetum) partem colligere memoratam, prout in eiusdem prædecessoris litteris perspeximus contineri. Verùm quia postmodùm sacerdos prædictæ Capellæ asserens oblationum nomine minimè contineri ea quæ ipsi Capellæ in festiuitate omnium Sanctorum mittuntur, vel portantur ad illam, seu ad domum sacerdotis eiusdem intuitu defunctorum; nec non quæ in [c] cimilini ponuntur quod de altari suscipit, & facit per Ecclesiam in fraudem ab aliquo deportari, & quæ ante crucem & in Missa Trinitatis, & ea quæ pro desponsatis canitur, & lampades cum oleo quę prædictæ Capellæ ab aliquibus offeruntur, vel quæ dan[illegible]r nuntio, qui ad recipienda talia per præfatæ Capellæ parochiam destinatur: & de his omnibus vobis tertiam denegans exhibere, de alijs nomine tertiæ persoluendis pro rata partis vestram Ecclesiā contingentis retinere nitebatur, ad expensas Capellæ ipsius necessarias faciendas: dictus prædecessor vt omnis materia scandali tolleretur, tam de omnibus supradictis, quàm oblationibus aliis absque subtractione aliqua integrè persolui voluit & mandauit tertiam portionem. At Capellani prędictæ Capellę volentes adhuc alterius

defensionis fomitem suscitare ac dicentes primitias & decimas, vel eaquæ offeruntur pro Missis mortuorum sacerdotibus, quę pro septimis, & tricesimis, & anniuersariis, pannos,* & alia quæ infra hebdomadam offeruntur & mortuorum iudicia, oblationum nomine minimè contineri, de his omnibus partem tertiam soluere vobis nolunt. Vt igitur huiusmodi scandalorum materia totiens pullulantium radicitus euellatur, volumus & mandamus, vt per clericum vestrum à vobis in eadem Ecclesia institutum de omnibus supradictis, & de aliis oblationibus quocumque titulo ad Ecclesiam ipsam peruenerint; sine diminutione aliqua integrè tertia vobis portio persoluatur.

* *In vulg. panes.*

a SANCTORVM IOANNIS ET PAVLI TVDERTINEN.] Tudertum, *Todi* in Vmbria ad Tiberim.

b ANGELO S. ANDREÆ DIACONO CARDINALI.] Nullum alium his temporibus inuenio Cardinalem huius nominis, quam Angelū Diaconum Cardinalem S. Adriani creatū ab Innocentio III. anno 1212. apud Ciacconium.

c IN CIMILINI.] Ita legitur in editionibus quibusdam, & in duobus MSS. in aliis in Criminali; quod absurdum est. *Cimiline* quid sit coniicere licet ex verbis *huius Cap.* vt nempe sit locus, vel arcula in qua reconduntur oblationes, quæ colliguntur in Ecclesia; puto ex Græco vocabulo Κειμήλιον, quòd significat id omne quod reseruatur & custodiendum reconditur; Græci vocant *κείμηλιον*, Eustathius apud Homerum *ἀκίνητον*: quo nomine intelliguntur vasa sacra & pretiosa, ac etiam immobiles Ecclesiarum possessiones, vt ex Cyrillo refert Balsamo ad *Can.* 12. *Synodi* 7. *τὰ κειμήλια ἤγουν τὰ ἱερὰ, καὶ τὰς ἀκινήτους κτήσεις τῶν ἐκκλησιῶν*, & Theophilus in §. *Sacras. Instit. de rer. diuis.* Prudentius *hymno* 2. *περὶ στεφάνων*,

Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.

Ex quo loco vestigia deprehendimus thesaurorum, qui Ecclesiæ vsibus reseruantur, quos *Montes pietatis* vulgò vocamus. Ergo immobilium vocabulo res mobiles sacræ cōtinentur, quòd ita custodiri, & recondi soleāt, vt immobilium vice fungantur, & facilè loco non moueantur. Hæc autem vox Κειμήλιον, facta est Latina *Cimelion*, inde Cimeliarcha, custos Cimelij in *l. fin. C. de bon. autor. iud. possid.* Qui & Custos Ecclesiæ dicitur, vt annotauimus ad *Titul de Offic. Custod.* Cimeliarchium, locus est in quem omnia sacra vasa & vestimenta referebantur: dicitur & vestiarium in Synodo prima Toletana. Nec absonum igitur est hinc deducere Cimilinū, de quo hìc Honorius, cuius vocis mentionē apud vnicum tantùm authorē reperi, Ioannē à Ianua, in *Lexico*, quod appellat *Catholicon. Cimiline*, inquit, *dicitur vas aquaticum ad abluēdas manus, vt dicunt Batinum*, nos *Bassin*. Origo illius Batini ex Græco *βάτιον* deduci potest, quod significat paruum cadum, seu genus aliquod mensuræ apud Hebræos, *Batiolam* vocat Nonius. Itali, *Bacile*, & Crusius in *Turco-græcia* Βάτζιον, *id est peluis*, seu lanx. Eius meminit Pontificale Romanum: *Bacile cum Bucali, pro manibus abluendis*, vt annotat Meursius in *Glossario*. Quapropter meritò hoc, Cimiline, Lancem explicabimus de qua Ausonius,

Thuribula, & pateræ, quæ tertia vasa Deûm, Lanx,

propriè apud nos, *Bassin de queste*, vel etiam arculam qua ad colligendas & reseruandas oblationes vti solent, qui earum curam habent.

Episcopo F. P. Bertrandi, Archidiacono Cæsaraug.

Capvt II.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd dilecti filij Præpositus & Canonici Aretin. sententiam, quam felicis memoriæ I. Papa, prædecessor noster super Ecclesia sancti Gregorijs quibusdam terris, & parte molendinorum Cupreue, ac Castri saxi, & molendino posito supra montem de Caliano, ac aliis diuersis articulis in eadem sententia comprehensis, inter vos & eorũ Canonicam promulgauit, per interpretationem sinistram in recidiuæ quæstionis scrupulum reducere molientes, asserunt illud capitulum eiusdem sententiæ, quo dicitur, ne Canonica ipsa impediat quominus Monasterium vestrum, præfatum molendinum de Caliano reædificare valeat, in eo statu in quo fuisse dignoscitur tempore motæ litis, esse referendum ad tempus, quo lapillus in denuntiationem noui operis iactus fuit: vobis è contrario asserentibus illud esse intelligendum de tempore quo lis super hoc inter vos, & præfatam Canonicam extitit contestata; quare humiliter supplicastis, vt altercationem huiusmodi per interpretationem capituli supradicti decidere dignaremur. Nos ergo consideratâ eâdem sententiâ diligenter, quod in præfato capitulo dicitur de tempore motę litis, interpretamur esse referendum ad tempus quo litis contestatio facta fuit.

Epigraphe huius cap. falsa est, & in MSS. & in vulgatis. Vulgati habent, Episcopo F. P. Bertrandi. Ex lectione ipsius manifestè ostenditur hoc cap. rescriptũ fuisse cuidam Abbati, non Episcopo. MSS. habent Episcopo F. P. Bertrandi Archidiacono Cæsaraugustano. malè; nam hîc agitur de Canonicis Aretinis, *d'Arezzo*, quæ est vrbs Episcopalis in Prouincia Romana. Cæsaraugusta autem caput est regni Aragoniæ in Hispania, *Saragoça*: cui autem hoc cap. rescriptum sit, non liquet.

Prælatis, & Capitulis Vniuersitatis Constantinopolitanæ.

Capvt III.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd venerabilis Frater noster, Patriarcha vester, occasione constitutionis cuiusdam quam Venerabilis Frater noster Albanensis Episcopus tunc Apostolicę sedis Legatus in partibus Romaniæ, super legatis edidit defunctorum, & dil. Frater I. titulo Sanctę Praxedis Presbyter Cardinalis, dum ibidem legationis fungeretur officio innouauit, de quibusdam

de quibusdam quæ vobis,& Ecclesijs vestris legantur à decedentibus tertiam indebitè à vobis exigit portionem. Cùm igitur Episcopus & Cardinales prædicti (sicut ex eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quòd de his quæ in ornamentis Ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ, reparatione indigentis, aut ad Ecclesiæ luminaria, necnon & de his quæ pro anniuersario, septimo, trigesimo, ac vigesimo faciendis, vel de his quæ personis specialiter, nisi fortè id fiat Ecclesiæ ratione, à quocumque legantur, aliqua deberet solui portio Ecclesiæ Cathedrali. Nos interpretationem eorum ratam habentes, secundùm ipsam,constitutionem præfatam præcipimus obseruari firmiter,inhibentes ne in prædictis aliquid fraudulenter in præiudicium Cathedralis Ecclesiæ procuretur.

PRAELATIS ET CAPITVLIS VNIVERSITATIS CONSTANTINOPOLITANAE.] Ita in MSS. In vulgatis verò, *Prælatis Vniuersitatis Francigenarum Constantinopol.* Ex quo colligitur expeditionem Constantinopolitanam, & obtentionem huius Imperij verè à Francis factam; ceteros verò,Venetos nempe,Pisanos,& alios, auxiliares tantùm fuisse.

IN PARTIBVS ROMANIAE.] id est Thraciæ: Thraciam, cuius caput est Constantinopolis, Romaniam vocatam fuisse à Pontificibus summis Innocentio III. Honorio III. Clemente IV. & alijs Autoribus illius seculi, notius est, quàm vt hìc immorari necesse sit. Originem huius appellationis quæ hucusque perseuerat, Vide in Notis V. Cl. Fr. Bosqueti ad Epist. 33. lib. 1. regist. Innocentij III.

Episcopo Tullensi.

CAPVT IV.

EVA nobis fraternitas intimauit, quòd cùm tibi pro releuatione oneris debitorum quo premeris, duxerimus indulgendum, vt fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolicæ gratiæ priuilegium sinistrâ interpretatione restringere molientes, asserunt præbendas & maiora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri, super quo interpretationem Apostolicam postulasti. Nos igitur interpretum huiusmodi sententiam reprobantes, autoritate præsentium declaramus, quòd præbendæ, ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur.

EPISCOPO TVLLENSI.] In MSS. *Toul.* Odoni de Vaudemont 47. vel Garino 48. Malè in vulgatis, *Tolonensi.*

Finis Quintæ Compilationis Decretalium Honorij III. Sum. Pont.

APPENDIX AD NOTAS.

AD LECTOREM.

POST Editionem huius Compilationis in manus meas venerunt priores duo Libri Registri MSS. Honorij III. quos ad me misit vir doctus Francisc. du Chesne: utinam mihi videre licuisset integrum Registrum; emendatius & luculentius hoc Opus haberes. Forsan tamen si nactus illud fuero beneficio viri benemeriti de Rep. literaria (cuius interest huius Compilationis perfecta cognitio) in secunda Editione,

Si Deus hunc oculis fœtum respexerit æquis,

hoc præstare potero. Interim excerpsi quasdam Epistolas ex dicto Libro I. *Registri, quæ illustrant nonnulla huius Compilationis Capitula. Pauca etiam adieci ex Italia sacra doctissimi viri Ferdin. Vghelli hoc anno tantùm Romæ edita, quæ ad hoc quoque faciunt. Candide Lector Vale, faue, & fruere.*

Pag. 42. *lin.* 29.

ARCHIEPISCOPO TVRONENSI.] non Bituricensi: sic in tribus Epistolis Registri Honorij III. *Lib.* I. super hoc negotio datis.

Pag. 43 *lin.* 2. *Col.* 2.

POST hæc verba [*La Guerche,*] Adde. Cui congruit nomen huius Militis in dicto Reg. vbi de *Guerchia* vocatur.

Pag. 45.

EPISCOPO ASSISIENSI.] Vidoni, de familia secunda Romana electo, anno 1204. ab Innocentio III. vixit vsque ad ann. 1228.

Pag. 78.

EPISCOPO FERENTINATI.] Albertus Longus, Canonicus Anagninus, intimus amicus Innocentij III. Ferentinas Episcopus ab eodem adlectus est anno, 1203. post hunc ponitur 20. Episcopus Ferentinus Iacobus, mortuus 1276.

Pag. 79. *lin.* 31.

QVARVNDAM LITERARVM PRAESCRIPTIONE.] In Reg. Honorij *lib.* I. legitur, *quibusdam literarum transcriptis.* Sed operæpretium est integram Decretalem, ex qua desumptum est hoc Caput apponere ex *dicto lib.* I. *Reg.* quia quædam specialia continet, quæ hîc non habentur, & lucem affert his quæ obscura & præposterè posita sunt in hoc Cap.

ABBATI S. Augustini Cantuariensi. *Cùm olim inter te &c. vsque ad hæc verba lin.* 36. ab impetitione te absolueret ipsius. *Cùm autem partibus postmodùm in ipsius prædecessoris nostri præsentia constitutis, tu instanter peteres, ut in causa sec. formam procederet prænotatam; licèt prædictus Archiepiscopus è contrario responderet, quòd contra te agere tunc non posset, quia erat alijs negotijs præpeditus tunc, quia veuerat minùs instructus temporum; tamen nolens litem*

vlteriùs protelare eidem indixit, quòd aut ageret, cùm ipse semper super hoc ad Sedem Apostolicam appellasset, aut memorati prædecessoris sui sententiam confirmaret; perpetuum silentium Archiepiscopo imponendo: tunc idem Archiepiscopus proposuit, quòd Abbas de iure communi sibi professionem facere tenebatur, quam sibi petebat humiliter exhiberi; tu verò respondisti è contrà, quòd etsi ad id tenereris de iure communi, de iure tamen speciali eras exemptus; ostendens tam priuilegia fundationis Ecclesiæ, quàm sententiam memorati Alexandri pro Monasterio promulgatam; & reconuenisti eundem Archiepiscopum, super eo, quòd contra tenorem priuilegiorum tui Monasterij *homines seruiẽtes, & clericos tuos de facto, cùm de iure non posset, excommunicationis vinculo innodabat, & Ecclesias ad Monasterium pertinentes supponebat Ecclesiastico interdicto. Cúmque super his fuisset aliquandiu disputatum, præfatus Archiepiscopus alium sibi petijt terminum indulgeri, intrà quem cum suo posset deliberare Conuentu. Quare idẽm prædecessor noster terminum vsque ad festum omnium Sanctorum, tunc proximè venturum, sibi concessit, ita quòd nisi deliberaret cedere potiùs quàm contendere in hac causa, ex tunc expensas legitimas, quas de cetero faceres, tibi refundere teneretur, si contingeret ipsum contrariam sententiam reportare; scribens super hoc dilecto filio N. G. tituli S. Martini Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, vt si coram eo partes ducerent litigandum, ipse Cantuariensis Conuentus vnà cum Archiepiscopo sæpè dicto citati causam audiret, & eam ad Sedem Apostolicam remitteret sufficienter instructam, præfigens partibus terminum competentem, quo se conspectui Apostolico præsentarent, iustam sententiam recepturi. Nuper autem R. Monachus, & Magister Eustrasius procuratores tui in nostra præsentia constituti, petierunt instanter vt iuxta præscriptam formam in negotio procedentes, causam, si prædictus Archiepiscopus contendendam duceret, audiremus, vel perpetuum silentium super hoc imponeremus eidem, ne te pateremur captiosis diffugijs fatigari. Archiepiscopus verò respondit, quòd licèt induciæ ad deliberandum cum Conuentu suo, vtrùm deberet agere, vel non sibi fuissent indultæ; quia tamen nondum ad propria reuersus fuerat, & aliàs non solùm Ecclesia sua, sed totum regnum erat turbatum, cum suo Conuentu deliberare non potuerat; quare petebat sibi vlteriores inducias indulgeri. Procuratores autem præfati responderunt è contrà quòd Archiepiscopus, etsi non personaliter, saltem per nuntios, & literas deliberare super hoc potuerat cum Conuentu, vnde non erant ei vlteriores induciæ indulgendæ, ne prorogando iudicium videretur iustitiæ*

derogare. Nos igitur attendentes quod æquius est, parti ad deliberandum largiorem terminum indulgere, quàm litem breuiandi prætextu procedere minùs clarè; volentésque dicto Archiepiscopo nihilominùs in hac parte fauere, adhuc ei vsque ad proximum festum B. Michaëlis Archangeli terminum ad deliberandum per se, vel per alium cum Conuentu duximus indulgendum, eum vtrique parti pro peremptorio assignantes; ita quòd si contra te agendum non duxerit, nos ab eius super hoc impetitione te sententialiter absolueremus. Quòd si egerit, & eum in causa ipsa succumbere fortè contigerit, ipsum tibi, vt prædictum est, condemnaremus in expensis; eundem quoque terminum prædicto Archiepiscopo assignantes ad deliberandum vtrùm velit cedere, an contendere super ijs, quibus coram sæpedicto Prædecess. nostro eum reconueneras, & superiùs est expressum. Præterea præfati Procuratores tui reconuenerunt Archiepiscopum nominatum super eo videlicet, quòd Officiales ipsius, te & Conuentum tuum impediunt, quominùs possitis congregare synodum, celebrare Capitulum, & iurisdictionem spiritualem in subditis Monasterijs exercere, beneficium in integrum restitutionis nihilominùs postulantes, super eo, quòd cuiusdam personalis compositionis prætextu ad vacantes Ecclesias Monasterij, cùm non tenerentur de iure, clericos improuidè Archiepiscopo præsentarunt, & conquerentes, quòd contra formam compositionis inter bon. mem. H. & R. tuos prædecessores amicabiliter interuenit super Ecclesia Caënniratensi te indebitè inquietat. Vnde prædictum terminum super ijs eidem Archiepiscopo præfigi petebat: sed eo allegante ius reuocandi domum, nullum super præmissis reconuentionibus terminum ei duximus præfigendum. Ne igitur super ijs possit imposterum dubitari, has literas tibi duximus in testimonium concedendas, nolentes interim statum tui Monasterij vacillare. Datum Laterani decimo sexto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

Pag. 98.

PENNENSI EPISCOPO.] Gualderico ex Ordine Cisterciensi, electo anno 1200. Is fuit decimus septimus Pennensis Episcopus, initio corruptus felicitate Episcopali, sed resipuit admonitus ab Innocentio III. factúsque forma gregis. Vixit vsque ad annum 1230.

Pag. 105. *lin.* 29.

POst hæc verba [FACTVM PRINCIPEM ANTIOCHENVM.] Addc. Honorius noster in Rescripto suo dato Ferentini, 8. Kal. Augusti, Pōtificatus sui anno 2. id est anno Christi 1218. relato à Bosio, *in Historia Melitensi, lib.* 14. F. Guarino Magistro, & Fratribus Hospitalis Hierosolymit. cōmendat Principem Antiochenū (quem Raimundū Rupini vocat) contra aduersarios suos, intelligit Comitem Tripolitanum, qui ordinatius vsurpator erat. Legimus enim apud dictum Bosium, eundem Honorium, anno decimo Pontificatus sui dedisse potestatem præfato Magistro, & Fratribus Hospitalarijs, armis recuperandi Castellum Antiochiæ, & alia bona quæ Comes Tripolitanus super dictos Fratres inuaserat, quapropter excommunicatus fuit à quibusdam Episcopis, iussu Honorij nostri. Verisimile ergo est Epistolam Decretalem ex qua

excerptũ est hoc Caput, datam fuisse anno 1218. & loqui de Rupino, aliàs Raimundo Rupini, qui timebat conspirationes, quas vitare non potuit, anno enim sequenti 1219. (vt supra diximus) spoliatus fuit Antiochiæ Principatu, proditione Farabel.

Pag. 110. *lin.* 24.

POst hæc verba [SED FRVSTRA.] Adde. Est tamen integra hæc compositio in Registro Honorij MSS. *lib.* 1. Piaculum existimarem omittere tam insigne Historiæ monumentum, quia maximè Caput hoc nostrum illustrat. Equidem mirari satis nequeo tam altum hac de re silentium apud Historicos Hollandiæ, & præcipuè apud nobilem huius seculi scriptorem Matthæum Vossium, qui licèt *in Annalibus Hollandiæ*, Namurcensis, huius compositionis arbitri meminerit, nullum tamen de hac compositione verbum adiecit. An dicendum est veritatem quoque ipsam victoris Guillelmi partes secutam fuisse; & licèt non adeò impudenter vt vultum fucatum ostenderit, saltem amasse tenebras & latibula, & noluisse in publicum prodire, nisi facie velo obductâ? sed audiamus Honorium nostrum.

NObili viro Comiti de Los Crucesignato. *Sacro-sancta Romana Ecclesia &c. vsque* Inclinati. *Ad exempla felicis recordationes Innocentij Papæ Prædecessoris nostri, compositionem inter te ac Nobilem virum Vuillelmum de Hollandia, Traiectensis diœcesis, super raptu nobilis mulieris, A. vxoris tuæ, necnon Hollandiæ, & alijs terris ad te ratione vxoris eiusdem spectantibus, mediante quodam Philippo Marchione Namurcensi; Tebaluco Baiulo Comitatus Flãdrensis amicabiliter initam, & iuramentis præstitis hinc inde firmatam, sicut sine prauitate prouidè facta esset, & ab vtraque parte sponte recepta, vt in scriptis authenticis inde confectis pleniùs continetur, authoritate Apostolicâ præcipimus obseruari. Vt autem eadem Compositio firmiùs obseruetur, tenorem ipsius præsentibus iussimus annotari, qui talis est. Hæc est forma compositionis & pacis perpetuæ inter Lodeuuien, Comitem de Los & de Hollandia, &* Dominum *Vuillelmum Florentij Comitis Hollandiæ quondam filium, arbitrio Domini Philippi Marchionis Namurcensis, Baiuli Flandriæ, & Nobilium Flandriæ virorum consensu & consilio firmatæ, ac spontaneâ prædictorum, Comitis scilicet Lodeuuici, ac Domini Vuillelmi voluntate pleniùs approbatæ. Post lõgas siquidem controuersias inter eos versatas tandem in bonum pacis consentientes L. Comes de Los & de Hollandia, & Dominus Vuillelmus prædictus, dicto & arbitrio Domini Philippi Marchionis Namurcensis super vniuersa terra, quæ fuit Theodorici Comitis Hollandiensis commiserunt. Dominus igitur Philippus Marchio Namurcensis dicto & arbitrio suo assignauit Comiti de Los Comitatum Hollandiæ, excepto dotalitio matris Domini Vuillelmi supradicti, post cuius Domini decessum, dotalitium illud ad Dominum Vuillelmum in proprietatem deueniet. Assignauit etiam Dominus Philippus Marchio Namurcensis Comiti de Los, Scarpenesse, Duuelant, Stauenesse, & Drieshore & Dominum Dominum*

Hugonem de Osteuuome & de Vuestrentiorne & de appenditijs: Tota verò terræ alia ex hac parte Mosellæ versùs Flandriam per dictum arbitrium Domini Marchionis Namurcensis remanet in parte Domini Vuillelmi, quicquid Dominus Hugo prædictus tenet apud Apenbuch, & Castellaniam de L. Sellamidia, & omne quod tenet infrà Insulas, quæ assignatæ sunt Domino Vuillelmo, tenebit ipse Hugo à Domino Vuillelmo: & inde excipiuntur quatuor Insulæ prædicti Comitis de Los, assignatæ. In Vuimagio apud Gerulitz habebit Dominus Vuillelmus omni anno quadringentas libras denariorum, & habebit illic nuncium suum ad denarios colligendos, quousque quadringentas libras receperit, omne quod illis quadringentis libris superuenerit, Comitis de Los & Hollandiæ erit. Si quid autem ad illas quadringentas libras perficiendas defuerit, Comes de Los & de Hollandia infrà annum perficiet. Cum nuncio Domini Vuillelmi, Comes de Los ministrum suum habebit ad computandum, & sciendum Denariorum receptionem in prædicto Vuimagio. Illas quadringentas libras guinagij Dom. Vuillelmus tenebit ab Imperatore, seu Rege Romanorum, sicut Comes de Los tenet ab eodem Rege residuum ad Vuimagium de Gerulitz. Homines Domini Vuillelmi nihil aliud soluent quàm solebant soluere tempore Florentij Comitis Hollandiæ. Ad dictum & arbitrium Domini Philippi debet Dominus Vuillelmus adhæredare Comitem de Los de omnibus supradictis, & Comes de Los Dominũ Vuillelmum bene etiam adhæredare. Vnde sciendum est quòd Dominus Vuillelmus ad dictum arbitrium Domini Philippi, & consilij sui, dedit ei obsides pro dicto & arbitrio suo tenendo sororem suam, & filiam suam propriam: & decem homines de Scondes, homines de Hollãdia, qui ipsa die Brugis erant, fecit Dominus Vuillelmus facere hominium Comiti de Los & de Hollandia, & per Castellanum de Leda, qui præsens erat, debet Comiti de Los facere habere liberè Castellum de Leda, vel per nuncios suos: debet quoque mandare & præcipere omnibus hominibus Hollandiæ, & totius terræ Comiti de Los assignatæ, per literas suas patentes, & per nuncios suos, vt Comiti de Los hominium faciãt & fidelitatem sinè aliquo malo ingenio, & in mandato illo & præcepto debet hominibus illis intimare, quòd si hominium illud & fidelitatem facere recusauerint, contra omnes qui rebelles erunt erit Comiti de Los in omni posse suo in auxilium, quousque hæc consummata erunt Comiti de Los & perfecta. Deinde debet Dominus Vuillelmus ire in Curia Domini Episcopi Traiectensis, & illic reddere feudum suum & guarpire, ad opus Domini Comitis de Los, ad eum

bonâ fide adhæredandum sinè suo damno, & simili modo faciet Dominus Vuillelmus in Curia Domini Ducis Louaniensis, illinc debet Dominus Vuillelmus ire apud Dordrecht & ad Hardinglem, & ad Lodam, & ad Arlem, & ad quamquam illarum debet mandare, & sic monere homines omnes vicinos & adiacentes illi villæ, & præcipere eis, vt Comiti de Los hominium faciant & fidelitatem, & Dominus Vuillelmus omnes homines illos à fidelitate, quam ei fecerant, omnino liberos & absolutos clamabit & dimittet, & si qui rebelles fuerint Dominus Vuillelmus ad summissionem Comitis de Los debet eum iuuare semel ad illos destruendos & fugandos, nec eos potest Dominus Vuillelmus retinere vel iuuare, quousque ad fidelitatem & hominium Comitis de Los & de Hollandia venerint, & hoc pepigit Dominus Vuillelmus Comiti de Los bonâ fide. Dominus Marchio Namurcensis debet mittere nuntios suos cum Domino Vuillelmo, & cum Comite de Los ad Curiam Domini Episcopi Traiectensis, & ad Curiã Ducis Louaniensis, & in Hollandiam, & eorum testimonio quisque debet tam Comes de Los, quàm Dominus Vuillelmus hæc quantocitiùs potuerit adimplere. Præcepit quoque Dominus Marchio Namurcẽsis ipsis nuntijs in fidelitate & iuramento quod eis fecerant, quòd hæc bonâ fide perficere studeant in omnibus suprà iam dictis. Ad perficienda quæ dicta sunt ibit Comes de Los sub conductu Domini Vuillelmi, & Dominus Vuillelmus sub conductu Comitis de Los; ijs quoque peractis secundùm relationem & recordationem nuntiorum iam dictorum Dominus Vuillelmus obsides positos rehabebit liberos. Hæc omnia Comes de Los, & Dominus Vuillelmus bonâ fide, & sinè malo ingenio debent complere. Dominus Vuillelmus debet mittere in Angliam nuntios suos ad rehabendum Neptem suam, & eam reddendam Comiti de Los, & si per nuntios suos eam rehabere non potuerit, nuntij illi debent ei acquirere conductum, vt ipse illuc ire possit: quòd si non potuerint, Dominus Philippus Marchio Namurcensis debet ei conductum illum acquirere, & si ipse Dominus Vuillelmus in propria persona eam non rehabuerit, & Dominus Marchio Namurcensis vel per literas regis Angliæ, seu per credibiles nuntios scire potuerit, quòd Dominus Vuillelmus posse suum inde non fecerit, & quòd potuisset illam rehabuisse si voluisset, iterum debet Dominus Vuillelmus & Dominus Marchio Namurcensis cum eo mittere duos probos viros per iuramenta, & vnum Abbatem in obedientia monitum, vt videant & inquirant si Dominus Vuillelmus de illa rehabenda fecerit posse suum: si nuntii illi testificati fuerint, quòd Dominus Vuillelmus posse suum inde non fecerit

Dominus Marchio Namurcensis debet eum cogere & ostagijs positis, & omnibus modis vt eam reddat; si autem testificati fuerint quòd inde Dominus Vuillelmus posse suum fecerit, liber inde & quietus debet remanere, Dominus Vuillelmus homines suos de Hollandia & de Scondis debet dare obsides, & facere iurare quòd si in supradictis compositionibus & conuentionibus deficeret, homines illi essent ei in nocumentum, & Domino Marchioni Namurcensi in auxilium, quousque emendatum esset consilio Curiæ *Flādrensis. Resignato quippe* videtur legendum [*quoque*] *feudo à* Comite de Los *in manum Domini Philippi Marchionis Namurcensis, Baiuli Flandriæ, quod Theodoricus* Comes *Hollandiæ vltimis diebus vitæ suæ tenuit à Domino* Comite *Flandriæ, & inde adhæreditato Domino Vuillelmo, testimonio hominum Flandriæ super prædicta pace & conuentione tenenda hostagiaria* Lodeuuic. Comes de Los *& de Hollandia concessit, & pepigit Domino Philippo Marchioni Namurcensi ad eius dictū & arbitriū & consilij sui de cōuentione inter ipsum & Dominum Vuillelmum tenenda pace, & omni compositione dare hostagiariam & securitatem; videlicet, quòd coram Episcopo Traiectensi ponet terram Hollandiæ in hostagiariam: quòd si prædictis compositionibus & conuentionibus deficeret, terra illa remaneret in manu ipsius Episcopi, ita quòd Comes de* Los *nihil reciperet interim in terra illa, quousque emendatum esset consilio Curiæ Flandrensis, & literas patentes ipsius Episcopi debet Comes de* Los *exinde facere habere Philippo Marchioni Namurcensi, quatuórque Insulas suprà nominatas Scarponissa, Duuelant, Staueniße, & Drilhire, & Castellum de Leda cum villa & cum toto Allodio, quod est in Castellania illa, quæ omnia ad dominiū & feudum Flandriæ dedit idem Comes de* Los *& de Hollandia. Posuit etiam in hostagiariam, quòd si deficerent in prædictis compositionibus & conuentionibus, Dominus Marchio Namurcensis manum mitteret ad feudum, quousque emendatū esset consilio Curiæ Flandrensis: homines quoque Hollandiæ & insularum prædictarum ponet obsides Comes de* Los, *ita quod faciet eos iurare, quòd si deficeret in prædictis, ipsi homines essent Comiti de* Los *in nocumentum, & Domino Namurcensi in auxilium, quousque emendatum esset consilio Curiæ Flandrensis. Ponet quoque* Comes *de* Los *Dominum* Leodiensem *Episcopum hostagium, quòd si conuentionibus & compositionibus prædictis deficeret, ipse Episcopus manum mitteret ad feudum suum, & interim* Comes *de* Los *nihil acciperet in feudo illo quod tenet ab Episcopo, quousque emendatum esset consilio Curiæ Flandrensis, & inde literas ipsius Episcopi patentes acquireret* Comes *de* Los *Domino Na-*

murcensi, Baiulo Flandrensi. Pro posse etiam suo sinè suo damno ponet Comes de Los *hostagium Ducem* Louaniensem: *quòd si in conuentionibus satis dictis deficeret, Dux ad feudum suum manum mitteret, quousque emendatum esset consilio Curiæ Flandrensis, & inde literas ipsius Ducis patentes faciat haberi Domino Namurcensi de propria Comitis de* Los *hereditate, quam posuit in hostagiariam. Est in veritate Domini Marchionis Namurcensis qui* legendum forsan [*quòd si*] *Comes de* Los *vxorem suam rehabuerit, & Domino Namurcensi visum fuerit, quòd bene posit Comes de* Los *per vxorem suam adhæredare Dominum Vuillelmum de terra quæ est ei assignata, & ipse* Comes de Los *inde deficeret, feudū Domini* Leodiensis *Domini* Louaniensis *essent in prædicta hostagiaria. Hæc omnia pleniùs tenenda & firmiùs obseruanda* Lodouuic. Comes de Los, *& de Hollandia, & Dominus Vuillelmus tactis sacrosanctis iurauerunt. Dominus quoque Marchio Namurcensis, Baiulus Flandriæ super ijs omnibus inuiolabiter obseruandis, ad petitionem Comitis de* Los, *& Domini Vuillelmi obsidem se cōstituit, sigillóque suo cum sigillo Comitis de* Los *& de Hollandia, & cum sigillo Domini Vuillelmi sæpè dicti, præsens scriptū confirmari decreuit. Testes Arnulphus Comes Ginnarum*, Vuillelmus *Aduocatus Betuniensis, Ioannes Castellanus Brugensis, Vuillelmus Castellanus Audomari, Arnulphus de Ardinalt, Theodoricus de Bunia, Sigerus* Castellanus *Gandauēsis, Vualter Bertoldus, Vualterus de Solnihei, Bernardus de Rosebais, & quamplures. Actū Brugis in domo Præpositi, die festo S. Donatiani, mēse Octobris, āno Verbi Incarnati*: M.CC.VI. *Nulli ergo, &c. Nostræ cōfirmationis, &c. si quis autē, &c. Datū* Laterani *xij. Kal. Aprilis, Pōtificatus nostri anno primo.*

Pag. 141.

EPISCOPO AVERSANO.] Basintio, seu Basuio, vel successori suo Ioanni Lāberto, qui ex Amalphitano Archidiacono consecratus est 13. Episcopus Auersanus ab Honorio III. anno 1225. & ab eodem commēdatus fuit Friderico II. inter alios Episcopos à se delectos in regno Neapolitano. Vide Diploma illius apud Vghellū pag. 551. Vixit vsque annum 1234.

Pag. 176.

AD pleniorem intelligentiam *cap. 2. cum creatura. de celebrat. Missar.* adijciemus quædam ex integra Decretali, quæ habetur in Reg. Honorij *lib.* 1. ex qua hoc cap. desumptum est.

S*ANE accepimus scilicet minimè acceptamus, quòd in partibus vestris, multiplicatis anniuersarijs Defunctorum ex quibus ea celebrantibus commodum obuenit temporale; quidam in Cathedralibus & Conuentualibus Ecclesiis, prætextu Missæ semel in die pro Anniuersario celebrandæ, sacra Missarum solennia, quæ ratione diei vel Festi solent solenniùs celebrari, culpabili negligentia prætermittunt; quasi non sint obligati Domino, aut quasi Dominus fortè pro tantis obsequijs non sufficeret eis æquâ vicissitudine respondere. Certè verendum est ne*

qui tanta cum nequitia & negligentia laborare noscuntur, in obstinatam malitiam prolabentes, etsi non voce, quod est grauius facto dicant, quis est Dominus vt seruiamus ei, &c.

Pag. 188.

EPISCOPO RAVELLENSI.] Pantaleoni Pironti ciui, 4. Rauellensi Episcopo vsque ad annum 1220. vel Leoni Rogadei, 5. Episcopo qui mortuus est anno 1229.

Pag. 190. *lin.* 17.

POst hæc verba, *Archiepiscopi Beneuentani*, Adde: si est *Ascoli* in Prouincia Romana: is Episcopus ad quem rescribit Honorius erat Petrus I. 27. Episcopus ab anno 1210. vsque ad annum 1222. vel Altegrunus eodem anno 1222. 28. Episcopus, siue Nicolaus I. 29. Episcopus consecratus ab Honorio III. anno 1223. vel 24. qui vixit vsque ad annum 1228.

Pag. 201. *lin. vlt.*

POst hæc verba, *Idem Epist.* 173. Adde. Hic Diffidationum abusus diu locum habuit in Germaniâ, teste Cusano Cardin. *de concord. Catholic. cap.* 31. & in Italiâ. Iacobinus de S. Georgio in Tractatu de Feudis: *Diffidato vno, intelliguntur diffidati omnes eius complices.*

Pag. 209. *lin.* 25.

ECCLESIA VESTRA NVPER EPISCOPO DESTITVTA.] Mortuo Roberto 60. Episcopo Lucanensi, vel Lucensi in partibus transmarinis, vel post reditum, M. Ricardus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, de quo in hoc cap. anno 1225. ab Honorio nostro confirmatus est Non. Octobris, Epist. 70. fol. 90 reg. Vaticani, apud Vghellum. Delenda igitur est litera, S, quæ irrepsit in hoc cap. post nomen huius electi M. Ricardi.

Pag. 229.

HIstoriam *cap. 6. suprà se, de sent. excommunicat.* Epistola B. Marchisiæ Masse, & Iudicissæ Calaritanæ in Reg. Honorij III. lib. 1. luculenter exhibet, quæ talis est.

PIissimo Patri, & Domino suo H. Dei gratia summo Pontifici B. eadem & sua gratia Masse Marchisia, & Iudicissa Calaritana & Arborensis, subiectionem perpetuæ seruitutis. Cùm post decessum claræ memoriæ Illustris viri Domini & Patris mei VV. Marchionis Masse, & Iudicis Calaritani omnis clerus, & vniuersus populus terræ Calaritanæ conuenissent in vnum, vt me in Iudicatum Calaritanum, qui iure hereditario me contingebat more solito confirmarent, susceptóque Baculo Regali, quod est signum confirmationis in regnum de manibus Vener. Fratris & Domini mei Archiepiscopi Calaritani, cum assensu & præsentia suffraganeorum suorum, & omnium Nobilium terræ Calaritanæ, iuraui protinus eisdem coram ipsis ante cætera & præter alia, quòd Regnum Calaritanum non alienarem, neque minuerem, & Castellum alicui aliquo titulo non donarem; neque pactum aliquod aut societatem aliquam cum gente aliqua extranea inirem aliquatenus, aut facerem, sinè consensu & voluntate omnium eorundem. Post non multum verò temporis spatium, post istud, habito consilio cum melioribus terræ meæ suscepi in virum Nobilem virum P. nomine, quondam Iudicis Arborensis filium, ob multiplicem guerrã inter præfatos progenitores nostros diu habitam à nobis sedandam; in cuius matrimonij dispensatione in quarto, & quinto consanguinita-

tis gradu, quo nos attingebamus, à felicis memoriæ Antecessore vestro nobis concessa in manibus memorati Archiepiscopi Calaritani prædicto Antecessori vestro, suísque successoribus in perpetuum pro Ecclesia Romana, iuxta formam ab Apostolica Sede mihi expressam, iuramentum exhibui, vnà cum viro meo fidelitatis debitæ, cuius formam & seriem Bullà regni nostri bullatam, & per meum vobis nuntium destinatám, credo vos habere in armario Ecclesiæ Romanæ. Cúmque post hæc, heu, proh dolor! altissimâ fruerer pace in tota terra nostra, ecce Pisanorum Consul, cum multis sibi sequacibus nobilibus, multis minis & terroribus, multísque persuasionibus adulationum in tantùm, & taliter institit mihi; vt, sinè consilio & voluntate bonorum terræ meæ virorum, iurari sibi & Communi Pisano in perpetuùm vnà cum viro meo de nouo fidelitate atque inuestitura terræ meæ cum viro nostro ab eodem Consule per Vexillum Pisanum suscepta, tanquam fatua & insipiens prioris iuramenti oblita donaui pariter cum viro meo, ad instantiam Consulis memorati, Collem quemdam cum suis pertinentijs, Pisanis, in quo posteà ipsi ædificauerunt sibi munitissimum Castrum, in damnum & occupationem non solùm terræ ipsius, sed totius Sardiniæ. Nunc autem cùm ab eis sperarem; secundùm sua mihi præstita iuramenta, protectionem à quolibet vim inferente, nec ipsi terram, vel honorem, aut aliquod ius meum debebant mihi, seu viro meo auferre quacumque de causa, vel minuere; è contrà Pisanorum Potestas, quæ cum maximo exercitu intrauit in Sardiniam, præter multa damna, quæ mihi & hominibus terræ meæ tam clericis, quàm laicis crudeliter intulit, & quotidiè infert, ius & honorem viri mei & meum omnibus meis aufert, & conatur in posterum viribus auferre: nam & introitus portus per omnia sibi vindicauit, & vindicat, & homines terræ meæ nobiles capiendo & incarcerando, me, ac viro meo inuitis iudicium sui Regis & domum violenter vsurpauit, tanquam sit Dominus terræ naturalis & Iudex. Quocirca cùm non sit mihi, vel viro meo refugium aliud præter Deum, quàm vestrum, nec ab alio aliquo speramus iuuari ac manuteneri, quàm ab Apostolica pietate &c. vestram exoro dominationem, vt subuenire mihi & viro meo, seruis & fidelibus vestris, necnon toti Sardiniæ, prout meliùs expedire vestræ Sanctitatis discretio viderit, quantocitiùs, vti optamus, non dedignemini, & occurrendo subuenire, quemadmodum sperabamus securè in brachio potenti Antecessoris vestri, tantùm & eo ampliùs, secundùm vobis gratiam de supernis collatam in vestræ seruitutis robore confidentiùs deinceps valeamus persistere. Supplicamus prætereà


vir meus ſeruus veſter, & ego, vt veſtræ indulgentiæ autoritate habitâ, liceat nobis ſi expedierit, vel cum Iudice Turritano, aut cum Ianuenſi, ſeu cum alia gente extranea pactionis inire ac ſocietatis fœdus, vt vinculo abſoluto iniuſti ſacramenti Piſanis præſtiti, poſsimus ab eorum manibus liberari, & colla excutere ab iniquo iugo &c. Præterea, ſanctiſsime Pater, ac metuende Domine, timor & tremor maximus nuper venerunt ſuper me, ac cunctos terræ meæ, pro eo quòd ipſi ſæpeſati Piſani non ſolùm de nouo inſultant, & valdè ſe iactant, verùm etiam conſtantiſsimè aſſeuerant Caſtrum illud memoratum veſtra gratia, voluntaria & gratuita voluntate in ſuo robore vt fundatum eſt, & perpetua duraturum firmitate; quod ſi verum eſt, quod abſit, non ſolùm ius & dominium meum, cunctorúmque Sardiniæ Iudicum ex toto violenter occupabunt: verùm etiam ipſa ſacroſancta Romana Eccleſia, non dico nullas, ſed valdè modicas in tota Sardinia ſui iuris vires habebit, vel dominari poterit in ea, vt olim conſueuit: nam ſi bonæ memoriæ Magiſtro Blaſio Turritano Archiepiſcopo ad Calarim veniente, pro eo quòd credebatur ab ipſis Apoſtolicæ ſedis Legatus, multas iniurias ac mortis minas nequiter intulerunt, cùm non eſſent in fortitudine aliqua conſtituti, multò fortiùs ac vehementiùs credendum eſt, nullum impoſterum Romanæ Sedis nuntium, aut etiam Legatum alium qui non ſit Piſanus, poſſe ſuas vires inter eos explere, præcipuè cùm ſint modò in arce roboris radicati, & in ſpecula ſuperbiæ apud ſemetipſos firmiſsimè fundati, &c. Terram ergo iſtam vt velitis, ordinate. Tria in hac Epiſtola notanda ſunt. Primum, Iudicatum Calaritanum omnimodè iuris & proprietatis eſſe Sedis Apoſtolicæ. Secũdum, eum occupatum violenter à Piſanis. Tertium Iudicatum & regnum Calaritanum idem eſſe: ſic Regna Iſraël, & Caſtellæ à Iudicibus cœpere: ſic Athanaricus, qui Gothis dominabatur ſub Valẽte imperatore, Regis nomen repudiauit, & Iudicis vſurpauit, quia, vt ait Themiſtius Euphrades, de eo loquens *Orat.* 10. τοῦ βασιλέως ἐπωνυμία, δύναμεως πρόσϛημα, τὸ δὲ τοῦ δικαςοῦ, σοφίας, *appellatio regis eſt potentiæ propria, Iudicis ſapientiæ.* Vide *Amm. Marcell. lib. 27.*

Pag. 231. lin. 18.

POſt hæc verba, [*apud Ciacconium*] Adde. Hic Cardinalis vocatur quoque in Regiſt. Honorij Cardinalis S. Adriani.

Pag. 232. lin. 27.

POſt hæc verba, *Non liquet*, Adde. Inuenta eſt poſteà hæc epigraphe in Reg. Honorij ſic concepta: *Abbati & Conuentui Monaſterij S. Floræ Aretinæ*, de quo Monaſterio ſuprà.



INDEX RERVM ET VERBORVM memorabilium, quæ in hac Quintâ Compilatione Decretalium Honorij III. PP. & Notis ad eam continentur.

A

D

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

Finis Indicis materiarum Alphabetici.